Perk. 6d - net

Princ[illegible]
ad[illegible]
ma[illegible]
[illegible]
[illegible]
Vid.


NON OMNIS MORIAR
SELECTAE
CHRISTIANI ORBIS
DELICIAE
ex
Vrbibus, Templis, Bibliothecis, et aliunde.
Per
FRANCISCVM
SWEERTIVM F.
ANTVERPIENSEM.
COLONIAE
AGRIPPINAE SVMPTIBVS
BERNARDI GVALTERI
CIↃ.IↃC.IIX.
Cum gratia et Pri. Cæs. M^tis

Theophylactus Simocatas.

SI MOEROREM VIS VINCERE, CIRCVI SEPVLCRA, ET PASSIONIS INVENIES REMEDIVM, ET MAXIMAS HOMINVM FORTVNAS VLTERIVS CINEREM VIDEBIS ESSE NIHIL.

CLARISS.^mo VIRO
D. MICHAELI BOOTIO
MAGNAE VRBIS ANTVERPIANAE SENATORI,

LITERARVM AC LITERATORVM Mecœnati,

FRANCISCVS SVVEERTIVS F. S. P.

DAturus Orbi CHRISTIANI ORBIS DELICIAS, isthoc volumine ceu myrothecio comprehensas, ô deliciæ meæ BOOTI, nihil habui antiquius quàm eas ipsas, hunc redactas in ordinem, delicatissimo iudicij tui palato gustādas offerre, priusquam à cætero literatorū hominum cętu delibarentur. In te enim pręter fortunæ amplitudinē, qua paucis tuorum ciuium concedis, multæ sunt

præſtantes virtutes, Labor & induſtria in negotijs, peracreque omnibus in rebus ingenium & conſilium. Accedit, quo nihil eſt præſtantiùs, nullumque certiùs animi magnitudinis argumentum, quòd tu fortunæ amplitudinem atque opes non tam in poſſeſſione (id quod ſapientiſſimus Philoſophus tradidit) quã in vſu poſitas, exiſtimas. Quod duabus in rebus ſemper declaraſti, hoc eſt, in quotidiano vitæ cultu, domeſticoque ſplendore, in quo à nemine omninò ſuperaris; tum in hominum fortunâ liberalitate tua ſubleuanda atque augenda: in quam nemo confugit, qui, vel à te repulſam tulerit, vel ſe queratur concepta ſpe vnquam excidiſſe. Comitatur egregias virtutes naturæ ſuauitas & comitas, moresque in quotidiana vitæ conſuetudine commodi, ac ſingularis humanitas. Et

cui

cui igitur has DELICIARVM merces meliori lembo commisissem, ô BOOTI, quàm vni tuo, per quem pro veteri in humaniores literas amore & studio, intra humanitatis ac benignitatis tuæ alueum conceptæ, & tui nominis amplitudine velut tutelari Numine, aduersus omnem temporum inclementiã communitæ, per medios maledicorum & obstrepentium semper calumniatorum scopulos, in æternantis famæ desideratissimum portum, vel prægnantibus linteis, vel adnitentibus remis, erunt certissimò deuehendæ? Hæc me ratio ad te duxit potissimum, imò pertraxit Clariss. Domine; hæc me tibi amoris & obsequij semper parati, tam solido nexu illigauit, vt hunc nodum (ita me Deus amet) nullus vnquã sui temporis falce vorax Saturnus, dũ viuo & viuam, sit recisurus. Id porrò cau-

ſæ me deinceps impulit ad emittendas in publicum illas cupedias, quas vel eaſdem alij, vel certè ſimiles edidiſſent; tùm quòd & ordinem paulò accuratiorem nonnulli requirerent in aliorũ laboribus, tum quòd inſperſas ferrent ſubinde res illas quæ hæreſin redolerent, quo fiebat vt ab Italia, illa inſigni auitæ Religionis parẽte; ab Hiſpania, Fidei veteris propugnatrice acerrima, alijſq́; locis Catholicis ceu contagioſæ peſtes exularent. Vtriq; incommodo ſum conatus occurrere. Sed nunquid ad guſtum doctorũ hominum, nunquid ad ſenſum rectè ſentientiũ ſatis feliciter? Erit id tui inprimis iudicij, Magnæ Vrbis Magne Senator, ad cuius ego tribunal literariũ, has primùm coëgi venire DELICIAS, quàm ad aliorum iudicũ irent ſubſellia, quod conſiderem, tibi vni ſi probarentur, reliquis omnibus Mi-

neruæ corculis non facilè displicituras. Iniquos & malos, qui omnes rodunt, omnibus inuident, nihil moror. Obtrectationem stultorũ esse thesaurum, me docuit Comicus, & Inuidiam (dicam ipsa Inuidia præsente) nõ in alio quàm degeneri, & ieiuno animo domicilium sibi collocare, didici. Quod si nõ desint qui antiquas vellent, & interuallo temporum obsoletas marmorum Inscriptiones, Epitaphia, Cenotaphia, aliaq; eiusmodi iã penè corrosa; vt sunt nonnulli qui sapientes existimant eos homines solũ, qui vino vetere solent vti: illos ego lubens volensque tam canæ Antiquitatis amantes & studiosos, ad doctissimos Petrum Apianum Mathemat. Bartholomæum Amantium, Martinũ Smetium, Iosephum Scaligerum, Marcum Velserum, Ianum Gruterum, Iustum Lipsium mel & deliciũ

Musa-

Musarum, aliosque remittam, illud vnum verbo præfatus (nisi me mea fallit opinio) non defutura in his nostris DELICIIS, quę veterum epulas & silicernia vel æquent omnino, vel etiam superent. De omnibus iudica Cl. BOOTI, & DELICIIS istis vt lubet fruere, ac me æternum vsu & mancupio & amore tuum, quod facis, ama,

O & præsidium & dulce decus meum.

Antuerpiæ. Ex nostro Musæolo. Anno reparatæ salutis cIↄ.Iↄc.IIX. ipsis Kal. Mart. D.D. BLASIO DE BEIAR & HENRICO VAN ETTEN COSS.

DELI-

DELITIOSE
LECTOR,

HAbe CHRISTIANI ORBIS DELITIAS, ad guſtum, vti ſpero, plurimorum. Qui bellaria amas ad ritum priſcum, inuenies hîc Lipſiana non pauca, cui MORIBVS ANTIQVIS & viuere & ſcribere & mori cordi fuit. Cui plebeiæ cupediæ placent, nec ille hinc abibit incænatus. Studui miſcellaneam patinam ſtruere, vt plurimum palato conſulerem. Dabit Italia mundi regina Melones, Hiſpania Ficus, Luſitania Saccarum, Gallia Caſtaneas, Vinum Germania, omnia Belgica. Ita ſatur eris abſque faſtidio, ebrius ſine crapula, & vtrunque paruo aere.

EIDEM.

Te moneant, Lector, tot in vno funera libro,
Tempore quod certo tu quoque fama eris.

IN DELICIAS CHRISTIANI ORBIS IANVS GRVTERVS Antuerpiensis.

Quid non ingenio licet? ORBIS totius artat
DELICIAS minimo SVVEERTIVS ecce libro.
Nec satis: has iterum toto mox publicat orbe;
Publicat vt Cereris farra reperta puer.
O fortem Ambrosiam, SVVEERTI! ô durabile nectar!
Quàm magis haurimus, tam magis vsque vigent.
O raram Ambrosiam, SVVEERTI! ô mirabile nectar!
Quàm magis haurimus, tam magis vsque placent.
Nempe, licet solidis, non pauca absumimus horis,
Nectari & Ambrosiæ copia tota sui est.
Nempe, licet solidis, non pauca absumimus horis,
Non abit vlla fames, non abit vlla sitis.
Et nondum pro DELICIIS tot SVVEERTIVS audit
HVMANI GENERIS NOBILE DELICIVM?

P. LVDOVICVS MEDARDVS Louaniensis.

Siste gradum, quisquis properas cumulare Viator
Templorum è vario marmore DELICIAS:
Nil opus est tanto molimine, SVVEERTIVS omnes
DELICIAS Vrbis solus & Orbis habet.

BAL.

BALTHASAR VAN DE PIET ANTVERP. IN CHRISTIANI ORBIS DELICIAS FRANCISCI SWEERTII F. cognati.

Fertur Auernales Orphaeus OEagrius vndas,
Et triplicem cantu perdomuisse canem;
Eurydicen stygijs reuocasse putatur ab vmbris,
Monstraqúe Bistonia sustinuisse lyrâ.
Tu varios SVVEERTI, reuocas Demosthenas Orco,
Plurimaqúe inferno millia mersa lacu;
Scipiadas, Fabiosqúe, sacriqúe Heliconis alumnos,
Nutriuitqúe suo quos Themis alma sinu.
O decus, ô columen Phorcynidos hippocrenes!
Quis neget Orphaeam te superare lyram?

EPIGRAMMA AD Lectorem.

Dissita diuersis quae nunc aut partibus orbis
Viuida non moto stant monumenta solo:
Aut senio confecta iacent, aut diruta diro
Marte, soli motu, fluctibus, igne, manu:
Hic lege, quae nobis dum legit SVVEERTIVS, vnum
Tot sibi per tumulos condidit hunc tumulum.
Imò tot aeternos tumulos sibi condidit vno hoc,
Condidit aeternos quot tumulis tumulos.

Ianus Schepperus Gandensis.

SYL-

SYLLABVS EORVM QVORVM OPERA SCRIPTISVE *vsi sumus.*

Abrahamus Ortelius.
AEgidius Schoondonchus Soc. Iesu.
Alfonsus Ciaconius.
Andreas Schottus Soc. Iesu.
Andreas Marchart. Iglauiensis.
Angelus Politianus.
Antonius de Succa.
Arnoldus Mylius.
Aubertus Miræus Canonicus Antuerp.
Balthasar Bontius.
Balthasar Mentzius.
Bartholomęus Marlianus.
Bernardinus Scardeonius Canonicus Patauinus.
Carolus Philippus de Rodoan Episcopus Brug.
Cæsar Baronius S.R.E. Card.
Christophorus de Huerne V.N.
Cornelius Curtius.
Cornelius Kilianus.
Des. Erasmus Roderodamus.
Didacus Laurentius Lusitanus.
Dionysius Harduynus I.C.
Dionysius Villerius.
Emanuel Demetrius.
Ericius Puteanus.
Franciscus Sansouinus.
Gaspar Bruschius.

Geor-

Georgius Braun: Decan. B. V. ad gradus Colonienſ.
Georgius Fabricius.
Gerardus Arnemienſis. Soc. Ieſu.
Godefridus Haeſtenus.
Guilielmus Cambdenus.
Guilielmus Eyſengrein.
Hadrianus Iunius.
Henricus van Os.
Heribertus Roſvvey Soc. Ieſu.
Hieronymus VVingius Can.
Hubertus Audeiantius.
Iacobus Colius Ortelianus.
Iacobus Monauius.
Iacobus Lomm.
Ianus Douſa.
Ianus Gruterus.
Ianus Lernutius.
Ioannes Antonius Potramellarius.
Ioannes Bertelius Abbas.
Ioannes Bochius.
Ioannes Cerezo Canon. D. Donatiani.
Ioannes Hemelarius Can.
Ioannes Baptiſta Gramey.
Ioannes Latomus.
Ioannes Miræus Epiſc. Antuerp.
Ioannes Molanus.
Ioannes Svveertius.
Ioannes à VVouvver.
Ioannes VVouſrius.
Ioſephus Scaliger.

Iulius

Iulius Cæſar Scaliger.
Iuſtus Lipſius.
Laurentius Beyerlincx Canon.
Laurentius Schraderus.
Lucas VVingardus.
Ludoicus Nonius.
Marcus Velſerus.
Maxæmylianus Vrientius.
Melchior Svveertius.
Michael van der Hagen.
Nathan Chytræus.
Nicolaus Kieboom.
Nicolaus Reuſnerus.
Paulus Iouius.
Paulus Cherlerus.
Pantaleon Candidus.
Petrus Merſſæus Cratepolius.
Philippus Camerarius.
Philippus Rubenius.
Pontus Heuterus.
Robertus Svveertius, Soc. Ieſu.
Simon Maiolus Epiſcopus.
Simon Grunæus.
Tobias Fendt.

IN ITINERIB. OBSERVANDORVM ΣΥΝΟΨΙΣ.

In peregrinationibus obseruanda

- I. Regio; in qua consideranda nomina
  - vetera.
  - recentia.
  - sæpe mutata.
- II. Diuisio hominum
  - superiorum.
  - nostrorum.
- III. Nomen vrbis, & ratio nominis, si extet. Item, conditor, amplificator, aut instaurator alicuius loci.
- IIII.
  - 1. Flumina, eaque aut
    - allabentia.
    - propè distantia.
    - deducta.
  - 2. Mare alluens, aut portus.
  - 3. Montes.
  - 4. Syluæ, nemora, vel si quid aliud insigne.
- V. Opera, & hæc vel
  - publica
    - sacra:
      - Basilicæ.
      - Monasteria.
      - Templa.
    - profana:
      - palatia, arces, fora, armamentaria, propugnacula, turres, & ratio munitionis.
  - priuata, vt quæ in ciuium ædibus sunt insignia, veluti horti, picturæ, fontes, statuæ.
- VI. Ratio gubernationis; ad quam pertinent
  - 1. Curia, in qua senatores, & familiæ ciuium honestæ.
  - 2. Scholæ, vt ratio educationis & institutionis pueritiæ. Itē, viri docti & bibliothecæ.
  - 3. Vulgi mores; quò pertinent, ratio victus & vestitus. Item, opificia.

REGIO.

MONVMENTA ROMANA.

IN VRBEM ROMAM FLORENTEM

IVL. CAESAR SCALIGER.

Vos septem gemini cœlestia pignora montes,
Vosque triumphali mœnia structa manu,
Testor, adeste, audite sacri commercia cantus:
Et Latios animos in mea vota date.
Vobis dicturus meritis illustribus vrbes,
Has ego primitias primaq; sacra fero.
Quin te vnam laudans, omnes comprenderit, orbem
Non vrbem, qui te nouerit, ille canet.

FRANCISCVS BENCIVS DE SOCIETATE IESV.

Roma vetus, totum manibus quæ amplecteris orbem,
Seu dare vis terris, seu dare iura mari.
Vna triumphali diademate cingeris: vna
Omnia Tarpeij cernis ab arce iugi.
Te caput, ad cælum tollentem suspicit Atlas,
Te sibi substitui pondere fessus auet.
Salue magna Parens virtutum, magna virorum,
Qui titulos armis, qui peperêre toga.

Nil tantis certet tibi laudibus: omnia vincis,
O decus, ô hominum gloria, Roma vetus.

ROMAE VETERIS TVMVLVS
IOACHIMO BELLAIO AVCT.

Montibus è septem totum diffusa per orbem,
Sidera sublimi vertice ROMA tuli.
Sub pedibus terras vtroque à littore pressi:
Atlantem tenuit dextra, sinistra Scythem.
Iuppiter hos etiam disiecit fulmine montes,
Et tumulos iussit corporis esse mei.
Incubuit capiti rupes Tarpeia nostro:
Pressa Quirinali pectora nostra iacent.
Crura Palatinus geminos hinc inde lacertos,
Collis Auentinus vimineusq; tenent.
Exquiliæ hinc surgunt, & surgit Cælius illinc,
Hæc quoque sunt pedibus facta sepulcra meis.
Sic quæ viua sibi septem circumdedit arces
Mortua nunc septem contegitur tumulis.

EPITAPHIVM ROMAE VETERIS
ANDREA FRVSIO SOC. IESV
Auctore.

Languentem gressum paulisper siste, viator,
Et lege marmoreis carmina sculpta notis.
ROMA fui quondam toto celeberrima mundo
Marte, situ, ingenio, nobilitate potens:
Quippe triumphalis frenaui legibus orbem,
Paruit imperio terra fretumq; meo.
Imposita septem vicerunt collibus arces,
Totq; arcus, Thermæ, templa, theatra, viæ.

Pror-

Prorſus eram felix, ſi non peritura fuiſſem,
Et niſi tam multas ſors rapuiſſet opes.
ROMA ego iam non ſum, perij, proprijsq; ruinis
Obruta ſum, gremio condor & ipſa meo.
Relliquias quaſcumque vides, quæ diruta cernis
Mœnia, ſplendoris ſunt monumenta mei.
Fruſtra igitur ROMAM ROMAE tu quæris, abire,
Iam potes hinc, ROMAE ROMA ſepulta iacet.
Intereà temere perituras ne ſtrue moles,
Cautior exemplo cum potes eſſe meo.
Carpe viam, volui ſcires hæc pauca, memento
Vt meminiſſe mei, ſic meminiſſe tui.

IN EANDEM.

QVALIS EST HODIE.

IANVS VITALIS PANORMITANVS.

Qui Romam in mediâ quæris, nouus aduena, Romã,
Et Romæ, in Româ Nil reperis mediâ,
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obrutaq; horrenti vaſta theatra ſitu:
Hæc ſunt, Roma viden', vel vt ipſa cadauera tantæ
Vrbis adhuc ſpirent imperioſa minas?
Vicit vt hæc mundum, viſa eſt ſe vincere: vicit,
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix, Roma illa ſepulta eſt,
Atq; eadem victrix, victaq; Roma fuit.
Albula Romani reſtat nunc nominis index,
Quæq; etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

GEORGIVS BRVGENSIS.

Qui miseranda videt veteris vestigia Romæ,
Ille potest meritò dicere, Roma fuit.
At qui celsa nouæ spectat pallatia ROMAE,
Hic meritò poterit dicere, ROMA viget.

FRANCISCVS BENCIVS DE SOCIETATE IESV.

ROMA, noua immenso lucem quæ diuidis orbi,
Seu tua das terris, seu tua sacra mari.
Tota salutifera fulges cruce: tota triumphas,
Et vaticana maxima in arce sedes.
Te Dominam rerum, cæloq; Ereboq; potentem
Sensit, & è stygijs horruit orcus aquis.
Salue Dia Parens, salue domus alma piorum,
Morte quibus domitâ pandis ad astra viam.
O sola, ô summo felix à principe princeps,
O quæ mortales vna beare potes!

IN CAPITOLIO.

AD ANTONINI PII IMPERAT. STATVAM EQVESTREM.

PAVLVS III. Pont. Max. statuam æneam equestrem M. ANTONINO PIO etiam tum viuenti statutam, varijs deinde vrbis casibus euersam; & à Sixto IV. Pont. Max. ad Lateranens. Basilicam repositam: vt memoriæ opt. Principis consuleret, patriæque decora atque ornamenta restitueret, ex humiliori loco in aream Capitolinam transtulit, atque dicauit. M.D.XXXVIII.

Augustinus Trincius, Iacobus Buccabella, Cæsar de magistris, Conseruatores Curr.

ANTE

ANTE INGRESSVM.

S. P. Q. R. Capitolium præcipuè Ioui olim commendatum, nunc DEO vero, cunctorum donatori, auctori Iesu Christo cum salute communi supplex commendat, atque tuendum tradit, Anno post salutis initium M.D.LXVIII.

IBIDEM.

S. P. Q. R. Maiorum suorum præstantiam; vti animo, sic re, quantum licuit, imitatus, deformatum iniuria temporum Capitolium restituit, Prospero Buccapadulio, Thoma Cauallerio curatoribus, Anno post V.C. CXƆ.XƆƆ.CCCXXX.

IBIDEM.

S. P. Q. R. Monumenta marmorea Magistratuum triumphorumque ab Vrbe condita ad tempora Diui Augusti ruderibus in foro egestis eruta, Impensa Alexandri Farnesij Cardinalis, Pauli III. Pontif. Max. nepot. in Capitolio pos.

Marmora præclaros testantia fronte triumphos,
Atque magistratus, inclyta ROMA, tuos.
In medio mansêre foro, cum Roma manebas,
Postq; Deos orbi iura secunda dabas.
Ast vbi te indignis fregit fortuna ruinis,
Obruerat titulos alta ruina tuos.
Tamq; diu in tenebris tantis iacuisse videntur,
Hæc veluti fato debita temporibus.
Quæ modò Alexander, Patria te dignus auoq;
Paulo, inuenta tibi marmora restituit.
Tu Capitolina meliori in sede reponis,
Et legeris magni munere Farnesii.

IN MARMORE QVOD EST AD DEXTRAM INTROEVNTIBVS.

Triumphalis Gentilium pompa, Augustorum honori reddi solita, ad deuotum Christianæ religionis cultum redacta, DEI genitricis virginis festo die, dum Christi Saluatoris nostri mirabile simulacrum ex laterano in Esquilias ad Mariæ matris maiorem ædem quotannis ingenti plausu, solennique processione defertur, pro Senatus, magistratuumque, & totius equestris ordinis dignitate, populique & plebis obseruantia; neve vlla posthac inter plebeia collegia contentio fiat, decretum est, vt hoc statuto ordine vniuersi cum suis faculis, Thalamisque, & luminaribus sacram imaginem, quà iter fecerit, comitentur, ea ratione, vt, qui proximiores simulacro sint, digniores habeantur. Aquarij iter auspicentur, post fornacarij, molendinarij, muliones, lignarij, vinarij, caupones, salsamētarij, cādelarij ex sebo, piscatores, piscarij, vinitores, olitoresq;, pistores, furnarijq;, pellipari, figuli, stabularij, ergastuli lignorū, mercimoniarij, sellarij, coriarij, tonsores, calcearij, lanij, sutores, sartoresque, fabri lignarij, fabri ferrarij, aurifices aromatarij, lanifices, fullonesque, mercatores pannorum, agricultores, boarij, Thalamus Rom. Fisci. Si quis ergo secus fecerit, XXV. aureorum pœna multetur.

AD HERCVLIS SIGNVM.

PAVLO III. Pont. Max. Bernardinus Victorius, Laurentius Vellius, Vallerius Valentinus Cōseruatores, signum HERCVLIS in ruinis templi

pli HERCVLIS VICTORIS in foro Boario repertum, gloriæ Pop. Rom. & memoriæ veterum artificum hic reponi iusserunt, Anno Christi M.D.XLI.

IN BASI SCRIPTVM EST.

HERCVLI VICTORI, POLLENTI, POTENTI, INVICTO, S.P.Q.R. D.D. L.M. FRONTO.

IBIDEM.

S.P. Q.R. signum HERCVLIS æneum in foro Boario, ad aram maximam egestis ruderibus repertum, & Sixti IIII. Pont. Max. iussu in Capitolium translatum, noua collocata basi imponit GREGORIVS XIII. P.M.

AD COLVMNAM MILIARIAM.

S.P.Q.R. Columnam miliariam primi ab vrbe lapidis indicem ab Impp. Vespasiano & Nerua restitutam, de ruinis suburbanis viæ Appiæ in Capitolium transtulit.

AD STATVAM CAROLI SICILIAE REGIS.

Ille ego, qui tuleram præclari Sceptra Senatus,
Rex Siculus CAROLVS iura dedi populis.
Obrutus heu iacui saxis terraq́;, dederunt
Hunc tua conspicuum tempora, SIXTE, locum.
Hac me Matthæus posuit Tuscanus in aula,
Et patriæ, & gentis gloria magna suæ.

 Is de-

Is dedit & populo post me bona iura senator,
Insignis titulis, dotibus atque animi.
Anno Domini M. CCCC. LXXXI.III. semestri.

AD LVPAE ALTRICIS SIMVLACRVM.

Hoc æneum Lupæ simulacrum, ex cuius vberibus vrbis conditores pendent, Romulus & Remus, antiquissimum esse, ex Ciceronis verbis constat, cum inquit: Tactus est etiam ille, qui hanc vrbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum & lactantem, vberibus inhiantem fuisse meministis. Et Virgil. Ludere pendentes pueros. R. De capite ferreo, M. de bellis hominibus. F. De Miccinellis Coss. P. Cur.

AD STATVAM MARMOREAM LEONIS X. P. M.

Opt. Principi LEONI X. Med. Ioan. F. P. Max. ob restitutam instauratamque vrbem, aucta sacra, bonasque artes, adscitos Patres, sublatum vectigal, datumque congiarium, S.P.Q.R. pos.

IBIDEM.

GREGORIO XIII. Pont. Max. opt. Principi,
Hugoni Boncompagno Bononiensi,
qui Rom. magistratus
& Ecclesiasticas dignitates
Iustitiam & Pietatem colens,
Ad Pontif. sedem euectus,
Vniuersam Rempub. Christian.
summâ prouidentiâ & caritate
moderatur
S. P. Q. R.

Hieronymo Bubalo Camillo, Mancino Bernardino Cauallerio Coss.

IBI-

IBIDEM.

GREGORIO XIII. Pont. Maximo,
ob farinæ vectigal sublatum,
Vrbē, templis & operib. magnificentiſs. exornatā,
H-S. octingenties
singulari beneficentia
in egenos distributum,
ob seminaria exterarum nationum
in vrbe, ac toto penè terrarum Orbe
religionis propagandæ caussa
instituta.
ob paternam in omnes gentes caritatem,
qua ex vltimis noui orbis insulis
Iapponiorum regum legatos
triennij nauigatione
ad obedientiam sedi Apostol. exhibendam
primùm venientes ROMAM
pro Pontificia dignitate accepit,
S. P. Q. R.

AD STATVAM SIXTI V. P. M.
AENEAM INAVRATAM.

SIXTO V. Pontif. Max.
ob quietem publicam,
compressa sicariorum exulumque licentiā,
restitutam annonæ inopiam,
subleuatam Vrbem,
ædificijs, vijs, aquæductibus illustratam
S. P. Q. R.

IBIDEM.

Quod ALEXANDER FARNESIVS Parmæ & Placentiæ Dux III. magno in Imperio res pro Republ. Christiana præclaras gesserit, mortemque obierit, Romanique nominis gloriam auxerit, S. P. Q. R.

 Hono-

Ducem collatis signis prælio vicit: Dunckerkam, Gandauum, Brugas, Hypras, Teremundam, Bruxellas, aliaque plurima Belgij oppida aut vi cepit, aut ad deditionem compulit. Antuerpiam nullis humanis viribus expugnabilem, ingenti ad Scaldim fluuium operum magnitudine circummunitam in deditionem accepit: Nouesium receptum Coloniensi Archiepiscopo reddidit: Belgas omnes, qui continentem incolunt, in Philippi Regis potestatem, & ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reduxit. Hasce ob res, aliasque fortiter gestas, à S. P. Q. R. Summus Imperator, elogio propè maiorum triumphos, quorum gloriam aut vicit, aut certè æquauit, ornatus est. Achille Cibo, Octauiano Crescentino Coss. Vlixe Lanserinio Gallo, Lamentino Mancino cap. Reg. Priore.

IN AVLA CVR. SENAT. AD SIGNVM PAVLI III. P. M.

PAVLO III. P. M. Quod eius iussu, auspicijs, atque ære conlato vrbem situ ac diuerticulis viarum deformem atque imperuiam, disiectis malè positis ædificijs in meliorem formam redegerint, vijs, areisque cum veteribus directis ampliatis, tum nouis constitutis auxerint ornauerintque, Latinus Iuuenalis Mamecteus, Hieronymus Mapheus Cur. Viar. vrbe instaurata, officij & memoriæ ergò statuam in Capitolio optimo Pontifici P. P. Anno Christi 1543.

IN VATICANO.

IN LAPIDE PORPHYRETICO, MVRO INFIXO.

SIXTVS V. P. P. M. Bibliothecam Apostolicam Sanctis-

ecerit, libros partemve aliquam abstulerit, extraxerit, clepserit, rapseritque; concerpserit, corruperit, dolo malo; illicò à fideliũ cõmunione eiectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto: à quoquam, præterquàm Rom. P. P. ne absoluitor.

IBIDEM MANV HENRICI IIX. ANGLORVM *Regis Libro de 7. Sacramentis, contra Lutherum hac verba inscripta leguntur.*

Anglorum Rex HENRICVS, LEONI X. mittit hoc opus, & fidei testem & amicitiæ.

IN BELVEDERE SEV HORTIS PONTIFICVM.

PIVS IV. Medices Mediolanensis Pontif. Max. quo commodiores, honestioresque sibi successoribusque hortos Vaticanos redderet, complures aulas, cubicula & scalas circum supraque hemicyclum, pleraque à fundamentis extruxit: quasdam in veterem formam restituit, atque exornauit, Anno salutis M. D. LXII. Pontif. sui ann. III. Kal. Ian. absoluit.

IBIDEM.

PIVS IV. Medices Mediolanensis Pontif. Max. hanc in nemore Palatij Apostolici aream, porticũ, fontem, ædificiumque construxit, vsuique suo & succedentium sibi Pontificum dedicauit. Ann. sal. M. D. LXI.

IN DOMO INQVISITIONIS.

PIVS V. Pontif. Max. Congregationis sanctæ Inquisitionis domum hanc, quò hæreticæ prauitatis sectatores cautius coercerentur, à fundamentis in augmentum Catholicæ religionis erexit. Anno M. D. LXIX.

IN

IN PRIVATA IVLII III. BIBLIOTHECA.

IVLIVS III. P. M. ad honestam ab ingentibus curis animi relaxationem, litterarij ocij fructum & iucunditatem, Bibliothecam priuatam fieri & exornari iussit, Pontificatus sui anno primo.

VRBS ROMA AD PONTIFICEM, INCHOATO OPERE. SIXTO V. PONTIF. MAX.

Quod singulari pietate & magnificentiâ Obeliscum mirandæ magnitudinis ex AEgypto olim ab Octauiano Augusto, alij à Caio Caligula in vrbem aduectum, & in Circo dein Vaticano collocatum, ac progressu temporum ruderibus semisepultum, ex neglecto & infrequenti illustriorem in locum ante limina Basilicæ sancti Petri, quo cunctis patere, adeoque ingens moles conspicua esse posset, transferendum, erigendum, in eiusdemque summitate salutarem Christi Crucem affigendam decreuit; vt qui Tiberio Imp. quondam dicatus, gentilium superstitioni inferuierat, diuino nunc cultui addicendus, Christi de vtroque Cæsare, Augusto sub quo natus est, ac Tiberio sub quo passus, atque adeò inuictæ Crucis de omni Idololatria clarissimâ victoriam loco celeberrimo demonstret. Ob rem igitur præclarissimè tentatam, felicemq; propediem exitum sortituram, tot sumptus erogari, tot difficultates superari cęptas, vrbs votis conceptis, publica acclamatione Magnificentissimũ Principem prosecuta lubēs gratulatur.

SIXTO V. P. M. Fidei Catholicæ propagatori, Disciplinæ Christ. instauratori, pacis cõseruatori, virtu-

virtutum remuneratori, ſcelerum vindici,
magnarumque rerum auctori,
Vrbs egregijs illius beneficijs exhilarata,
Patri ſanctiſſimo & Principi
Summarum actionum laude clariſſimo
publica lætitia gratulatur:
Obeliſco magno ad limina S. Petri aſportato,
inuictiſſimæque cruci dicato,
Ad perpetuum Chriſtianæ pietatis monumentum.

GVILIELMVS BLANCVS ALBIENSIS
I. C.

Pyramis vt fidei poſthac inſeruiat alma,
SIXTVS eam transfert, ſacrat & ipſe Cruci.
Nec mirum eſt tantæ transferri pondera molis,
Nam transfert montes indubitata fides.

EIVSDEM ANAGRAMMA:

SIXTVS V. DE MONTE ALTO.
TANTOS EXVLES DOMVIT.

Gens potens armis, inimica pacis,
Fuſo inundabat Latium cruore,
Et dabat rubris abolenda flammis
Tecta ſuperba.
Corde ducebat gemitus ab imo,
Et genas fuſis lacrymis rigabat
Exules cernens equitare inultos
Itala tellus.
Itala ô tellus cohibe dolorem,
Siſte ſub SIXTO lacrumas obortas:
Ecce Saturni rediere tandem
Aurea ſecla,

Dic

Dic io, Paan, age nunc triumphos,
Delphica crines redimita fronde:
EXVLES TANTOS DOMVIT *Peretti*
Ferrea virga.

IN CONCLAVI VICINO BIBLIOTHECAE NOVAE.

Dum Bonauentura eximios numerabitur inter
Doctores iussu, Maxime SIXTE, *tuo:*
Tu quoq, Pontifices inter numerabere primos,
Quis scit, an & maior fama futura tibi.
Tu facis, hic scripsit: tua grandia facta manebunt,
Vt Bonauenturæ grandia scripta manent.

IBIDEM.

Postquam Italis fusos pradones expulit oris,
Sustulit inuictas SIXTVS *ad astra manus:*
Et Didacum æthereis asscripsit ciuibus, illi
Thura dedit, festos instituitq, dies.
Sic tu SIXTE *tibi potuisti ingentibus actis*
Demeruisse solum, demeruisse polum.

IBIDEM.

Vrbs vicina mari medijs sitiebat in vndis,
Nunc dulces SIXTI *munere potat aquas.*

AD STATVAM DVORVM IVVENVM.

SIXTVS IV. Pont. Max. ob immensam benignitatem, æneas insignes statuas, priscæ excellentiæ virtutisque monumentum Populo Romano, vnde exortæ fuêre, restituendas condonandasque censuit. Latino de Vrsis Card. Camerario administrãte, & Ioanne Alperino, Philippo Paloscio, Nicolao Pinciaronio vrbis conseruatoribus, procurantibus, Anno sal. M.CCCC.LXXI. Kal. Ian. XIX.

IN

IN CAMPO MARTIO.

Lac pueris Lupa dulce dedit non sæua gemellis,
Sic Vicine LVPVS dat tibi fontis aquam;
Quæ fluit assiduè, quæ lacte est dulcior ipso,
Purior electro, frigidiorq; niue.
Hinc igitur lymphas benè tersa sedulus vrnâ,
Et puer, & iuuenis portet, anusq; domum.
Fonticulo prohibentur equi, prohibentur aselli,
Nec canis hinc, fœdo nec caper ore bibat.

IN ALIO FONTE.

Fundit aquā Eridanus, Phaëton ruit æthere ab alto;
Temperat iste sitim, temperat iste animum.

IN FONTE ANTE S. MARIAM TRANSTIBER.

Quod blando facilem producit murmure somnum,
Quæ cadit, & tremulos efficit vnda lacus.
Quod sumis puros haustus, nitideq; lauaris,
Instauratori gratia habenda LVPO.
Res animumq; suum spectans dic, Romule, verum,
An minus hic pater est, quam LVPA mater erat.

IN VIA FLAMINIA SVPRA FONTEM LYMPHAE MATRI SACRVM.

Si humano ingenio perpetuò viatoribus parari vina potuissent, non amœnum, quem cernis, fontē C. Lepidus magnâ impensa adauxisset. Pota felix.

IN PONTE SIXTO.

SIXTVS IV. Pont. Max. ad vtilitatem pop. Rom. peregrinæque multitudinis ad Iubilæum venturæ,

Pontem hunc, quem meritò ruptum vocabant, à fundamētis magna cura & impensa restituit, SIXTVMque suo de nomine appellari voluit. M.CCCC. LXXV.

Qui transis SIXTI IV. beneficio, Deum roga, vt Pontif. O. M. diu nobis saluet ac sospitet. Bene vale, quisquis es, vbi hæc precatus fueris.

IN S. PETRO IN VATICANO.

IVLIVS II. PONTIF. MAX. ædem D. PETRO dicatam, vetustate collabentem, in digniorem ampliorem que formam vt erigat, fundamenta iecit Anno Christi M. D. VII. Veterem Constantinus Imp. ædificauit.

EPITAPHIVM AD SEPVLCRVM PROBI, quod debemus MAFFAEO VEGIO Canonico, qui Versus musco natò desuper obductos exactè descripserit.

Eximij resolutus in ætheris æquore tantum
Curris iter cunctis integer à vitijs.
Nomine quod resonas imitatus moribus æquè
Iordane ablutus, nunc PROBVS es melior.
Diues opum, clarumq; genus, præclarus honore,
Fascibus inlustris, consule dignus auo.
Bis gemina populos præfectus sede gubernans;
Has mundi phaleras, hos procerum titulos
Transcendis senior donatus munere Christi,
Hic est verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare prius mensa regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitiæ

Nunc

Nunc propior Christo Sanctorum sede potitus,
Luce noua frueris, Lux tibi Christus adest.
O nunquam deflende tuis cùm vita maneret,
Corporis atq; artus spiritus hos regeret.
Primus eras nulliq; Patrum virtute secundus,
Nunc renouatus habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nullâ velamina culpâ,
Et nouis insuetis incola liminibus,
His solare tuos, quanquam solatia mœsta,
Gratia non quærat, gratia Christe tua.
Viuit in æterna paradisi sede beatus,
Qui noua decedens muneris ætherij
Vestimenta tulit, quo demigrante Belial
Cessit & ingemuit hîc nihil esse suum.
Hunc tu Christe choris iungas cœlestibus orò,
Te canat & placidum iugiter aspiciat.
Quiq; tuo semper dilectus pendet ab ore,
Auxilium soboli coniugioq; ferat.

Vide Annales Card. Baronij Tom. IIII.

EPITAPHIVM PROBAE PROBI CONIVGIS.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces
Dices, quantus erat qui PROBVS hic situs est.
Consulibus, proauis soceriisq; & consule maior,
Quod geminas consul reddidit ipse domos.
Præfectus quartùm toto dilectus in orbe,
Sed famâ emensus quidquid in orbe hominum est.
Aeternos heu Roma tibi qui posceret annos,
Cur non vota tui vixit adusq; boni?
Nam cùm sexdenos mensis suspenderet annos,
Dilectæ gremio raptus in æthra PROBAE.

Sed periisse PROBVM meritis pro talibus absit
Credas Roma tuum: viuit, & astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum, nulli largus at ipse fuit.
Solamen tanti coniux tamen optima luctus
Hoc PROBA sortita est, iungat vt vna pares.
Felix heu nimium felix, dum vita maneret,
Digno iuncta viro, digna simul tumulo.

NICOLAI V. PONTIF.

Hic sita sunt quinti NICOLAI Antistitis ossa,
Aurea qui dederat secula, Roma, tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos, doctior ipse, viros.
Abstulit errorem, quo Schisma infecerat vrbem,
Restituit mores, mœnia, templa, domus.
Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
Sancta Iubilai tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, & Coniugis aureo,
Res Italas icto fœdere composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit. en tumulo fundite thura sacro.

Sedit annos VIII. D. XIX. vixit annos LXII. M. IIII. D. IX. Philippus Card. Bonon. fratri sanctissimo pos. Anno M.CCCC.LV.

EVGENII IIII.

EVGENIVS iacet hic Quartus, cor nobile cuius
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu,
Alter ab occasu Cæsar vterque pedes:

Alter

Alter vt accipiat fidei documenta latina,
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armenij Graiorum exempla secuti
Romani agnorunt, Aethiopesq́, fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundiq́, è finibus Indi;
Magna, sed hac animo cuncta minora suo.
Nam validâ rursum Teucros iam classe petebat,
Dum petit, ecce illum sustulit atra dies.
Qui semper vanos mundi contempsit honores,
Atq; hac impressa, condite, dixit, humo.
Sed non quem rubro decorauerat ille galero,
Non hoc Francisci stirps sua clara tulit.
Susceptiq́, memor meriti, tam nobile quod nunc
Cernis tam præstans surgere iussit opus.
Obijt Anno M.CCCC.XLVII. VII. Kal. Martij.

PII II. PONTIF. MAX.

PIVS II. PONT. MAX. natione Tuscus, patria Senensis, gente Picolominæa, sedit annos VI. Breuis Pontificatus ingens fuit gloria. Conuentum Christianorum Mantuæ pro fide habuit. Oppugnatoribus Rom. Sedis intra atque extra Italiam restitit. Catharinam Senensem inter SS. Christi retulit. Pragmaticam in Gallia abrogauit. Ferdinandum Arragonensem in regnum Siciliæ cis fretum restituit. Rem Ecclesiæ auxit. Fodinas inuenti tum primùm aluminis apud Tolpham instituit. Cultor Iustitiæ & Religionis, admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconæ decessit, ibi & classem paratam & Ducem Venetorum cum suo Senatu commilitones Christi habuit. Relatus est in vrbem Patrum decreto, & hîc conditus, vbi caput Andreæ Apostoli ad se ex Peleponeso adue-

ctum collocari iusserat. Vixit Ann. LVIII. M. IX. D. XXVII.

Franciscus Card. Senens. Auunculo sanctiss. F. Anno Domini M. CCCC. LXIV.

PAVLI II. VENETI PONTIF. MAX.

PAVLVS II. Venetus Pontif. Max. è vetusta Barbarorum familia, præclaris naturæ dotibus, auunculo Eugenio IIII. non inferior. Iustitiæ, pietatis, diuinarumque ceremoniarum cultor religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis maiestatisque defensor constantissimus, præcipuo pacis seruandæ studio, & singulari omnis generis munerum abstinētia, formidanda etiam lege Magistratibus indicta, clarissimus. In Principes munificentia, in pauperes misericordia insignis. Patrio amore annonæ copiā vrbi dedit. Patrimonium B. Petri, erratis populorum indulgentiss. parentis affectu emendatis & conseruauit & auxit. Furentes armis hæreticos repressit, & quod per difficilem rerum temporumve conditionem effici cum dignitate non poterat, maturâ cunctatione saluberrimè disposuit. Vixit An. LIII. M. X. D. XXVI. Sedit Ann. VI. M. D.

Marcus Barbus Card. S. Marci, Patriarcha Aquilegiens. consanguineo B. M. pos. Anno salutis M. CCCC. LXXVII.

SIXTI IV. PONT. MAX.

SIXTO IV. Pontif. Max. ex ordine Minorum, doctrina & magnitudine animi omnis memoriæ Principi, Turcis Italia submotis, auctoritate Sedis aucta,

aucta, vrbe instaurata, templis, ponte, foro, vijs, Bibliotheca in Vaticano publicata, Iubilæo celebrato, Liguria seruitute liberatâ, cùm modicè ac plano solo condi se mandauisset, Iulianus Cardin. patruo B.M. maiore pietate quàm impensâ F.C.

Obijt Idib. Sext. horâ ab occasu quinta, Anno Christi M. CCCC. LXXXIIII. Vixit Ann. LXX. D. XXII. H. XII.

PII III. PONT. MAX.

PIVS III. Pont. Max. à PIO II. Auunculo II. & XX. annos natus in Cardd. Collegium adscitus, Vrbis ac Piceni Legationibus integerrimè functus, à Paulo II. ad Fredericum III. missus, vt Germanorum arma in Turcas concitaret, conuentum frequentissimum Pontificis morte dissolutum habuit. Sub Innocentio VIII. Vmbros dissidentes pacauit. Carolo Gallorum Regi Italiam irrumpenti, ab Alexandro VI. serò admodum obuiam missus. Eo mortuo II. & XL. Patrum suffragijs Pontifex creatus, dum de restituenda in pristinam maiestatem Christiana Repub. ac Vrbe agit, VI. & XX. die, è tanta expectatione rerum publico omnium luctu decessit. Eloquio, prudentia, Religione, innocentia & grauitate domi forisque insignis, in dicendis in Senatu sententijs liber & grauis. Vixit ann. LXIIII. M. V. D. X. Obijt ann. salutis M. D. III. XV. Kal. Nouemb.

Iacobus & Andreas fratri sanctiss. pp.

LEONIS X. PONT. MAX.

LEONIS X. PONT. MAX. DEPOSITVM.

Deliciæ humani generis LEO maxime, tecum
Vt simul illuxêre, interière simul.

Corpus postea ad B. Mariæ super Mineruam translatum est.

CLEMENTIS VII. PONT. MAX.

CLEMENTIS VII. Pontif. Max. cuius inuicta virtus sola clementia superata est. Obijt Anno M. D.XXXIIII.VI.Kal.Octob. Sedit ann.X.M.X.D.VIII.

Ad S. Mariæ super Mineruam nunc iacet.

PAVLI III. PONT. MAX.

Discite mortales fluxa vt sit gloria mundi,
Vt terrena breui tempore regna ruant.
Qui Petri nuper sacrata in sede sedebam,
Dum tegeret nostrum sacra Tiara caput;
Qui potui dudum populis dare iura subactis,
Ante meos Reges procubuêre pedes.
Maximus & Cæsar pedibus dedit oscula nostris,
Numen vt in terris iam veneratus eram.
Tertius hîc gelido condor sub marmore P.AVLVS,
Continet hac cineres nunc breuis vrna meos.
Pontificem gessi summum ter quinque per annos,
Tempestiua senem me Libitina rapit.
Funera non lacrumis mea sunt spargenda, peregi
Naturæ cursum, mors noua vita fuit.

Obijt anno M.D.XLIX.IIII.Idus Nouemb.

LAV-

LAVRENTII FLORENTINI SCVLPTORIS.

Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam,
Nemo alio vellet naſci & obire loco.

IN S. PETRI AD VINCVLA.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO Epiſcopo Carpentoractis, S. R. E. Presb. Card. Viro morum grauitate, prudentia & vitæ integritate præſtantiſs. doctrina & eloquentia cum ijs, quos mirata eſt antiquitas, comparando: Paulus Sadoletus Epiſcopus Carpentoractis, & Camillus Sadoletus fratrum filij mœſtiſſimi, multis cum lacrymis patruo B.M. pro tempore Poss. Vixit ann. LXX. M. III. D. VI.

IBIDEM.

NICOLAVS DE CVSA Treuer. S. Petri ad Vincula Card. Brixien. Epiſcopus Tudertinus, obijt M. CCCC. LXIV. XI. Auguſti ob deuotionem catenarum S. Petri hic ſepeliri voluit. Dilexit Dominum, timuit & veneratus eſt, ac illi ſoli ſeruiuit, promiſſio retributionis non fefellit eum. Vixit ann. LXIII.

IN S. MARIA MAIORI IN ESQVILINO.

D. O. M.

FRANCISCO TOLETO Cordubenſi, S. R. E. Presb. Card. ſummo Theologo, Verbi Dei prædicatori eximio, in rebus magnis agendis conſilio & prudentia ſingulari, qui ob excellentem virtutem & merita præclaro Clementis VIII. Pont. Max. iudicio primus in Societatem IESV ampliſſimam dignita-

gnitatem intulit.

Vixit ann. LXIII. M. XI. D. X.

Obijt anno M. D. XCVI. die XIV. Sept. Sancta Dei Genitrice herede instituta, presbyteris qui ad eius altare Missas celebrent censum perpetuò attribui iussit. Benedictus Iustinianus & Petrus Aldobrandinus Card. Executores Testamentarij Collegæ opt. & Capitulum & Canonici huius Capituli viro amplifs. & optimè de se merito pos.

D. O. M.

PROSPERO SANCTACRVCIO S. R. E. Card. Episcopo Albanensi: qui ob eximias animi ingenijque virtutes, post primaria Palatina officia & Ecclesiasticas dignitates à Pio I V. P. M. Cardin. creatus, legationib' Germanica, Lusitanica, Hispanica, & Gallica bis flagrante intestino bello, prouincia egregia cum laude functis, maximisque toto vitæ cursu pro Repub. susceptis laboribus, Obijt ætatis anno LXXVI. Salutis M. D. LXXXIX. Marcellus Sanctacrucius Valeri. F. ex fratre nepos posuit.

IN SACELLO PII V. PONT. MAX.

Solymum Turcarum Tyrannum multis insolentem Victorijs, ingenti parata classe, Cyproque expugnata, Christianis extrema minitantem, PIVS V. fœdere cum Philippo II. Hispp. Rege ac Repub. Veneta inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ classi præficiens, ad Echinadas hostibus XXX. mill. cæsis, X. mill. in potestatē redactis, triremibus CLXXX. captis, XC. demersis, XV. mill. Christianis à seruitute liberatis, precibus & armis deiicit.

IBI-

IBIDEM AD SINISTRAM.

Galliam, Carolo IX. Rege, perduellium hæreticorumque nefarijs armis vexatam, vt de Regno deque religione actum videretur, PIVS V. Sfortiæ Comitis Sanctæfloræ ductu, missis equitum peditumque auxiliaribus copijs, periculo exemit: hostibusque deletis victoriam exportauit. Regi Regnum cum religione restituit. Signa de hostibus capta ad Lateranensem Basilicam suspendit.

PIO V. PONT. MAX.

Ex Ord. Prædicatorum,

SIXTVS V. PONT. MAX.

Ex Ord. Minorum,

GRATI ANIMI MONVMENTVM
posuit.

PIVS V. gente Gisleria Boschi in Liguria natus, Theologus eximius, à Paulo III. in Insubria hæreticæ prauitatis Inquisitor, à Iulio III. S. Inquisitionis officij Commissarius generalis; à Paulo IV. Episcopus Sutrinus, deinde S. R. E. TT. S. Mariæ super Mineruam Presb. Card. & à Pio IV. Ecclesiæ Montisregalis in Subalpinis administrator factus; eo vita functo, summo Cardinalium consensu Pontif. Max. creatur. qui veteres sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propagauit, Ecclesiasticam disciplinam restituit: tandem gestarum rerum gloria clarus, dum maiora molitur, totius Christianæ Reipubl. damno nobis eripitur, Kal. Maij M.D.LXXII. Pontif. anno VII. ætatis suæ LXVIII.

EIVS

EIVSDEM EPITAPHIVM IN S. ANDREAE SACELLO ANTE CORPORIS *translationem.*

PIVS V. PONT.
Religionis ac pudicitiæ vindex,
Recti & iusti assertor,
Morum & disciplinæ restaurator,
Christianæ rei defensor.
Salutaribus editis legibus,
Galliâ conseruatâ,
Principibus fœdere iunctis,
Partâ de Turcis victoriâ,
Ingentibus ausis & factis,
Pacis belliq; gloria,
MAXIMVS,
PIVS, FELIX. OPT. PRINC.

IBIDEM.

Petra PETRVM *tegit hæc, animamq; fouet petra Christus,*
Sic saluum retinet vtraq; petra PETRVM.

PLATINAE.

Quisquis es (si pius) PLATINAM & suos ne vexes, angustè iacent, & soli volunt esse Demetri alumni. Moritur anno M.CCCC.LXXXI.
Frederico III. Rom. Imp. & Sixto IV. Pontif.

Qui res Pontificum sacras, & gesta piorum,
Quiq; Ducum vitas nobile fecit opus:
Quiq; modum docuit, quo laudet honesta voluptas,
Et quo ne iuuenes torqueat acer amor:
Pluraq; quæ longum est properè censere, Viator,
Omnia sidereæ pignora mentis erant.

Viuit

Viuit adhuc PLATINA,& quanquã cõcesserit Orco,
Nil tamen in Vatem Parca seuera potest.
PROSPER SPIRITEVS amico pos.

IN S. MARIAE SVPRA MINERVAM, *olim Mineruæ.*

PAVLI IV. PONT. MAX.

IESV CHRISTO SPEI ET VITAE FIDELIVM.

PAVLO IV. CARRAFAE Pont. Max. Eloquẽtia, doctrina, sapientia singulari, innocentia, liberalitate, animi magnitudine præstantiss. scelerum vindici integerrimo; Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, PIVS V. Pont. Max. grati & pij animi monumentum pos. Vixit ann. LXXXIII. M. I. D. XV. Obijt M.D.LIX. Kal. Septemb. Pontificatus sui anno V.

IBIDEM.

Hic quiescit IOANNES DE TVRRE CREMATA, Episcopus Sabinens. S. R. E. Card. S. Sixti, qui obijt XXV. Sept. Anno M.CCCC.LXV. R. I. P.

EIVSDEM TESTAMENTVM IN SACRISTIA PRO PVELLIS PAVPERIBVS.

Ne malè patrandis stupris, quòd auara merendo
Forma puellaris sæpè coëgit inops:
Annua pauperibus stips est hic pensa viritim,
Dosq; maritatis condita virginibus.
Munus & officium sancti celebrate Quirites;
Cùm vicena venit Martia quinta dies;
Terrestri vt censu cœlestia regna paretis,
Pollicita & vobis centupla merces erit.

FRAN-

28

I V [illegible]

Petra [illegible]

Sic [illegible]

Qui[illegible]
xes, ang[illegible]
lumni.
Frede[illegible]

Qui re[illegible]
Qui[illegible]
Quiq[illegible]
Et q[illegible]
Plur aq[illegible]
Om[illegible]

BENEDICTI PATRICII VENETI.

[illegible] annos,
[illegible] vas [illegible].
[illegible]
[illegible] M.CCCC.XCV. VI. Non. Iulij.
[illegible] VIII. M. [illegible] D. XV.

M. ANT. MVRETVS C. R.

[illegible] videri
[illegible].
[illegible]
[illegible].
[illegible] credes.
[illegible] Lapis [illegible]
[illegible] addere nomen?
[illegible].
[illegible] virtus,
[illegible].

IVLII.

[illegible] Nomen IVLI[illegible]
[illegible]

GABRIELIS TRIVISANI.

[illegible] Quiri[illegible]
[illegible].
[illegible] Pater,
[illegible].

IN SANCTA MARIA DE AN[illegible]

[illegible]

D. O. M.

[illegible] VI. PONT. MAX. [illegible]

insigni inferioris Germaniæ vrbe, qui dum rerum humanarum maximè auersatur splendorem, vltrò à proceribus ob incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac propè diuinam castissimi animi moderationem, Carolo V. Cæs. Augusto præceptor, Ecclesiæ Dertusensis Antistes, sacri Senatus Patribus collega, Hispp. Regis Præses, Reipublicæ denique Christianæ diuinitus Pontifex absens adscitus, Vixit Ann. LXIV. Mens. VI. Dies XIII. Decessit XIIX. Kal. Octob. Anno à partu Virginis M. D. XXIII. Pontificatus sui anno II.

VVilhelmus Enkefortius illius benignitate & auspicijs tit. S. Ioannis & Pauli Presbyter, Card. Dertusensis faciend. curauit.

PROH DOLOR; QVANTVM REFERT, IN QVAE TEMPORA OPTIMI CVIVSQ. VIRTVS INCIDAT!

IN EFFIGIEM, VITAM, ATQVE OBITVM HADRIANI VI.

Vltraiectini Belgæ, Pont. opt. max.

Quæ facies tam dia viri? Sextine Adriani?
Hoc ita, quo functus munere? penè Dei.
Quis dedit hunc? humli TRAIECTVM stirpe, supremus,
Sed cui mox dominæ traditus vrbis apex.
Qui docuêre virum? GRVDII, Belgi orbis Athenæ,
Hic vbi Gymnasium condidit ille nouum.
O bene! Sed tenui quis opes suffecit & aurum
Discipulus CAESAR Carolus Austriades.
Qui pius & gratus, Pellæi more Monarchæ,
Rectorem hunc voluit nosset vt omnis IBER.

LEONIS X. PONT. MAX.

LEONIS X. PONT. MAX. DEPOSITVM.

Deliciæ humani generis LEO maxime, tecum
Vt simul illuxêre, interiêre simul.

Corpus postea ad B. Mariæ super Mineruam translatum est.

CLEMENTIS VII. PONT. MAX.

CLEMENTIS VII. Pontif. Max. cuius inuicta virtus sola clementia superata est. Obijt Anno M. D.XXXIIII.VI.Kal.Octob. Sedit ann.x.M.x.D.VIII.

Ad S. Mariæ super Mineruam nunc iacet.

PAVLI III. PONT. MAX.

Discite mortales fluxa vt sit gloria mundi,
Vt terrena breui tempore regna ruant.
Qui Petri nuper sacrata in sede sedebam,
Dum tegeret nostrum sacra Tiara caput;
Qui potui dudum populis dare iura subactis,
Ante meos Reges procubuêre pedes.
Maximus & Cæsar pedibus dedit oscula nostris,
Numen vt in terris iam veneratus eram.
Tertius hîc gelido condor sub marmore PAVLVS,
Continet hæc cineres nunc breuis vrna meos.
Pontificem gessi summum ter quinque per annos,
Tempestiua senem me Libitina rapit.
Funera non lacrumis mea sunt spargenda, peregi
Naturæ cursum, mors noua vita fuit.

Obijt anno M.D.XLIX.IIII.Idus Nouemb.

LAV-

LAVRENTII FLORENTINI SCVLPTORIS.

Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam,
Nemo alio vellet nasci & obire loco.

IN S. PETRI AD VINCVLA.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO Episcopo Carpentoractis, S. R. E. Presb. Card. Viro morum grauitate, prudentia & vitæ integritate præstantiss. doctrina & eloquentia cum ijs, quos mirata est antiquitas, comparando: Paulus Sadoletus Episcopus Carpentoractis, & Camillus Sadoletus fratrum filij mœstissimi, multis cum lacrymis patruo B.M. pro tempore Poss. Vixit ann. LXX. M. III. D. VI.

IBIDEM.

NICOLAVS DE CVSA Treuer. S. Petri ad Vincula Card. Brixien. Episcopus Tudertinus, obijt M. CCCC. LXIV. XI. Augusti ob deuotionem catenarum S. Petri hic sepeliri voluit. Dilexit Dominum, timuit & veneratus est, ac illi soli seruiuit, promissio retributionis non fefellit eum. Vixit ann. LXIII.

IN S. MARIA MAIORI IN ESQVILINO.

D. O. M.

FRANCISCO TOLETO Cordubensi, S. R. E. Presb. Card. summo Theologo, Verbi Dei prædicatori eximio, in rebus magnis agendis consilio & prudentia singulari, qui ob excellentem virtutem & merita præclaro Clementis VIII. Pont. Max. iudicio primus in Societatem IESV amplissimam di-

gnitatem intulit.

Vixit ann. LXIII. M. XI. D. X.

Obijt anno M. D. XCVI. die XIV. Sept. Sancta Dei Genitrice h erede instituta, presbyteris qui ad eius altare Missas celebrent censum perpetuò attribui iussit. Benedictus Iustinianus & Petrus Aldobrandinus Card. Executores Testamentarij Collegæ opt. & Capitulum & Canonici huius Capituli viro amplis. & optimè de se merito pos.

D. O. M.

PROSPERO SANCTACRVCIO S. R. E. Card. Episcopo Albanensi: qui ob eximias animi ingenijque virtutes, post primaria Palatina officia & Ecclesiasticas dignitates à Pio I V. P. M. Cardin. creatus, legationib' Germanica, Lusitanica, Hispanica, & Gallica bis flagrante intestino bello, prouincia egregia cum laude functis, maximisque toto vitæ cursu pro Repub. susceptis laboribus, Obijt ætatis anno LXXVI. Salutis M. D. LXXXIX. Marcellus Sanctacrucius Valeri. F. ex fratre nepos posuit.

IN SACELLO PII V. PONT. MAX.

Solymum Turcarum Tyrannum multis insolentem Victorijs, ingenti parata classe, Cyproque expugnata, Christianis extrema minitantem, PIVS V. fœdere cum Philippo II. Hispp. Rege ac Repub. Veneta inito, M. Antonium Columnam Pontificiæ classi præficiens, ad Echinadas hostibus XXX. mill. cæsis, X. mill. in potestatē redactis, triremibus CLXXX. captis, XC. demersis, XV. mill. Christianis à seruitute liberatis, precibus & armis deijcit.

IBI-

IBIDEM AD SINISTRAM.

Galliam, Carolo IX. Rege, perduellium hæreticorumque nefarijs armis vexatam, vt de Regno deque religione actum videretur, PIVS V. Sfortiæ Comitis Sanctæfloræ ductu, missis equitum peditumque auxiliaribus copijs, periculo exemit: hostibusque deletis victoriam exportauit. Regi Regnum cum religione restituit. Signa de hostibus capta ad Lateranensem Basilicam suspendit.

PIO V. PONT. MAX.

Ex Ord. Prædicatorum,

SIXTVS V. PONT. MAX.

Ex Ord. Minorum,

GRATI ANIMI MONVMENTVM posuit.

PIVS V. gente Gisleria Boschi in Liguria natus, Theologus eximius, à Paulo III. in Insubria hæreticæ prauitatis Inquisitor, à Iulio III. S. Inquisitionis officij Commissarius generalis; à Paulo IV. Episcopus Sutrinus, deinde S. R. E. TT. S. Mariæ super Mineruam Presb. Card. & à Pio IV. Ecclesiæ Montisregalis in Subalpinis administrator factus; eo vitâ functo, summo Cardinalium consensu Pontif. Max. creatur. qui veteres sanctos Pontifices æmulatus, Catholicam fidem propagauit, Ecclesiasticam disciplinam restituit: tandem gestarum rerum gloria clarus, dum maiora molitur, totius Christianæ Reipubl. damno nobis eripitur, Kal. Maij M.D.LXXII. Pontif. anno VII. ætatis suæ LXVIII.

EIVS

EIVSDEM EPITAPHIVM IN S. ANDREAE SACELLO ANTE CORPORIS *translationem.*

PIVS V. PONT.
Religionis ac pudicitiæ vindex,
Recti & iusti assertor,
Morum & disciplinæ restaurator,
Christianæ rei defensor.
Salutaribus editis legibus,
Galliâ conseruatâ,
Principibus fœdere iunctis,
Partâ de Turcis victoriâ,
Ingentibus ausis & factis,
Pacis belliq; gloria,
MAXIMVS,
PIVS, FELIX. OPT. PRINC.

IBIDEM.

Petra PETRVM tegit hæc, animamq; fouet petra Christus,
Sic saluum retinet vtraq; petra PETRVM.

PLATINAE.

Quisquis es (si pius) PLATINAM & suos ne vexes, anguste iacent, & soli volunt esse Demetri alumni. Moritur anno M.CCCC.LXXXI.
Frederico III. Rom. Imp. & Sixto IV. Pontif.

Qui res Pontificum sacras, & gesta piorum,
Quiq; Ducum vitas nobile fecit opus:
Quiq; modum docuit, quo laudet honesta voluptas,
Et quo ne iuuenes torqueat acer amor:
Pluraq; quæ longum est properè censere, Viator,
Omnia sidereæ pignora mentis erant.

Viuit

Viuit adhuc PLATINA, & quanquã cõcesserit Orco,
Nil tamen in Vatem Parca seuera potest.
PROSPER SPIRITEVS amico pos.

IN S. MARIAE SVPRA MINERVAM, *olim Mineruæ.*

PAVLI IV. PONT. MAX.

IESV CHRISTO SPEI ET VITAE FIDELIVM.

PAVLO IV. CARRAFAE Pont. Max. Eloquẽtia, doctrina, sapientia singulari, innocentia, liberalitate, animi magnitudine præstantiss. scelerum vindici integerrimo; Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, PIVS V. Pont. Max. grati & pij animi monumentum pos. Vixit ann. LXXXIII. M. I. D. XV. Obijt M. D. LIX. Kal. Septemb. Pontificatus sui anno V.

IBIDEM.

Hic quiescit IOANNES DE TVRRE CREMATA, Episcopus Sabinens. S. R. E. Card. S. Sixti, qui obijt XXV. Sept. Anno M. CCCC. LXV. R. I. P.

EIVSDEM TESTAMENTVM IN SACRISTIA PRO PVELLIS PAVPERIBVS.

Ne malè patrandis stupris, quòd auara merendo
Forma puellaris sæpè coëgit inops:
Annua pauperibus stips est hîc pensa viritim,
Dosq; maritatis condita virginibus.
Munus & officium sancti celebrate Quirites,
Cùm vicena venit Martia quinta dies;
Terrestri vt censu cœlestia regna paretis,
Pollicita & vobis centupla merces erit.

FRAN-

FRANCISCI NERI.

Qui nunquam in curis consumpsit inanibus æuum,
FRANCISCVS NERVS clauditur hoc tumulo.
Vixit ann. LXXVI. Obijt IV. Id. Iulij M. D. LXIII.

D. O. M.

STANISLAO HOSIO Polono, S. R. E. Presb.
Card. Varmiensi Episc. maiori Pœniten-
tiario, vitæ sanctitate, eruditionis
& eloquentiæ gloria
celeberr.
Catholicæ fidei acerr. propugnatori. qui cum
antiquæ probitatis & Episc. vigilantiæ
præstantiam in humilitate, ca-
ritate, castitate, benefi-
centia expressisset,
Hæret. sectas, scriptis & consilijs Sapientiss.
feruenter oppugnasset, multos ab er-
roribus reuocasset, grauiss. Q.
legationibus pro pace
Ecclesiæ Dei,
tùm apud Carolum V. & Ferdin. Cæss. tum
præcipuè in S. Concil. Trident. PII IV. Pont.
nomine feliciss. perfunctus, Christianæ
Reipub. plurimùm profuisset, om-
nium virtutum laudibus & ex-
emplis ad imitandum ab-
undans,
obdormiuit in Dom. Non. Aug. ann. salutis
M. D. LXXIX. ætatis suæ LXXVI. Stanislaus
patruo, & Stanisl. Rescius patro-
no beneficentiss. execut.
testam. poss.

D. O. M.

D. O. M.

PETRO BEMBO Patricio Veneto, ob eius singulares virtutes à Paulo III. Pontif. Max. in sacrum Collegium cooptato, Torquatus Bembus P. Obijt xv. Kalend. Feb. CIↃ.IↃ.XLVI. Vixit annos LXXVI.M.VII.D.XXVIII.

Hic BEMBVS iacet Aonidum laus maxima Phœbi,
Cum Sole & Luna vix periturus honos.
Hic & fama iacet, spes & suprema galeri,
Quam non vlla queat restituisse dies.
Hic iacet exemplar vitæ omni laude carentis:
Summa iacet summâ hîc cum Pietate Fides.

D. O. M.

NICOLAO ARDINGHELLO Florentino primariæ nobilitatis viro, quem Iuris vtriusque consultissimum, omnisque virtutis ac sapientiæ laude præstantem ad Episcopatum Forosemproniens. prouectum, cùm Paulus III. Pontif. Max. Piceno primùm cum honore Vicariæ legationis imponeret, deinde supplicum libellis præficeret, demùm in sacrum Cardinalium Collegium adoptaret, tituloque S. Apollinaris insigniret, non tam hominem quàm honorem cohonestare visus est. Annos natus IV. & XL. in medio virtutum & honorum curriculo ereptus acerbum sui desiderium reliquit omnibus X. Kalend. Septembr. M. D. XLVII.

Alexander Ruspolus Bartholomæi & Mariæ Ardinghellæ F. ob memorem erga consanguineum optimum voluntatem P. Anno post conditam salutem M.D.C.I.

BENE-

BENEDICTI PATRICII VENETI.

Viuite mortales; cura, quot viuitis annos,
Non sit; sed, vobis quam benè vita fluat.
Obijt anno M.CCCC.XCV. VI. Non. Iulij.
Aetatis XLVIII. M. VII. D. XV.

M. ANT. MVRETVS C. R.

Sic mea naturam manus est imitata, videri
Possit vt ipsa meas esse imitata manus.
Saepè meis tabulis ipsa est delusa, suumq;
Credidit esse, mea quod fuit artis opus.
Miraris, dubitasq;? audito nomine credes.
Sum RAPHAEL, hei mî, quid loquor? immò fui.
Et tamen his dictis quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea & audito est notissima nomine virtus,
Et praestare vicem nominis ipsa potest.

IVLII.

Patria Roma fuit, Gens Portia, Nomen IVLVS.
Mars puerum instituit, Mors iuuenem rapuit.

GABRIELIS TRIVISANI.

Lustrandi studio veterum decora alta Quiritum
Veni, pro hospitio Roma dedit tumulum.
Forma, anni, mores, patria genus, & Pater, & res
Aequa mihi; mors haec risit, & abripuit.

IN SANCTA MARIA DE ANIMA,
Templo Germanorum,

D. O. M.

HADRIANO VI. PONT. MAX. ex Traiecto insig-

insigni inferioris Germaniæ vrbe, qui dum rerum humanarum maximè auersatur splendorem, vltrò à proceribus ob incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac propè diuinam castissimi animi moderationem, Carolo V. Cæs. Augusto præceptor, Ecclesiæ Dertusensis Antistes, sacri Senatus Patribus collega, Hispp. Regis Præses, Reipublicæ denique Christianæ diuinitus Pontifex absens adscitus, Vixit Ann. LXIV. Mens. VI. Dies XIII. Decessit XIIX. Kal. Octob. Anno à partu Virginis M. D. XXIII. Pontificatus sui anno II.

VVilhelmus Enkefortius illius benignitate & auspicijs tit. S. Ioannis & Pauli Presbyter, Card. Dertusensis faciend. curauit.

PROH DOLOR; QVANTVM REFERT, IN QVAE TEMPORA OPTIMI CVIVSQ. VIRTVS INCIDAT!

IN EFFIGIEM, VITAM, ATQVE OBITVM HADRIANI VI.

Vltraiectini Belgæ, Pont. opt. max.

Quæ facies tam diæ viri? Sextine Adriani?
Hoc ita, quo functus munere? penè Dei.
Quis dedit hunc? humili TRAIECTVM stirpe, supremus,
Sed cui mox dominæ traditus vrbis apex.
Qui docuêre virum? GRVDII, Belgi orbis Athenæ,
Hic vbi Gymnasium condidit ille nouum.
O bene! Sed tenui quis opes suffecit & aurum
Discipulus CAESAR Carolus Austriades.
Qui pius & gratus, Pellæi more Monarchæ,
Rectorem hunc voluit noscet vt omnis IBER:

Nouit, & inde sacra radiantem luce Tiara
Pontificem LATII percoluère Patres.
Omnia sic vnum decorarunt maxima BELGAM,
Traiectum, Grudij, Caesar, Iber, Latij.

Maxaemilianus Vrintius
S. P. Q. Gand. à secretis.

ANONYMI.

Quo Romanorum Sextus Pater atque Sacerdos,
Hoc etiam Pietas conditur in tumulo.

ALIVD.

HADRIANVS VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quàm quod imperaret.

ANTE CORPORIS TRANSLATIONEM IN D. PETRI IN VATICANO.

Insignis Pietas tua, HADRIANE,
Viuenti tibi profuit, decusq;
Aurei diadematis parauit.
Iure id me hercle, at aequius, tuaeq;
Certius Pietatis hoc trophaeum est,
Defunctus quod honoribus tot, inter
Duos contigerit PIOS iacere.

IBIDEM IN SACELLO S. CATHARINAE.

SEDENTE PAVLO II.

DOMINICO CAPRANICENSI TT. S. ✠ in Hierusalem, Presbytero Card. Antistiti Firmano, maiori poenitentiario, XII. Apostolicis legationibus claro, Pacis Italicae in annos XXV. constitutori,

tori, doctrina, religione, & sanctis semper operibus admirabili.

ANGELVS eiusdem TT. Card. vnanimi fratri ac sibi commune Mon. hoc fecit. Vixit idem DOM. Ann. LVIII.

BLONDO FLAVIO

FOROLIVIENSI historico celebri, multorum Pont. Rom. Secretario fidelissimo, Blondi quinque filij patri bene merenti vnanimes posuêre. Vixit ann. LXXI. Obijt prid. Non. Iun. Anno salutis M. CCC. LXIII. PIO Pontif. Max. sibi natisque fauente.

Fui non sum. Estis non eritis. Nemo immortalis.
Moriens vt viueret, Vixit vt moriturus.

D. O. M. S.

FRANCISCVS ORANVS Franc. F. Leodicen. Patricius in hac arce terrarum S. E.
eam per annos plures incoluit, atque ipsa
eum coluit
in Duodecemuirali Rota Senatorem:
quod munus annos XVII. sustinuit,
cum qua peritia, integritate & laude?
ipsam roga:
fama communis non mentitur.
Inclaruit & legatione duplici in Germaniam
super arduis rebus;
& potuit dignitatibus adijcere
sed mors manum iniecit
nondum maturo & nato annos LIV.
non sine publico sensu,
& parentis fratrumque luctu

qui absentes monumentum hoc
optimè merito P.S.PP.
Obijt XIV.Kal.Augusti, anno CIↃ.IↃ.XCIX.
Habes,abito,aut paululum etiam sistito,
Ore atq; corde etiam precare mortuo.

D. O. M.

ALEXANDRO IUNIO Antuerpiensi, quod oppidum est in Belgis nobilissimum, honestiss. parentibus nato: Romæ ob virtutem ad honores euecto,& auditoris sacri Palatij munere integerrimè functo, hæredd. PP. Vixit ann. XXX. M.XI. Obijt V.Kal.Octob.An.M.D.LVIII.

Roma peregrino magnos mandârat honores,
Quos immaturo funere mors rapuit.
Disce meo exemplo virtuti præmia nunquam.
Deesse,sed & quouis tempore disce mori.

IBIDEM.

VVILHELMO ENCKEVORTIO S.R.E. Presbytero Card. pluribus Romanæ Reipub. Magistratibus,& Germaniæ procuratione integerrimè functo, ab HADRIANO VI. Pont. Max. cuius item res administrauerat libellis dandis, & Ecclesiæ Dertusens. Præfectus,& in Cardinalium Collegiũ claro beneuolentiæ iudicio, translatis in eum pristinæ suæ dignitatis insignibus, solus cooptatus. Deinde etiam à Clemente VII. Ecclesia Traiectensi honestatus est. Carolo V.Imp. Iubentissimus, cùm ab illo coronam Imperij accipiens, inunctus est: quique beneficiorum memor HADRIANI cadauer è Petri Basilica in hanc ædem (cuius construendæ & ornandæ adiutor fuit) sepulcro posito transferri

ferri curauit. In egenos & in omnes homines beneficentissimus.

Ioan. Dominicus Tranens. Antonius Sanctseuerinus, Card. & P. Voestrius Episcopus Aques. Audr. Castillo scriptor Apostolicus ex testam. PP.

Vixit ann. LXX. obijt anno M.D.XXXIV.

IBIDEM.

Si benedicta fui, benedicis & vndiq; si me,
Inter & electos sum benedicta Deo.
Cur me fles fili? morimur non deniq; cuncti?
Non moribunda fui, non moriturus ades?
Fle, fle te miserum, fle, fle tua crimina, fle, fle,
Quòd procul à patria sumq; sepulta mea.
Improba sed si Mors nos corpore falce diremit,
Nos animo nunquam dissociabit amor.

D. O. M.

D. IOANNI GROPPERO, Religionis fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles summis cum periculis pro Ecclesiæ ac Religionis conseruatione, magno semper & inuicto animo, exantlatos labores, multaque præclara literarum monumenta edita, ob perpetuam Fidei Pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam summasque virtutes, absenti nec quidquam minus cogitanti in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegiũ cooptato, præmatura adhuc morte, & quando sui opera inprimis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri pijssimo atque opt. mer. Godefridus & Casparus Gropperij fratres mœstiss. PP. Vixit ann. LVII. D. XVIII. Obijt VII. Id. Mart. ann. M.D.LVII.

Alfonsus Ciacconius in Vitis Pontificum, scribit GROPPERVM *Pontifici Paulo IIII. gratias egisse, & purpuram remisisse, redditâ facti ratione. Obijt Coloniæ, in Metropolitana Ecclesia sepultus, Romæ tamen legitur præcedens inscriptio.*

IBIDEM.

GREGORIO ALBERTONIO raræ indolis puero, Onuphrius & Iulia parentes mœstissimi, filio vnico dulciss. ac B.M.P.P. Vixit ann. XII.

Blandidulus, nitidus, dulcissimus, vnicus infans,
Matris deliciæ, deliciæq; Patris,
Hic tegitur raptus teneris GREGORIVS *annis,*
Vt rosa quæ subitis imbribus icta cadit.

D. O. M.

HENRICO GRAVIO, eximiæ probitatis spectatæque eruditionis viro, quem post quatuor lustrorum in florentiss. Louaniensi Academia S. Th. publicam professionem Sixtus V. Pont. Max. insignis eruditionis ergò Romam euocauit, Gregorius XIV. in Pontificiam aulam excepit, sed amplioribus dignum honoribus Christus in cælum euexit die II. Aprilis, Anno Dom. CIↃ.IↃ. XCI. ætatis suæ LV.

CAROL. FRID. DVCIS CLIVENSIS ET IVLIAE.

CAROLVS FRIDERICVS, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Dux, Marchiæ & Rauenspergi Comes, Rauensteini Dominus, ingenio, ac supra ætatem rerum & linguarum vsu, singulariq; in Deum pietate clarus, Gregorio XIII. Pontif. Max. ad annum Iubilæum Christiani orbis populos conuocante, post

post acceptos in auunculi sui Maximiliani II. Cæs. Augusti aula, alijsque in locis varios honores, religionis & optimarum disciplinarum studio Romã veniens, magnificentiss. ab eodem Pont. Max. excipitur, reclusâ portâ sancta. In solemnibus sacris gladio pileoq; de more consecratis ab eodem Pontifice honestatur. Omnibus Christianæ pietatis officijs perfunctus, sanctissimi Iubilæi beneficio expiatus, dum ad suos redire cogitat, graui morbo correptus, in terris, vt cœlo frueretur, esse desijt. Eius funus Pont. Max. benigna voluntate, qua venientem exceperat, ægrotantem inuiserat, cùm ingés omnium Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum frequentia conuenisset, amplissimis exequijs & pompâ magnificâ, totius vrbis summo mœrore, ac incredibili desiderio celebratum. Consummatus in breui expleuit tempora multa; Placita enim erat Deo anima illius.

Guilielmus Dux filio dulciss. maiori natu fac. cur. Vixit ann. XIX. dies XII. Obijt anno M.D.LXXV. Id. Febr.

D. O. M.

VALERIO CORDO Simesusio, Eurici Medici & Poetæ F. integritate, moribus, ingenio, comitate præstantissimorum doctorum omnium admiratione merito, qui naturæ obscuritatem & herbarum vires adhuc adolescens senibus explicauit. Cùm expleri cognoscendi cupiditate non posset, perlustratâ Germaniâ, Italiam adijt; Venetijs in honore habitus, & Romam vix ingressus, crudelissima febre, inter amicorum lacrumas non recuperabili studiorum ia-

ctura florente æuo extinguitur, anno ætatis suæ XXIX. Homini optimè merito socij Germani pietatis ergô PP. Anno salutis humanæ M.D.XLIV.VI. Kal.Oct. hora 5. noctis.

Ingenio superest CORDVS, mens ipsa recepta est
Cœlo; quod terra est, maxima Roma tenet.

IBIDEM.

Noscere Pœonias herbas, viresq; medendi,
Iam natura, homini facta nouerca, negat.
Inuidiosa Macri rapuit monimenta vetustas,
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
Hunc extinctum igitur vitæ florentibus annis
Tam procul à patria, Crimen Apollo tuum est.
Lilia sic, violæq; cadunt, absinthia florent;
Quanta eheu rebus damna parata bonis!
Italia huic tumulum, tribuit Germania vitam;
Quid poterat nasci, clarius, atq; mori?

IBIDEM.

Scis, remeare datum nulli post iusta: daretur
Si mihi, sim nullus, si remeare velim.
Aetates omnes defunctum sera vocauit
Mors; reliquum vitæ quid, nisi pœna, fuit?
Sanctè si Musas colui, fortasse sepultus
Vita inter viuos nunc meliore fruor.

IN S. IOANNIS IN LATERANO.

IN TVMVLO AENEO MARTINI V. PONT. MAX.

MARTINVS V. PAPA, sedit PP. per annos XIII.M.III.D.XII. Obijt anno M. CCCC. XXXI. die XX. Februar. Temporum suorum felicitas.

LAV-

LAVRENTIO VALLAE.

Harum ædium sacrarum Canonico Alfonsi Regis & Pontif. Max. Secretario Apostolicoque scriptori, qui sua ætate omnes eloquentiâ superauit, Catharina mater filio pientiss. Pos. Vixit annos L. Obijt anno M.CCCC.LXV. August. Kal.

LAVRENS VALLA iacet Romanæ gloria linguæ,
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

ANONYMI.

Tandem VALLA iacet, solitus qui parcere nulli est
Si quæris, quid agat, nunc quoq; mordet humum.

Dum Bartholomæus Facius VALLAE inuisus mox quoque moreretur, quidam falsè in vtrumque hoc carmen lusit.

Ne vel in Elysiis sine vindice VALLA susurret,
FACIVS haud multos post obit ipse dies.

D. O. M.

LVCIO SAXO Neapolitano tit. SS. Quirici & Iulittæ, S.R.E. Presb. Card. qui V. C. Marij Saxi patris sui quondam CAROLI V. Aug. in regno Neapolitano Consiliarij, ab eodemque ad varias regẽdas prouincias adhibiti laudes æmulatus, cùm se iuuenis Romam contulisset, ob doctrinam atque prudentiam inter Iustitiæ Referendarios à Iulio III. P. M. Gratiæ à Pio IV. adscriptus, primusq; ad Episcopatum Ripæ Transonis à Pio V. prouectus, sacræ inde Pœnitentiariæ à Gregorio XIII. præpositus, ac Sacrosanctæ huius Lateranens. Ecclesiæ per annos ferè xx. Vicarius, ab Vrbano VII. Datarius creatus, in eodemque munere à duobus sequenti-

bus Pontificib. Greg. XIV. & Innocentio IX. confirmatus, tandem à Clemente VIII. sola assiduorũ pro Apostolica Sede laborũm inspectione, prima lectione vnà cum Illustriss. nepotibus nominationis prærogatiua in amplissimum ordinem adscitus, non minus ex eo accepit quàm eidem contulit ornamenti.

Marius Saxus Fabij F. hæres patruo opt. mer. atq; omni honore digniss. Pos. Vixit ann. LXXXII. M. IV. D. VIII. Obijt prid. Kal. Martij anno M. DCIV.

ANONYMI.

Vixi quod volui, semper benè pauper, honestè:
Nullum fraudaui, quod iuuat ossa mea.

IN AEDE D. ANTONII DE PADVA, IN CAMPO MARTIO, NATIONIS *Lusitaniæ.*

D. O. M.

MARTINVS AB AZPILCVETA Nauarrus H. S. E. Diuini humaniq́ue Iuris consultiss. qui Salmáticæ primùm, deinde Conymbricæ, fauétibus Portugalliæ Regibus, Ius Pontificium docuit. Romam profectus, PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. PP. MM. carus, omnibus nationibus gratus, huic Xenodochio beneficus. Obijt XI. Kal. Iulij M. D. XXCVI. ætatis anno XCIV. M. VI. D. VIII. Multis doctrinæ suæ peruulgatis monumentis, Martinus Zuria auunculo B. M. Pos.

ANAGRAMMA.

MARTINVS AB AZPILCVETA.
BEATVS IN CAELVM ASPIRAT.

IN-

INSCRIPTIO TEMPLI SOCIETATIS IESV.

ALEXANDER FARNESIVS Card. S. R. E. Vicecancellarius, Pauli III. Pont. Max. nepos, cuius authoritate SOC. IESV recepta primùm fuit, & decretis amplissimis ornata, Templum hoc suæ monumentum & religionis & perpetuæ in eum ordinem voluntatis funditus extruxit. An. Iubilæi M.D.LXXV.

In templo ante Aram maximam.

ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS
S. R. E. VICECANCELL.
EPISCOPI OSTIENSIS
HVIVS ECCLESIAE
FVNDATORIS.

Hic dum templa Deo ponit FARNESIVS heros,
Sedem illi æthereâ ponit in arce Deus.

D. O. M.

BENCIVS hic situs est Musarum maxima cura;
Orator, Vates, Rhetor & Historicus.
MVRETI auditor, tantum quo sæpè Magistrum
Discipulo memorant complacuisse sibi.
Qui passu propiore Ducis vestigia magni
Dum sequitur, dedit hos Calliopeia sonos:
Carmine & Eloquio minor vno hoc BENCIVS esto:
At reliquis maior BENCIVS esto meus.

Obijt Anno M.D.XCIV.

IN

IN S. MARIAE DE PACE.

ANTE ARAM MAXIMAM.

Perpetuæ Virgini Genitrici Dei MARIAE, salutis Pontificię restitutæ auctori INNOCENTIVS VIII. Pont. Max. ex deuotione pos.

MARCI MVSVRI CRETENSIS.

MVSVRE ô mansure parum, properata tulisti
Præmia, namq; citò tradita, rapta citò.

Claruit sub Leone X. Pont. Max.

Antonius Amiternus MARCO MVSVRO Cretensi, exactæ diligentiæ Grammatico, & miræ felicitatis Poetæ POS.

Quæ sola Eloquij superabat gloria, & illam
Perdidimus, tecum vixit & interijt.

PETRI MARSI.

IVLII SATVRNI.

Patris erat quondam spes & solamen IVLVS,
Nunc desiderium mortuus & lacrumæ.

IN S. MARIAE DE POPVLO.

IN ARA.

DIVO LAVRENTIO MARTYRI S.

LAVRENTIVS Episcopus Albanens. Card. Beneuentanus, ne mors deuotionis affectum præueniret, sacellum hoc dicauit, ditauitque.

HERMOLAI BARBARI.

Barbariem HERMOLEOS Latio qui depulit omnem
BARBARVS hic situs est, vtraq; lingua gemit.

Vrbs

Vrbs Venetum vitam, Mortem dedit inclyta Roma;
Non potuit nasci, nobiliusve mori.
Obijt anno M.CCCC.XCIV.

ALIVD PER IVL. CAES. SCALIGERVM.

Quid primum, quid postremum, quid deniq; dicam?
Quid sileam? en instant cuncta parata simul.
Maxima nobilitas, facies diuina, supremum
Ingenium, sancta pectora, pura manus.
Solum id quod nunquam fuerit, nesciuerat: immò
Hoc, at cum caussis, non fore sciuit item.
Vnicus è cœlo cecidit, non tertius astris,
Integer vt cecidit, integer astra petit.
Heu, heu, cur iuuenem rapuit mors inuida? viuâ
Principis haud poterat nomine ROMA frui.

FELIS MORSV MORTVI.

Hospes disce nouum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

ALIVD INCERTAE POSITIONIS.

Quem niue nocte peto, nucis hic me stipite cadit,
Sit mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.

IOAN. CONSTANTINOP. PROT. APOSTOL.

Vis tibi post mortem firmas promittere sedes?
Ante oculos semper fulmina mortis habe.

D.O.M.

D. O. M.

IOANNI BAPT. PALLAVICINO
Genuensi
S. R. E. ad titulum S. Apollinaris,
Card. Caualliceusi,
Antoniotti Card. S. Praxedis
ex fratre Nep.
Eximia Iuris scientiâ, & bonarum litterr.
cognitione præstanti.
Per omnes forensium dignitatum gradus
ad Cardinalatum euecto.
A Leone X. Hadriano VI. Clemente VII.
ad summas res adhibito.
In medio honorum cursu
immatura morte prærepto.
IOAN. BAPT. vtr. sign. refer. &
BABILANVS PALLAVICINI fratres
Patruo magno
bene de familia merito
memoriæ causa P P.
M.D.XCVI.
Vixit ann. XLIV. Obijt anno salutis M.D.XXIV.
Idib. Augusti.

D. O. M.

IO. HIERONYMO ALBANO Bergomati, Card. I. C. generis nobilitate, morum elegantia, vitæ splendore, monimentis ingenij doctrinæq; clariss. Reipubl. Venetæ Collaterali generali, matrimonio ac cœlibatu, asperis ac secundis rebus æquè probato, Catholicæ religionis egregio dictis factisque assertori ac vindici, ob eas res à PIO V. summo Põtifice difficillimis pop. Christiani temporibus in Collegium Cardinalium adscito, in sen-

ſententijs dicendis facundia, grauitate, ſapientia ſingulari. Extrema iam ætate pios inter amplexus carorum & oſcula ſenſim extincto,

Io. Dominicus Cæſ. Comes parenti opt.
mer. P. C.
Vixit ann. LXXXIII. Ob. VI. Kal. Maias,
Anno ſal. M.D.XCI.

IBIDEM.

LVDOVICO LVCENAE Hiſpano, qui præter cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximam coluit, vt omnibus aſſiduè benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet.

IBIDEM.

HORTENSIAE AGAZARIAE MELINAE Vxori vnanimi, concordi, dulciſs. Petrus Melinus coniux deſolatiſſimus, mœroris ſui monumentum POS. Vixit ann. XIX. M. II.

Méne fugis, nec cara ſequor te HORTENSIA? plus te
Pecco ego. te cogit fatum, ego lege vetor.
Hoc rumpi non poſſe Dei docuere, ſed illam
Si qua via eſt, frangi poſſe docebit Amor.

IN S. MARIA TRANSPONTINA.

IVLIVS hic tegitur COSSVS Romanus in vrnâ,
Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex.
Quo viuente olim victricis gloria Romæ
Viuere viſa fuit, quo moriente mori.

IN S. MARIA IN VIA NOVA.

GREGORIO XI. LEMOVICENSI, humanitate & doctrinâ pietateque admirabili, qui vt Italiæ ſedi-

qui absentes monumentum hoc
optimè merito P.S.PP.
Obijt XIV.Kal.Augusti, anno CIↃ.IↃ.XCIX.
Habes, abito, aut paululum etiam sistito,
Ore atq; corde etiam precare mortuo.

D. O. M.

ALEXANDRO IVNIO Antuerpiensi, quod oppidum est in Belgis nobilissimum, honestiss. parentibus nato: Romæ ob virtutem ad honores euecto, & auditoris sacri Palatij munere integerrimè functo, hæredd. PP. Vixit ann. XXX. M. XI. Obijt V.Kal.Octob. An. M.D.LVIII.

Roma peregrino magnos mandârat honores,
Quos immaturo funere mors rapuit.
Disce meo exemplo virtuti præmia nunquam.
Deesse, sed & quouis tempore disce mori.

IBIDEM.

VVILHELMO ENCKEVORTIO S.R.E. Presbytero Card. pluribus Romanæ Reipub. Magistratibus, & Germaniæ procuratione integerrimè functo, ab HADRIANO VI. Pont. Max. cuius item res administrauerat libellis dandis, & Ecclesiæ Dertusens. Præfectus, & in Cardinalium Collegiũ claro beneuolentiæ indicio, translatis in eum pristinæ suæ dignitatis insignibus, solus cooptatus: Deinde etiam à Clemente VII. Ecclesia Traiectensi honestatus est. Carolo V. Imp. lubentissimus, cùm ab illo coronam Imperij accipiens, iunctus est: quique beneficiorum memor HADRIANI cadauer è Petri Basilica in hanc ædem (cuius construendæ & ornandæ adiutor fuit) sepulcro posito transferri

ferri curauit. In egenos & in omnes homines beneficentissimus.

Ioan. Dominicus Tranens. Antonius Sanctseuerinus, Card. & P. Voestrius Episcopus Aqueſ. Audr. Castillo scriptor Apostolicus ex testam. P P.

Vixit ann. L X X. obijt anno M. D. XXXIV.

IBIDEM.

Si benedicta fui, benedicis & vndiq; si me,
Inter & electos sum benedicta Deo.
Cur me fles fili? morimur non denique cuncti?
Non moribunda fui, non moriturus ades?
Fle, fle te miserum, fle, fle tua crimina, fle, fle,
Quòd procul à patria sumq; sepulta mea.
Improba sed si Mors nos corpore falce diremit,
Nos animò nunquam dissociabit amor.

D. O. M.

D. IOANNI GROPPERO, Religionis fideíque Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles summis cum periculis pro Ecclesiæ ac Religionis conseruatione, magno semper & inuicto animo, exantlatos labores, multaque præclara literarum monumenta edita, ob perpetuam Fidei Pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam summasque virtutes, absenti nec quidquam minus cogitanti in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegiū cooptato, præmatura adhuc morte, & quando sui opera inprimis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri pijssimo atque opt. mer. Godefridus & Casparus Gropperij fratres mœstiss. P P. Vixit ann. LVII. D. XVIII. Obijt VII. Id. Mart. ann. M. D. LVII.

Alfonsus Ciacconius in Vitis Pontificum, scribit GREGORIUM *Pontifici Paulo IIII. gratias egisse, & purpuram remisisse, reddità facti ratione. Obijt Coloniæ, in Metropolitana Ecclesia sepultus, Romæ tamen legitur præcedens inscriptio.*

IBIDEM.

GREGORIO ALBERTONIO raræ indolis puero, Onuphrius & Iulia parentes mœstissimi, filio vnico dulciss. ac B.M.P.P. Vixit ann. XII.

Blandidulus, nitidus, dulcissimus, vnicus infans,
Matris deliciæ, deliciæq; Patris,
Hic tegitur raptus teneris GREGORIVS *annis,*
Vt rosa quæ subitis imbribus icta cadit.

D. O. M.

HENRICO GRAVIO, eximiæ probitatis spectatæque eruditionis viro, quem post quatuor lustrorum in florentiss. Louaniensi Academia S. Th. publicam professionem Sixtus V. Pont. Max. insignis eruditionis ergò Romam euocauit, Gregorius XIV. in Pontificiam aulam excepit, sed amplioribus dignum honoribus Christus in cælum euexit die II. Aprilis, Anno Dom. CIↃ.IↃ. XCI. ætatis suæ LV.

CAROL. FRID. DVCIS CLIVENSIS ET IVLIAE.

CAROLVS FRIDERICVS, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Dux, Marchiæ & Rauenspergi Comes, Rauensteini Dominus, ingenio, ac supra ætatem rerum & linguarum vsu, singulariq; in Deum pietate clarus, Gregorio XIII. Pontif. Max. ad annum Iubilæum Christiani orbis populos conuocante, post

post acceptos in aunnculi sui Maximiliani II. Cæs. Augusti aula, alijsque in locis varios honores, religionis & optimarum disciplinarum studio Romã veniens, magnificentiss. ab eodem Pont. Max. excipitur, reclusâ portâ sanctâ. In solemnibus sacris gladio pileoq; de more consecratis ab eodem Pontifice honestatur. Omnibus Christianæ pietatis officijs perfunctus, sanctissimi Iubilæi beneficio expiatus, dum ad suos redire cogitat, graui morbo correptus, in terris, vt cœlo frueretur, esse desijt. Eius funus Pont. Max. benigna voluntate, qua venientem exceperat, ægrotantem inuiserat, cùm ingẽs omnium Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum frequentia conuenisset, amplissimis exequijs & pompâ magnificâ, totius vrbis summo mœrore, ac incredibili desiderio celebratum. Consummatus in breui expleuit tempora multa; Placita enim erat Deo anima illius.

Guilielmus Dux filio dulciss. maiori natu fac. cur. Vixit ann. XIX. dies XII. Obijt anno M.D.LXXV. Id. Febr.

D. O. M.

VALERIO CORDO Simesusio, Eurici Medici & Poetæ F. integritate, moribus, ingenio, comitate præstantissimorum doctorum omnium administrationem merito, qui naturæ obscuritatem & herbarum vires adhuc adolescens senibus explicauit. Cùm expleri cognoscendi cupiditate non posset, perlustratâ Germaniâ, Italiam adijt; Venetijs in honore habitus, & Romam vix ingressus, crudelissima febre, inter amicorum lacrumas non recuperabili studiorum ia-

ćturâ florente æuo extinguitur, anno ætatis suæ XXIX. Homini optimè merito socij Germani pietatis ergô PP. Anno salutis humanæ M.D.XLIV.VI. Kal.Oct.hora 5.noctis.

Ingenio superest CORDVS, mens ipsa recepta est
Cœlo; quod terra est, maxima Roma tenet.

IBIDEM.

Noscere Pæonias herbas, viresq; medendi,
Iam natura, homini facta nouerca, negat.
Inuidiosa Macri rapuit monimenta vetustas,
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
Hunc extinctum igitur vita florentibus annis
Tam procul à patria, Crimen Apollo tuum est.
Lilia sic, violæq; cadunt, absinthia florent;
Quanta eheu rebus damna parata bonis!
Italia huic tumulum, tribuit Germania vitam;
Quid poterat nasci, clarius, atq; mori?

IBIDEM.

Scis, remeare datum nulli post iusta: daretur
Si mihi, sim nullus, si remeare velim.
Aetates omnes defunctum sera vocauit
Mors; reliquum vita quid, nisi pœna, fuit?
Sanctè si Musas colui, fortasse sepultus
Vita inter viuos nunc meliore fruor.

IN S. IOANNIS IN LATERANO.

IN TVMVLO AENEO MARTINI V. PONT. MAX.

MARTINVS V. PAPA, sedit PP. per annos XIII.M.III.D.XII. Obijt anno M.CCCC.XXXI. die XX.Februar. Temporum suorum felicitas.

LAV-

LAVRENTIO VALLAE.

Harum ædium ſacrarum Canonico Alfonſi Regis & Pontif. Max. Secretario Apoſtolicoque ſcriptori, qui ſua ætate omnes eloquentiâ ſuperauit, Catharina mater filio pientiſs. Pos. Vixit annos L. Obijt anno M.CCCC.LXV. Auguſt. Kal.

LAVRENS VALLA iacet Romanæ gloria linguæ,
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

ANONYMI.

Tandem VALLA iacet, ſolitus qui parcere nulli eſt
Si quæris, quid agat, nunc quoq; mordet humum.

Dum Bartholomæus Facius VALLAE inuiſus mox quoque moreretur, quidam ſalsè in vtrumque hoc carmen luſit.

Ne vel in Elyſiis ſine vindice VALLA ſuſurret,
FACIVS haud multos poſt obit ipſe dies.

D. O. M.

LVCIO SAXO Neapolitano tit. SS. Quirici & Iulittæ, S.R.E. Presb. Card. qui V. C. Marij Saxi patris ſui quondam CAROLI V. Aug. in regno Neapolitano Conſiliarij, ab eodemque ad varias regẽdas prouincias adhibiti laudes æmulatus, cùm ſe iuuenis Romam contuliſſet, ob doctrinam atque prudentiam inter Iuſtitiæ Referendarios à Iulio III. P. M. Gratiæ à Pio IV. adſcriptus, primuſq; ad Epiſcopatum Ripæ Tranſonis à Pio V. prouectus, ſacræ inde Pœnitentiariæ à Gregorio XIII. præpoſitus, ac Sacroſanctæ huius Lateranenſ. Eccleſiæ per annos ferè XX. Vicarius, ab Vrbano VII. Datarius creatus, in eodemque munere à duobus ſequenti-

bus Pontificib. Greg. XIV. & Innocentio IX. confirmatus, tandem à Clemente VIII. sola assiduorũ pro Apostolica Sede laborum inspectione, prima lectione vnà cum Illustriss. nepotibus nominationis prærogatiua in amplissimum ordinem adscitus, non minus ex eo accepit quàm eidem contulit ornamenti.

Marius Saxus Fabij F. hæres patruo opt. mer. atq; omni honore digniss. Pos. Vixit ann. LXXXII. M. IV. D. VIII. Obijt prid. Kal. Martij anno M. DCIV.

ANONYMI.

Vixi quod volui, semper benè pauper, honestè:
Nullum fraudaui, quod iuuat ossa mea.

IN AEDE D. ANTONII DE PADVA, IN CAMPO MARTIO, NATIONIS *Lusitaniæ.*

D. O. M.

MARTINVS AB AZPILCVETA Nauarrus H. S. E. Diuini humaniq́ue Iuris consultiss. qui Salmāticæ primùm, deinde Conymbricæ, fauētibus Portugalliæ Regibus, Ius Pontificium docuit. Romam profectus, PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. PP. MM. carus, omnibus nationibus gratus, huic Xenodochio beneficus. Obijt XI. Kal. Iulij M. D. XXCVI. ætatis anno XCIV. M. VI. D. VIII. Multis doctrinæ suæ peruulgatis monumentis, Martinus Zuria auunculo B. M. Pos.

ANAGRAMMA.

MARTINVS AB AZPILCVETA.
BEATVS IN CAELVM ASPIRAT.

IN-

INSCRIPTIO TEMPLI SOCIETATIS IESV.

ALEXANDER FARNESIVS Card. S. R. E. Vicecancellarius, Pauli III. Pont. Max. nepos, cuius authoritate SOC. IESV recepta primùm fuit, & decretis amplissimis ornata, Templum hoc suæ monumentum & religionis & perpetuæ in eum ordinem voluntatis funditus extruxit. An. Iubilæi M. D. LXXV.

In templo ante Aram maximam.

ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS
S. R. E. VICECANCELL.
EPISCOPI OSTIENSIS
HVIVS ECCLESIAE
FVNDATORIS.

Hic dum templa Deo ponit FARNESIVS heros,
Sedem illi æthereà ponit in arce Deus.

D. O. M.

BENCIVS hic situs est Musarum maxima cura;
Orator, Vates, Rhetor & Historicus.
MVRETI auditor, tantum quo sæpè Magistrum
Discipulo memorant complacuisse sibi.
Qui passu propiore Ducis vestigia magni
Dum sequitur, dedit hos Calliopeia sonos:
Carmine & Eloquio minor vno hoc BENCIVS esto:
At reliquis maior BENCIVS esto meus.

Obijt Anno M.D.XCIV.

IN

IN S. MARIAE DE PACE.

ANTE ARAM MAXIMAM.

Perpetuæ Virgini Genitrici Dei MARIAE, salutis Pontificię restitutæ auctori INNOCENTIVS VIII. Pont. Max. ex deuotione pos.

MARCI MVSVRI CRETENSIS.

MVSVRE ô mansure parum, properata tulisti
Præmia, namq́; citò tradita, rapta citò.

Claruit sub Leone X. Pont. Max.

Antonius Amiternus MARCO MVSVRO Cretensi, exactæ diligentiæ Grammatico, & miræ felicitatis Poetæ POS.

Quæ sola Eloquij superabat gloria, & illam
Perdidimus, tecum vixit & interijt.

PETRI MARSI.

IVLII SATVRNI.

Patriæ erat quondam spes & solamen IVLVS,
Nunc desiderium mortuus & lacrumæ.

IN S. MARIAE DE POPVLO.

In Ara.

DIVO LAVRENTIO MARTYRI S.

LAVRENTIVS Episcopus Albanens. Card. Beneuentanus, ne mors deuotionis affectum præueniret, sacellum hoc dicauit, ditauitque.

HERMOLAI BARBARI.

Barbariem HERMOLEOS Latio qui depulit omnem
BARBARVS hic situs est, vtraq; lingua gemit.

Vrbs

Vrbs Venetum vitam, Mortem dedit inclyta Roma;
Non potuit nasci, nobiliusve mori.
Obijt anno M.CCCC.XCIV.

ALIVD PER IVL. CAES. SCALIGERVM.

Quid primum, quid postremum, quid deniq; dicam?
Quid sileam? en instant cuncta parata simul.
Maxima nobilitas, facies diuina, supremum
Ingenium, sancta pectora, pura manus.
Solum id quod nunquam fuerit, nesciuerat: immò
Hoc, at cum caussis, non fore sciuit item.
Vnicus è cœlo cecidit, non tertius astris,
Integer vt cecidit, integer astra petit.
Heu, heu, cur iuuenem rapuit mors inuida? viua
Principis haud poterat nomine ROMA frui.

FELIS MORSV MORTVI.

Hospes disce nouum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

ALIVD INCERTAE POSITIONIS.

Quem niue nocte peto, nucis hic me stipite cadit,
Sit mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.

IOAN. CONSTANTINOP. PROT. APOSTOL.

Vis tibi post mortem firmas promittere sedes?
Ante oculos semper fulmina mortis habe.

D.O.M.

ſententijs dicendis facundia, grauitate, ſapientia ſingulari. Extrema iam ætate pios inter amplexus carorum & oſcula ſenſim extincto,

Io. Dominicus Cæſ. Comes parenti opt.
mer. P. C.
Vixit ann. LXXXIII. Ob. VI. Kal. Maias,
Anno ſal. M. D. XCI.

IBIDEM.

LVDOVICO LVCENAE Hiſpano, qui præter cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximam coluit, vt omnibus aſſiduè benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet.

IBIDEM.

HORTENSIAE AGAZARIAE MELINAE Vxori vnanimi, concordi, dulciſs. Petrus Melinus coniux deſolatiſſimus, mœroris ſui monumentum POS. Vixit ann. XIX. M. II.

Méne fugis, nec cara ſequor te HORTENSIA? plus te
Pecco ego. te cogit fatum, ego lege vetor.
Hoc rumpi non poſſe Dei docuere, ſed illam
Si qua via eſt, frangi poſſe docebit Amor.

IN S. MARIA TRANSPONTINA.

IVLIVS hic tegitur COSSVS Romanus in vrnâ,
Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex.
Quo viuente olim victricis gloria Romæ
Viuere viſa fuit, quo moriente mori.

IN S. MARIA IN VIA NOVA.

GREGORIO XI. LEMOVICENSI, humanitate & doctrinâ pietateque admirabili, qui vt Italiæ ſedi-

seditionibus laboranti mederetur, Sedem Pontificiam Auenionem diu translatam, diuino afflatus numine, hominumque maximo plausu post ann. LXX. Romam feliciter reduxit, Pontificatus sui anno VII. S.P.Q.R. tantæ religionis & beneficij non immemor, Gregorio XIII. Pont. Opt. comprobante, anno ab orbe redempto M. D. LXXXIV. POS.

Obijt annô M.CCC.LXXVIII. VI. Kal. Apr. circâ
secundam noctis horam, Pontif. sui anno
VII. M. II. D. XXIX.

IN MONASTERIO S. GREGORII IN COELIO.

D. O. M.

IOAN. FRANC. POGGIO Florentino, cum Virtute ac Constantia, morum grauitate, vitâ integerrimè actâ, paternâ suaque laude, eloquentiæ ac literarum, Iuris quoque Ciuilis & Pontificij diuinæque scripturæ cumulata doctrina, religiosè viuenti, religiosiùs supremo die functo, Vincent. Lucæ Martinus fratris eius gener, paren. apud se locũ semper adsecuto, opt. mer. POS. Obijt anno Domini M. CCCC. XXII. Die XXV. Iunij. Vixit ann. LXXIX. M. III.

Olim Pierides, olim Florentia mater
Viuente risit POGGIO.
Nunc tumulũ hunc adit, & donũ pro carmine flores
Fert, proq; risu lacrumas:
Quæ nisi pro vera modò sint Pietate, rogabit
Arnus ministret vt suas.

PLACIDI FVSCI MEDICI.

Post obitum viuo melius, doleoq; medendi

Arti-

Artibus extremum sæpè fugasse diem.
Obijt pridie Idus Mart. M.D.LXXIV. Vixit ann. LXIV.M.V.D.II.

EDVARDI CARNI.

EDVARDO CARNO BRITANNO I.C. oratori, summis de rebus Britāniæ Regum ad Imperatorem, ad Reges, bisque ad Romanam & Apostolicam sedem; quarum in altera legatione à Philippo Mariaque pijs Regibus missus, oborto deinde, post mortem Mariæ, in Britannia schismate, sponte patria carens ob Catholicam fidem cum magna integritatis veræque pietatis existimatione decessit. Hoc monumentū Galfridus Vachanus, & Thomas Fremannus amici ex test. Pos. obijt M. D. LXI. 14. Cal. Febr.

ANDREAE DE CASTRO.

Adsit, & legat hac notata vita,
Trepidet, moneo licet iuuenta:
Sit forti atque animo potens, eundum est,
Nec quâ, scire licet, viâ, venit mors,
Clamper mille modos; en ipse florens
Equi calce feri peremptus hic sum.
Quare viuito iam benè ac paratus.

ANDREAE DE CASTRO, Iuueni Salmant. & quidem frugi fatorū inuidia ac spe crescente erepto, Christophorus de Castro auunculus paterna pietate posuit. Vixit ann. XXVI. obijt XXVI. Ianuar. anno M. D. XXI.

ROBERTI PECHAMI.

ROBERTO PECHAMO Anglo, equiti aurato,

Philippo & Mariæ Angliæ & Hispan. Regibus olim à Consilijs, genere, religione, virtute præclaro; qui cum patriam suã à fide Catholica deficiẽtem aspicere sine summo dolore non posset, relictis omnibus, quæ in vita carissima esse solent, in voluntariũ profectus exilium, post sex annos pauperibus (rei rari exempli) hæredibus ex testamento institutis, sanctissimè è vita migrauit, Id. Septẽb. M. D. LXIX. ætatis suæ LIV. Thomas Goldoueldus Episc. Asauens. & Thomas Kirtonus Angli testamenti Procuratores POSS.

STATII TVMVLVS.

STATIVS hic situs est, iuuenẽ quem Cypris ademit,
Præconem AEneæ carmine quòd premeret.

STATIO StatI fil. dulciss. Christophora Mater pientiss. POS. Vixit annos XXXIII.

IN TEMPLO APOSTOLORVM.

BESSARIO Episcopus Tusculanus S. R. E. Card. Patriarcha Constantinopolitanus, Nobili Græcia ortus oriundusque sibi viuus POS. Anno salut. M. CCCC. LXVI. ætatis LXXVII.

Τοῦτ' ἐπὶ Βησσαρίων ζῶν ἄνυσα σώματι σῆμα,
Πνεῦμα δὲ φευξεῖται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Quod distichon Maioranus Salentinus ita vertit.

Bessarion feci hunc tumulum, qui conderet ossa,
Venerat vnde olim spiritus, astra petet.

M. ANTONII COLVMNAE PARENTES POSVERVNT.

Si spectas annos; bimum luxere parentes;
Si mentem, iste senex nascitur, & moritur.

IN S. CHRYSOGONI TRANS-TYBERIM.

HIERONYMO ALEANDRO Mottensi, è comitibus Landri in Carnia, Petræ Pilosæ in Histria oriundo T.T. S. CHRYSOGONI S.R.E. Presb. Card. Brundusino, Philosophiæ & Theologiæ Doctori, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliquotque aliarum linguarum exoticarum, ita exactè docto, vt eas rectè & aptè loqueretur & scriberet, mox diuersis legationibus pro Summis Pont. ad omnes ferè Christianos Principes fideliter & diligenter perfuncto, & ideò in tabem delapso, quanti humanam miseriam fecerit, sequenti distich, de se edito, testatum posteris reliquit:

Κάτθανον οὐκ ἀέκων ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμάρτυς
Πολλῶν, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Quod est:

Excessi è vitæ ærumnis faciliśq; lubensq;
Ne peiora ipsa morte dehinc videam.

Natus est Mottæ in Carnia Anno M. CCCC. LXXIX. Moritur Romæ, Anno Christ. salut. M. D. XLII. ætatis suæ LXII. minus diebus XIII. Hæredes patruo amplissimo & opt. mœstissimi P. C.

Non tibi pro tumulo hoc, quãtumuis nobile marmor
Ponimus: hoc cineres, aridaq; ossa tegat.
Non longos titulos, subiectos casibus ipsos,
Et quibus erasis, ipse superstes eris:
Sed totam Europam, quã docto in nomine, oberras,
Quaq; tuas laudes vix ALEANDRE *capit.*

LATOMVS POS.

GVIDONIS PISANI.

Sedis Apostolicæ GVIDO *Cancellarius ipse,*

ctura florente æuo extinguitur, anno ætatis suæ XXIX. Homini optimè merito, socij Germani pietatis ergô PP. Anno salutis humanæ M.D.XLIV.VI. Kal.Oct.hora 5.noctis.

Ingenio superest CORDVS, mens ipsa recepta est
Cœlo; quod terra est, maxima Roma tenet.

IBIDEM.

Noscere Pœonias herbas, viresq; medendi,
Iam natura, homini facta nouerca, negat.
Inuidiosa Macri rapuit monimenta vetustas,
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
Hunc extinctum igitur vita florentibus annis,
Tam procul à patria, Crimen Apollo tuum est.
Lilia sic, violæq; cadunt, absinthia florent;
Quanta eheu rebus damna parata bonis!
Italia huic tumulum, tribuit Germania vitam;
Quid poterat nasci, clarius, atq; mori?

IBIDEM.

Scis, remeare datum nulli post iusta: daretur
Si mihi, sim nullus, si remeare velim.
Aetates omnes defunctum sera vocauit
Mors; reliquum vita quid, nisi pœna, fuit?
Sanctè si Musas colui, fortasse sepultus
Vita inter viuos nunc meliore fruor.

IN S. IOANNIS IN LATERANO.

IN TVMVLO AENEO MARTINI V. PONT. MAX.

MARTINVS V. PAPA, sedit PP. per annos XIII.M.III.D.XII. Obijt anno M. CCCC. XXXI. die XX.Februar. Temporum suorum felicitas.

LAV-

LAVRENTIO VALLAE.

Harum ædium sacrarum Canonico Alfonsi Regis & Pontif. Max. Secretario Apostolicoque scriptori, qui sua ætate omnes eloquentiâ superauit, Catharina mater filio pientiss. Pos. Vixit annos L. Obijt anno M.CCCC.LXV. August. Kal.

LAVRENS VALLA iacet Romanæ gloria linguæ,
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

ANONYMI.

Tandem VALLA iacet, solitus qui parcere nulli est
Si quæris, quid agat, nunc quoque mordet humum.

Dum Bartholomæus Facius VALLAE inuisus mox quoque moreretur, quidam falsè in vtrumque hoc carmen lusit,

Ne vel in Elysiis sine vindice VALLA susurret,
FACIVS haud multos post obit ipse dies.

D. O. M.

LVCIO SAXO Neapolitano tit. SS. Quirici & Iulittæ, S.R.E. Presb. Card. qui V. C. Marij Saxi patris sui quondam CAROLI V. Aug. in regno Neapolitano Consiliarij, ab eodemque ad varias regēdas prouincias adhibiti laudes æmulatus, cùm se iuuenis Romam contulisset, ob doctrinam atque prudentiam inter Iustitiæ Referendarios à Iulio III. P. M. Gratiæ à Pio IV. adscriptus, primusq; ad Episcopatum Ripæ Transonis à Pio V. prouectus, sacræ inde Pœnitentiariæ à Gregorio XIII. præpositus, ac Sacrosanctæ huius Lateranens. Ecclesiæ per annos ferè XX. Vicarius, ab Vrbano VII. Datarius creatus, in eodemque munere à duobus sequenti-

bus Pontificib. Greg. XIV. & Innocentio IX. confirmatus, tandem à Clemente VIII. sola assiduorũ pro Apostolica Sede laborum inspectione, prima lectione vnà cum Illustriss. nepotibus nominationis prærogatiua in amplissimum ordinem adscitus, non minus ex eo accepit quàm eidem contulit ornamenti.

Marius Saxus Fabij F. hæres patruo opt. mer. atq; omni honore digniss. Pos. Vixit ann. LXXXII. M. IV. D. VIII. Obijt prid. Kal. Martij anno M. DCIV.

ANONYMI.

Vixi quod volui, semper benè pauper, honestè:
Nullum fraudaui, quod iuuat ossa mea.

IN AEDE D. ANTONII DE PADVA, IN CAMPO MARTIO, NATIONIS *Lusitaniæ.*

D. O. M.

MARTINVS AB AZPILCVETA Nauarrus H. S. E. Diuini humaniq́ue Iuris consultiss. qui Salmãticæ primùm, deinde Conymbricæ, fauẽtibus Portugalliæ Regibus, Ius Pontificium docuit. Romam profectus, PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. PP. MM. carus, omnibus nationibus gratus, huic Xenodochio beneficus. Obijt XI. Kal. Iulij M. D. XXCVI. ætatis anno XCIV. M. VI. D. VIII. Multis doctrinæ suæ peruulgatis monumentis, Martinus Zuria auunculo B. M. Pos.

ANAGRAMMA.

MARTINVS AB AZPILCVETA.
BEATVS IN CAELVM ASPIRAT.

IN-

INSCRIPTIO TEMPLI SOCIETATIS IESV.

ALEXANDER FARNESIVS Card. S. R. E. Vicecancellarius, Pauli III. Pont. Max. nepos, cuius authoritate SOC. IESV recepta primùm fuit, & decretis amplissimis ornata, Templum hoc suæ monumentum & religionis & perpetuæ in eum ordinem voluntatis funditus extruxit. An. Iubilæi M. D. LXXV.

In templo ante Aram maximam.

ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS
S. R. E. VICECANCELL.
EPISCOPI OSTIENSIS
HVIVS ECCLESIAE
FVNDATORIS.

Hic dum templa Deo ponit FARNESIVS *heros,*
Sedem illi æthereâ ponit in arce Deus.

D. O. M.

BENCIVS hic situs est Musarum maxima cura;
Orator, Vates, Rhetor & Historicus.
MVRETI auditor, tantum quo sæpè Magistrum
Discipulo memorant complacuisse sibi.
Qui passu propiore Ducis vestigia magni
Dum sequitur, dedit hos Calliopeia sonos:
Carmine & Eloquio minor vno hoc BENCIVS esto:
At reliquis maior BENCIVS esto meus.

Obijt Anno M. D. XCIV.

IN

IN S. MARIAE DE PACE.

ANTE ARAM MAXIMAM.

Perpetuæ Virgini Genitrici Dei MARIAE, salutis Pontificię restitutæ auctori INNOCENTIVS VIII. Pont. Max. ex deuotione pos.

MARCI MVSVRI CRETENSIS.

MVSVRE ô mansure parum, properata tulisti
Præmia, namq; citò tradita, rapta citò.

Claruit sub Leone X. Pont. Max.

Antonius Amiternus MARCO MVSVRO Cretensi, exactæ diligentiæ Grammatico, & miræ felicitatis Poetæ POS.

Quæ sola Eloquij superabat gloria, & illam
Perdidimus, tecum vixit & interijt.

PETRI MARSI.

IVLII SATVRNI.

Patriæ erat quondam spes & solamen IVLVS,
Nunc desiderium mortuus & lacrumæ.

IN S. MARIAE DE POPVLO.

IN ARA.

DIVO LAVRENTIO MARTYRI S.

LAVRENTIVS Episcopus Albanens. Card. Beneuentanus, ne mors deuotionis affectum præueniret, sacellum hoc dicauit, ditauitque.

HERMOLAI BARBARI.

Barbariem HERMOLEOS Latio qui depulit omnem
BARBARVS hic situs est, vtraq; lingua gemit.

Vrbs

Vrbs Venetum vitam, Mortem dedit inclyta Roma;
Non potuit nasci, nobiliusve mori.
Obijt anno M.CCCC.XCIV.

ALIVD PER IVL. CAES. SCALIGERVM.

Quid primum, quid postremum, quid deniq; dicam?
Quid sileam? en instant cuncta parata simul.
Maxima nobilitas, facies diuina, supremum
Ingenium, sancta pectora, pura manus.
Solum id quod nunquam fuerit, nesciuerat: immò
Hoc, at cum caussis, non fore sciuit item.
Vnicus è cœlo cecidit, non tertius astris,
Integer vt cecidit, integer astra petit.
Heu, heu, cur iuuenem rapuit mors inuida? viuis
Principis haud poterat nomine ROMA frui.

FELIS MORSV MORTVI.

Hospes disce nouum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

ALIVD INCERTAE POSITIONIS.

Quem niue nocte peto, nucis hic me stipite cadit,
Sic mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.

IOAN. CONSTANTINOP.
PROT. APOSTOL.

Vis tibi post mortem firmas promittere sedes?
Ante oculos semper fulmina mortis habe.

D.O.M.

ſententijs dicendis facundia, grauitate, ſapientia ſingulari. Extrema iam ætate pios inter amplexus carorum & oſcula ſenſim extincto,

Io. Dominicus Cæſ. Comes parenti opt.
mer. P. C.
Vixit ann. LXXXIII. Ob. VI. Kal. Maias,
Anno ſal. M.D.XCI.

IBIDEM.

LVDOVICO LVCENAE Hiſpano, qui præter cæteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximam coluit, vt omnibus aſſiduè benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet.

IBIDEM.

HORTENSIAE AGAZARIAE MELINAE Vxori vnanimi, concordi, dulciſs. Petrus Melinus coniux deſolatiſſimus, mœroris ſui monumentum POS. Vixit ann. XIX. M. II.

Méne fugis, nec cara ſequor te HORTENSIA? plus te
Pecco ego. te cogit fatum, ego lege vetor.
Hoc rumpi non poſſe Dei docuere, ſed illam
Si qua via eſt, frangi poſſe docebit Amor.

IN S. MARIA TRANSPONTINA.

IVLIVS hic tegitur COSSVS Romanus in vrnâ,
Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex.
Quo viuente olim victricis gloria Romæ
Viuere viſa fuit, quo moriente mori.

IN S. MARIA IN VIA NOVA.

GREGORIO XI. LEMOVICENSI, humanitate & doctrinâ pietateque admirabili, qui vt Italiæ ſedi-

seditionibus laboranti mederetur, Sedem Pontificiam Auenionem diu translatam, diuino afflatus numine, hominumque maximo plausu post ann. LXX. Romam feliciter reduxit, Pontificatus sui anno VII. S.P.Q.R. tantæ religionis & beneficij non immemor, Gregorio XIII. Pont. Opt. comprobante, anno ab orbe redempto M. D. LXXXIV. POS.

Obijt anno M. CCC. LXXVIII. VI. Kal. Apr. circa secundam noctis horam, Pontif. sui anno VII. M. II. D. XXIX.

IN MONASTERIO S. GREGORII IN COELIO.

D. O. M.

IOAN. FRANC. POGGIO Florentino, cum Virtute ac Constantia, morum grauitate, vitâ integerrimè actâ, paternâ suaque laude, eloquentiæ ac literarum, Iuris quoque Ciuilis & Pontificij diuinæque scripturæ cumulata doctrina, religiosè viuenti, religiosiùs supremo die functo, Vincent. Lucæ Martinus fratris eius gener, paren. apud se locũ semper adsecuto, opt. mer. POS. Obijt anno Domini M. CCCC. XXII. Die XXV. Iunij. Vixit ann. LXXIX. M. III.

Olim Pierides, olim Florentia mater
Viuente risit POGGIO.
Nunc tumulũ hunc adit, & donũ pro carmine flores
Fert, proq; risu lacrumas:
Quæ nisi pro vera modò sint Pietate, rogabit
Arnus ministret vt suas.

PLACIDI FVSCI MEDICI.

Post obitum viuo melius, doleoq; medendi

Arti-

Artibus extremum sæpè fugasse diem.
Obijt pridie Idus Mart. M.D.LXXIV. Vixit ann. LXIV.M.V.D.II.

EDVARDI CARNI.

EDVARDO CARNO BRITANNO I.C. oratori, summis de rebus Britāniæ Regum ad Imperatorem, ad Reges, bisque ad Romanam & Apostolicam sedem, quarum in altera legatione à Philippo Mariaque pijs Regibus missus, oborto deinde, post mortem Mariæ, in Britannia schismate, sponte patria carens ob Catholicam fidem cum magna integritatis veræque pietatis existimatione decessit. Hoc monumentū Galfridus Vachanus, & Thomas Fremannus amici ex test. Pos. obijt M. D. LXI. 14. Cal. Febr.

ANDREAE DE CASTRO.

Adsit, & legat hæc notata vita,
Trepidet, moneo licet iuuenta:
Sis forti atque animo potens, eundum est,
Nec quâ, scire licet, viâ, venit mors,
Clamper mille modos; en ipse florens
Equi calce feri peremptus hic sum.
Quare viuito iam benè ac paratus.

ANDREAE DE CASTRO, Iuueni Salmant. & quidem frugi fatorū inuidia ac spe crescente erepto, Christophorus de Castro auunculus paterna pietate posuit. Vixit ann. XXVI. obijt XXVI. Ianuar. anno M. D. XXI.

ROBERTI PECHAMI.

ROBERTO PECHAMO Anglo, equiti aurato,

 Philip-

IN S. CHRYSOGONI TRANS-TYBERIM.

HIERONYMO ALEANDRO Mottensi, è comitibus Landri in Carnia, Petræ Pilosæ in Histria oriundo T.T. S. CHRYSOGONI S.R.E. Presb. Card. Brundusino, Philosophiæ & Theologiæ Doctori, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliquotque aliarum linguarum exoticarum, ita exactè docto, vt eas rectè & aptè loqueretur & scriberet, mox diuersis legationibus pro Summis Pont. ad omnes ferè Christianos Principes fideliter & diligenter perfuncto, & ideò in tabem delapso, quanti humanam miseriam fecerit, sequenti disticho, de se edito, testatum posteris reliquit:

Κάτθανον οὐκ ἄκων ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμάρτυς
Πολλῶν, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Quod est:

Excessi è vita ærumnis facilisq; lubensq;
Ne peiora ipsa morte dehinc videam.

Natus est Mottæ in Carnia Anno M. CCCC. LXXIX. Moritur Romæ, Anno Christ. salut. M.D. XLII. ætatis suæ LXII. minus diebus XIII. Hæredes patruo amplissimo & opt. mœstissimi P. C.

Non tibi pro tumulo hoc, quãtumuis nobile marmor
Ponimus: hoc cineres, aridaq; ossa tegat.
Non longos titulos, subiectos casibus ipsos,
Et quibus erasis, ipse superstes eris:
Sed totam Europam, quã docto in nomine, oberras,
Quaq; tuas laudes vix ALEANDRE capit.

LATOMVS POS.

GVIDONIS PISANI.

Sedis Apostolicæ GVIDO Cancellarius ipse,

Quam nihil est mundi gloria, morte probat.
Pisa virum peperit, quem donat Roma sepulcro,
Vix paritura parem, vix fruitura pari.
Huic sine nocte diem, vitam sine morte, quietem
Det fine fine, dies, vita, quiesq́; Deus.

AD S. MARIAE DE CLEMENTIA, TRANSTIBERINAE REGIONIS.

D. O. M.

ROBERTO ex vetustissima familia
Comitum de ALTAEMPS
Gallesij Duci,

A SIXTO V. Pontif. Max. Prætorianis & Vrbi Leoninæ & Piæ, inde apud Auenionem & Comitatum Venaisinum militaribus copijs præposito, in ipso virtutis conatu & honorum cursu immaturè extincto,

CORNELIA VRSINA Virginij F. coniugi
clarissimo mœstissima posuit.
Vixit ann. XX. M. VI. D. XIV.
Obijt III. Non. Nouemb. M.D. LXXXVI.

Trans Tiberim tumulata iacent delata Faliscis
ROBERTI inuicti marmore membra Ducis.
Quisquis ades, lymphasq́; sacras, lacrumasq́; tepētes
Sparge, & odoratis floribus ossa tege.
Ille celer claras superum properauit ad arces,
Scilicet humanas æthere ridet opes.

IN S. ONOPHRII.

D. O. M.

TORQVATI TASSI ossa hic iacent. Hoc ne nesciu*s*

nescius esses hospes, Fratres huius Ecclesiæ PP. M.D.CI. Obijt anno M.D.XCV.

D. O. M.

PHILIPPO SEGAE Bononiensi
S. R. E. Presbytero Card.
Placentino,
amplissimis sedis Apostolicæ muneribus triginta
amplius annos in omnibus ferè Christiani
orbis partibus egregiè functo,
ab Innocentio IX. in Collegium Cardd.
cooptato;
Gallica demum legatione sub Clement. VIII. turbulentiss. regni temporibus peracta, illustrem
diu spectatæ prudentiæ & probitatis
laudem adepto;
in Catholica religione Pontificiaque dignitate propugnanda acerrimo,
Hieronymus Agucchius vtriusque sig. Refer.
ex testam. hæres auunculo opt. P. C.
Obijt die XXIX. Maij. CIↃ.IↃ.XCVI.
Vixit annos LVIII. M. IX. D. VIII.

D. O. M.

RAPHAELI SANCTIO IO. F. vrbinati pictori eminentissimo, veterumque æmulo, cuius spirantes propè imagines si contemplêre, naturæ atq; artis fœdus facilè inspexeris. IVLII II. & LEONIS X. PP. MM. picturæ & architecturæ operibus gloriam auxit. Vixit annos triginta septem integrè integros, quo die natus est, eo esse desijt, VIII. Id. April. Anno M.D.XX.

Ille hic est RAPHAEL, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

IN S. MARIAE ROTVNDAE, OLIM PANTHEON.

THADAEI SVCCARI Pictoris, Raphaelis Vrbinatis in arte æmuli.

Magna quod in magno timuit Raphaele, peraquè
THADAEO in magno pertimuit genitrix.

PERINI BONA CVRTII FLORENTINI.

Certantem cum te secum natura videret,
Irata, in tenebras misit, & ad tumulum.
At tumulus si te tegit, & PERINE tenebræ,
Et tenebræ, & tumulus non tua facta tegunt.

IN S. MARIAE IN VIA LATA, CYNTHIAE SEMPER VIVAE.

Assyrios tumulus non hic sibi poscit odores,
Florida non multo pressa canistra croco:
Ipsa etenim raros spirant hæc ossa liquores,
Vrnaq; perpetuo vere beata nitet.
Fleuit Amor, mœsta Charites, & CYNTHIA fleuit,
Pulcra Venus molles subsecuitq; comas.
Vixit ann. XXII. obijt V. Dec. M.D.XL.

GEORGII TRAPEZVNTII.

Hac vrna TRAPEZVNTII quiescunt
GEORGII ossa, parum Deis amici,
Quod acri & nimium procace lingua
Platonem superis parem petiuit.
Claruit anno M.CCCC. XXXV. Obijt senex decrepitus & quasi repuerascens.

IN

IN S. LAVRENT. IN PANISPERNA.

D. O. M.

GVILIELMO SIRLETO Card. Stili in Calabria nato, huius Ecclesiæ Presby. sedis Apostolicæ Bibliothecario, Hebraicæ, Græcæ, Latinæque linguæ peritiss. humanarum diuinarumque disciplinarum sciētia claro, eruditorum & pauperum patrono ac parenti beneficentiss. ob probitatem eius pietatemque singularem à Pio IIII. Pont. Max. sacro instante collegio Cardinali creato. Vixit annos LXXI. Obijt anno CIↃ.IↃ.LXXXV.

IN S. LAVRENT. IN DAMASO.

D. IMM. S. PIETATI ET MEMORIAE IVLII SADOLETI Sacerdotis Laurentiniani de collegio Canonicorum, Græcis & Latinis litteris singulariter eruditi, omnibus optimis & disciplinis & moribus ita ornati, vt eius ingenium, comitatem, liberalitatem, & ante annos prudentiam nulla satis æquare posſit admiratio, Iacobus Sadoletus Fratri concordissimo, & spe de eo maxima orbatus, multis cum lacrymis posuit.

Vixit annos XXVI.

D. O. M.

ANNIBALI CARO Equiti Hierosolymitano, omnis liberalis doctrinę, Poeticę imprimis Oratoriæque facultatis præstantia excellentiss. Petro Aloysio Parmensium Duci, & Alexandro Card. Farnesijs, ob spectatam in Consilijs dandis fidem, atq; prudentiam, suis verò alijsque omnibus ob singu-

larem probitatem atque beneficentiam carifs. Vixit annos LIX. M. V. D. II.

IBIDEM.

HIERONYMO FERRARIO Corrigiẽsi, (quem in ipso ætatis flore ex oculis hominum non ex memoria mors eripuit) amici & familiares in acerbo officio diligentes, hoc monumentum pro munere extremo cum lacrumis POSS. Vixit an. XLI. Obijt III. Kal. Octob. ann. salutis M. D. XLII.

IN LAVRENTIANO TEMPLO OLIM LVCINAE DICATO.

Comensis CASANOVA, dum priores
Et Duces canit, & canit Poëtas,
Præcurtis epigrammatis perennem,
Ac longam sibi gloriam parauit.
Obijt anno Christiano M. D. XXVII.
BLOSIVS PALLADIVS sodalis POS.

IN S. SALVATORIS IN REGVLA.

Robertus iacet hic Vrsinæ gloria Gentis,
Roboris inuicti, militiæq́; decus.
Da lacrymas, legis hæc quicumq́; viriliter, illi
Non licuit tanto quod cecidisse viro.
Nam non pugnando iugulauit Martius ardor
Heroëm, in medijs millibus, inq́; acie.
Degeneri fraude est sed circumuentus ab hoste,
Pro facinus! media fossus in vrbe perit.
Cui tumulum hunc vxor posuit mœstißima, saltem
Leniat vt casus hac pietate suos.

D. O. M.

D. O. M.

ANNAE DE SPINA, humani diuiniqueiuris supra fœminam viresque ætatis consultissimæ, quæ tertia huius memoriæ Corinna. Vixit annos XV. Pientiss. Pater Hugo ad iucundissimam filiam noctes diesque suspirans commune hoc monumentum, quod generosi Ser. seq. bene mer. Pos. Anno salutis M. D.

IOANNIS MARII CATANAEI.

Vide viator, quanta iactura occulti
Esset sepulcri, ni ingenî sui claris
Perennioribusque monumentis tectus
Adhuc vbique viueret CATANAEVS.

Obijt anno M.D.XXX.

IN S. TRINITATIS IN COLLE HORTVLORVM.

FRANCISCO FRANCHINO Consentino, Massæ Populoniæ Episcopo, prudenti acrique viro atque venusto Poetæ, qui Phœbi Martisque castra secutus,

Rettulit ad patrios bina tropbaa lares.

MARCI ANTONII MVRETI TVMVLVS.

Hic MARCI *caros cineres* ROMA *inclyta seruat,*
Quos patria optasset Gallia habere sinu.
Stat colle Hortorum tumulus, stat proximus astris,
Quæ propius puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrumans asperge, Viator,
Et dic: Heu lingua hic fulmina fracta iacent.

POS. IVLIVS ROSCIVS.

M. ANTONIVS MVRETVS LEMOVIX
ad Dei misericordiam obtinendam,
piorum precibus adiuuari cupiens,
corpus suum post mortem hoc loco
sepeliri iussit.
Adtributis mille scutatis huius
Monasterij Sodalibus, impositoque onere
perpetui anniuersarij.
NICOLAVS DE PELLEVE Card. Senonen.
Testam.execut.poni mand.
Vixit ann. LIX. M. II. obijt prid. non Iun. CIↃ.
IↃ.LXXXV.

M. ANT. MVRETO MAGNI HVIVS
MVRETI fratris fil. ætate quidem
nominis celebrit. minori, spe autem
& expectatione prope pari
immatura morte prærepto,
Ludouicus Rualdus Lemouix, & M. Ant. Lanfrancus Veron. eius testamento ad pias causas
facto scripti executores Poss.
Vixit Ann. XVI. mens. V. obijt pridie nonas
Octob. CIↃ.IↃ. LXXXVI.

IN S. IACOBI.

IN CIRCO FLAMINIO, HISPANORVM.

D. O. M.

PETRO CIACONIO Presbytero Toletano, in quo multiplicis doctrinæ copia, cum vitæ ac morum integritate certabat, qui à Gregor. XIII. Pontif. Max. Sanctorum Patrum libris, sacrisque Canonibus & sacrosanctis Biblijs perpurgandis præpositus, in eo munere obeundo, eruditione, iudicio, fide ac diligentia præstitit: Ecclesia S. Iacobi

cobi Hispanorum, qui vrbem colunt, hæres ab eo instituta, monumentum hoc Poss. Vixit ann. LVI. Obijt anno M.D.LXXXI.VII.Cal.Nouemb.

CATHARINAE LANGERIN.

Inualidos æger dum vult curare parentes,
Fata recidiuis implicuere malis.
Tum magno enixam Lucina dolore coëgit
Atram Persephones dira subire domum.
O pietas! ô dij! Crudeli sorte licebat
Viuere, sed præstat cum pietate mori.

CATHARINAE LANGERIN, Coniugi suauissimæ, elegantia formæ perpaucis, moribus verò atque viuendi consuetudine nulli fœminarum comparandæ, quam concordiâ mariti, fortunæ bonis, liberisque fortunatâ dixisses. Sed ea omnia, ne quid humani non fluxum caducumque existimes, mors importuna inopinanti ante tempus eripuit. Moritur anno ætatis suæ XXVII. à salut. Christiana M. CCCC.XCV. Prid. Calend. Ianuar. Ioan. Langer maritus, & Ioan. Engel. genitor eius, ho monumentum contra vota statuerunt.

DIDACI DE VALDEZ.

Certa dies nulli est, mors certa, incerta sequentum
Cura, locet tumulum, qui sapit, ante sibi.

Vixit ann. propè LX. obijt XXVII. Decemb. M.D. VI. Religio socia vitæ fuit, & pietas mortis comes.

IN S. SABINAE.

D. O. M.

PETRI BERTANI Mutinensis Card. corpus hic

hic situm est, qui quum adolescens in D. Dominici familiam nomen dedisset, doctrinæ & virtutis ergò factus est Episcopus Fanensis, tum à Paulo III. Nuncius missus ad Carolum V. duobus memoriæ nostræ prudentiss. Principibus incredibiliter satisfecit, A IVLIO III. in Cardinalium numerum adlectus, sub Paulo IIII. mortalitatem cum immortalitate commutauit. Bene precare, quisquis es, ita tibi quoque alij bene precentur. Vixit ann. LVI. M. IIII. D. IIII. Obijt anno sal. M. D. LVIII.

GVRONIVS frater fratri vita cariori Pos.

IN D. IOANNIS EVANGELISTAE ANTE PORTAM LATINAM, OLIM *Dianæ in Cœlio.*

IOANNI BAPTISTAE FLORENTIOLO puerorum flosculo.

Ne dulces ferres fructus, mellite IOANNES,
Decussit flores mors inimica tuos.

Vixit ann. VI. obijt X. Cal. Iulij M. D. LXXIII.

Simon & Ludouicus Florentini Ciues Parentes mœstiss. amoribus & delitijs suis PP.

IN S. PVDENTIANAE.

HENRICVS CAIETANVS

Tituli S. Pudentianæ Presb. Card. S.R.E. Camerarius, Legatus Apostolicus.
primùm Bononiæ, secundò in Gallia in obsid. Parisiensi, tertiùm in Polonia contra Turcas,
Sanctæ huius Ecclesiæ & sacelli à fundamentis instaurator hîc requiescit.

Vir

Vir pietate, candore,
magnitudine & fortitudine animi memorabilis,
Ecclesiæ inseruiuit summâ domi forisque auctoritate, & apud omnes ordines gratiâ.
Obijt annum agens L. An. Dom. M.D.IC. Idib. Decemb.

IN HOSPITALI S. MARIAE DE CONSOLATIONE.

SCELETOS VIATORI.

Carnibus orba suis cur sint hæc, forte requiris
Iuncta tamen iusto corporis ossa situ?
Sic mandata dedi viuens Antonia quondam,
Et moriens eadem iussa suprema dedi.
Vt SCELETOS fierem medici quo discere possent,
Quanta forent, quod, quo, qualibet ossa loco.
Quod iussi, fecit Gisbertus Gratia magna,
Hinc maneat, satis est lux mihi perpetua.

IBIDEM.

Quod hoc vides, amice, corpus sine corpore, ne stupeas, aut damnes quisquis es. Testamento sic ipsa caui, vt hoc, quod cernis, fierem, philosophis ac medicis sacrum. Horum si es de numero; sacro legato vtitor. Sin prophanus, indoctus; hinc ocyus abscedito.

IN S. MARIAE AVENTINAE OLIM BONAE DEAE.

Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero niuei soluere vincla pedis.

Nos

Non culpâ meruisse necem, pia numina testor,
Sed iaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo Christiana, discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

IN SALVATORIS DE LAVRO CADAVER.

Prius sperma fœtidum.
Vixi domus stercorum,
Denatus esca vermium,
Speculum peregrinationis humanæ.

IBIDEM.

Hic iacet exiguâ LAETVS *POMPONIVS vrnâ,*
Cuius honos meritò pulsat vtrumque polum.
Lætus erat Romæ Vates sublimis, & idem
Rhetor, nunc campis lætior Elysiis.
DOMITIVS PALLADIVS POS.

IN PVBLICA HOSPITALI DOMO EPITAPH. I. C. ET ARTIVM Doct. Germani.

Hic iacet IODOCVS, *qui fuit Romæ coquus,*
Doctor in partibus, magister in artibus.
De gratia speciali, mortuus in hospitali.

EXTRA FLAMINIAM IN VINEA IVLII III.

DEO, ET LOCI DOMINIS VOLENTIBVS.

Hoc in suburbano omnium, si non quot in orbis, at quot in vrbis sunt ambitu pulcerrimo ad hone-

honestam potissimè voluptatem facto: honestè voluptuarier cunctis fas honestis esto. Sed ne fortè quis gratis ingratus sciet; iussa hæcce ante omnia omnes capessunto. Quò vis quisque ambulanto; vbi vis quiescunto; verùm hoc citra somnum; circum septa illud. Passim quidlibet lustranto; ast ne hilum quidem vsquam attingunto: qui secus faxint, quidquamve clepserint, aut rapserint, non iam vt honesti moribus, sed vt furtis onusti in crucem pessumam arcentor. Ollis verò, qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint; villici, pro anni tempore, pro rerum copia, & inopia, proque merito cuiusque largiuntor. Aquam hanc, quòd virgo est, ne temeranto; sitimque fistulis, non flumine; poculis, non osculo, aut volis extinguunto. Piscium lusu oblectantor, cantu auium mulcentor; at ne quem interturbent, interim cauento. Signa, statuas, lapides, picturas, & cætera, totius operis miracula, quamdiu lubet, obtuentor. Dum ne nimio stupore in ea vortantor. Si cui quid tamé haud ita mirum videbitur; eorum caussa, quæ nemo mirari sat quiuit, æquo potius silentio, quàm sermonibus iniquis, præterito. Dehinc proxumo in templo DEO ac Diuo Andreæ gratias agunto: vitamque & salutem IVLIO III. Pontif. Max. Balduino eius fratri, & eorum familiæ vniuersæ plurimam & æuiternam precantor. Huic autem suburbano speciem atque amplitudinem pulcriorem indies maioremque, ac in eo quicquid inest felix faustumque perpetuum optanto.

Hisce actis valento, & salui abeunto.

VII.

VILLAE IVLIAE EPIGRAPHE.

IVLII III. PONT. MAX. auſpicio, Balduinus eius frater, hoc ſuburbanum propè Flaminiam ab Antonio patruo Cardinale, olim animi cauſſa comparatũ: ſyluis, hortis, vinetiſque contiguis, & quibuſuis plantarum generibus numero penè infinito à ſe auctum: nouoque ac politiore cultu, nullo non loco directum atque illuſtratum: aqua virgine, & fontibus ſaluberrimis, & latebris terræ inacceſſis, non minus ad commune omnium, quàm ad priuatum commodum eductis: vndique irriguum factum ſalientibus, piſcina, auiario, atque hoc quaſi Theatro, admirabili picturarum, ſtatuarum, emblematum ſplendore conſtructiſs, temploque imprimis DEO Opt. Max. ac Diuo Andreæ ab ipſo IVLIO Pont. erecto atque dicato: ſibi, Innocentio Cardinali, & Fabiano Comiti, filijs & eorum poſteris, in ampliorem & auctiorem formam redegit. Prædium autem hoc ipſum, ac quidquid vſpiam in eo ortum, cultum, ſtructum, ampliatum, ornatum, vel in præſenti eſt, vel erit in poſterum: ſiue totum, ſiue aliqua ex parte, cuiuſque modi, & quantula ea cunque fuerit: præter ipſos fruct⁹: vti nullo prorſus pretio, nullo pacto, nullo iure, cuiquã vnquam alicui vendi, obligari, donari, aliove quouis modo alienari poſſit teſtamento in perpetuum ab eodem Balduino omnibus eſt interdictum. Ne de nomine exeat familiæ ſuæ.

LEGES CONVIVALES.

BONO GENIO, GRATIIS, HILARI-*tatiq́ue.*

Qui hæc læta propitiaq́ue vitæ humanæ numina co-

na colant venerenturque, statisque item solennibus hîc sacra faciant, sodales, viri probi, atque elegantes duodecim eleguntor: singulis fascia candida esto, cui hoc symbolum aureis litteris intextum fiet, BONVS GENIVS, LIBERTATIS FILIVS.

Horum ritè electorum sacrum collegium esto, appellantorque LIBERI GENIALES. His potestas fiet collegij supplendi augendique: nec lectissimæ fœminæ repudiantor.

Eruditi, hilares, honesti, faciles adsciscuntor. quisquis idiota, tristis, inurbanus, durus; procul esto.

Cumque indictum coactumque sit liberorum collegium; iocis, risu, salibus, cantu, saltatione, festaque hilaritate & honesta libertate sacra celebrantor.

Omnis calamitatum memoria, miserorum curæ, ægrorum dolores, rixæ Lapitharum, contentiones amarulentæ, dira fatalis horæ præsensio, & cladium futurarum mala omnia, prodigiaque & portenta procul sunto.

Vnus amatorijs litibus, querelis, atque suspirijs liber locus sit. lugere, lamentari, referre amoris incommoda, ab ingenioque sodalium opem implorare, cuique ius esto.

Epulæ non ferculorum copia, varietateque, sed obsoniorum bellariorumque delectu exquisito, & ciuili semper sumtu parantor.

Pueri Baccho, mensæque præpositi, in verrendo, refrigerandoque solo, locis ad vmbram exquirendis diligentes sunto. mappæ candidæ, mantilia turbinatim scitè complicata, virentibus folijs, & floribus consperguntor. Obsona-

tor peritus gulæ, cocus industria insignis, structor expeditus, lagenarum præfectus non insulsè bibax, ministri à dapibus oculati, celeres, muti; à poculis autem auriti, honesti & elegantes sunto.

Argentum, stannum, fictilia, egregiè tersa apponuntor; calices, variaque pocula, splendida, rorantiaque adferuntor; vina puris fontibus, & puteis refrigerantor. Glacies autem, & Alpinæ niues, diri salutis hostes, non accersuntor.

In discubitu ætati honos esto: matronis castis, si adsint, aut elegantibus puellis, si quis adduxerit, iuxta quem volent, discumbendi potestas esto.

Coronati omnes, vti quisque volet, rosa, floribus, myrto, hedera, lauro, iucundissimè epulantor.

Moderatis poculis sodales prouocare fas esto. certamina autem ad æquales haustus interdicta sunto.

Singulo quoque epulo singuli ex collegio descripti annulos in vrnam deponunto. Pueri manu sorte annulus vnus tollatur: is cuius fuerit, sequentis sympośij princeps esto. Ei autem cùm placuerit, & quando voluerit, epuli sumtum, diem, locum, apparatum indicere fas fiet. Qui non paruerit, vt prophanus è collegio excluditor.

Sodalibus ius sit, vmbram ducere, quam quisque volet, neque eam, siue sit morio frigidus, vel ineptus scurra, vel poeta insulsus, arcere ius esto.

Qui sanctis purisque legibus contra ierit, duplicis epuli pœna multator.

Potestas

Poteſtas autem libera ſit declamandi, diſputandi de toto liberalium artium negotio, & earum præſertim litterarum, quæ vno humanarum nomine continentur. Remotis menſis, ablegataque extrorſum familia, ſymposij princeps quæſtionem ſodalium cenſuræ definiendam proponito: reſpondentes conſeſſus ordine ſubſequuntor. Inprimis de ſuperis loqui, & de exquiſita Chriſtianæ fidei ratione diſſerere, potis & ſaturis nefas eſto: cùm id ad ieiunos & ſobrios religiosè pertineat.

De munere verò militari, de prouocatorijs legibus ad ſingulare certamen, de ſtatu actioneque veræ nobilitatis, de officio viri elegantis, de præſcripto iure libertatis matronarum & viduarum, de zelotypia, amatorijsque obſequijs certa ratione terminandis: poſtremò de præſtantia ciuilis cultus, & ratione domeſticæ diſciplinæ, & de finibus vrbanæ voluptatis, diſſerere fas eſto.

ANTE D. PAVLI VIA OSTIENSI, AD PORTAM, QVAE ANNO IVBILæo aperitur.

Præterit vt ventus princeps ſeu rex opulentus,
Et nos, vt fumus, puluis & vmbra ſumus.
Tot tantiſque bonis pollens Petrus ecce Leonis,
Reſpice quàm modico nunc tegitur tumulo.
Vir fuit immenſus, quem proles, gloria, cenſus
Suſtulit in vita, non ſit vt alter ita.
Legum ſeruator, patriæ decus, vrbis amator
Exſtruxit celſis turribus aſtra poli.

 Omnia

Omnia præclara mors obtenebrauit amara;
Nominis ergo DEI gratia parcat ei.
Iunius in mundo fulgebat sole secundo,
Separat hunc nobis cùm polus atque lapis.

EPITAPHIA CANVM INCERTAE POSITIONIS.

I.

Quod potui, posui tibi fida catella sepulcrum:
Digna magis cæli munere, quàm tumuli.

II.

Candenti è lapide hæc tibi conuenit vrna, fuisti
Candida tota pilo, candida tota fide.
Si cælum, vt quondam, canibus patet, haud tua terras
Incendet, sed ver stella perenne dabit.

III.

TITAE CATELLAE BLANDISSIMAE ANTONIVS THEOBALDAEVS.

Longo ac fido amore probatus Domino, senio confectus, seruatâ stirpe hîc iaceo. hoc me honore sepulcri herus dignatus est.

IIII.

VALENTI TIGRIDIS F. CANI GENEROSISSIMAE.

Quæ cum virtutis, fidei & pernicitatis suæ famam, nouo sed illustrifs. Domino probare nititur, primaque immissione leporem anum exire impressiones doctam,

arden-

ardentius quàm cautius supplantat, præcipiti casu cespitans gulam sibi fregit,
Inque ipsa victoria, prædæ suæ superincumbens exspiranti,
gloriosè exspirauit gaudens;
præter hoc vnum quod non oculis Domini,
cui militabat, sic cecidisset.

V.

EPITAPHIVM CATELLAE.

CATELLA VIOLA Lucinam infeliciter experta, hîc sita sum: Hoc lusus, hoc fides meruit monumentum. Quid mirare? Fides ipsa canes cæli incolas facit.

VI.

PETRVS BEMBVS BEMBINO
CATELLO POS.

Nil tibi non Dominus tribuit, BEMBINE catelle,
A quo nomen habes, & tumulum & lacrumas.

VII.

TVMVLVS SAPHYRI CATELLI.

HECATAE SACR.
SAPHYRVS DOMO BATAVVS
DELICIVM LIPSI, DECVS CANVM,
INGENIO, LEPORE, FORMA,
H. S. E.
TRISTI FATO EREPTVS,
ET FERVENTIBVS AQVIS MERSVS,
CVM VIXISSET LVSTRA PLVS TRIA.
O HERI DOLOR!

TVVM, LECTOR, ADDE
QVISQVIS LIPSIVM AMAS, IMO
QVISQVIS ELEGANTIAM AVT LEPOREM
AMAS,
QVORVM ISTE THESAVRVS ERAT.
ABI, FLORES SPARGE,
SI NON LACRVMAS.

PLANGEBAT ET PANGEBAT,
I. LIPSIVS OLIM, HEV, DOMINVS.
V. KAL. SEPTEMB. CIↃ. IↃ. CI.

Plura quære inter Louanienſia.

EPITAPHIVM MVSCAE.

Guſtatrix iacet hic lautorum MVSCA ciborum,
Et conuiua frequens Principis in tabula.
Non volucris roſtro, ſtimulis nec aranea aduncis,
Cretica ſed guſtans pocula pota cadit.
Nil opus eſt luctu: quis enim tam nobile fatum
Lugeat? eſt auro condita, merſa mero.

EPITAPHIVM MVLAE.
DIS PEDIBVS SAXVM.

CHIVCHIAE dorſiferæ, & cluniferæ ac peſſuetæ, & manſuetæ, cuius vt inſulturâ deſulturæ commodetur, PVB. CRASSVS Mulæ ſuæ Craſſæ beneficenti ſuppedaneum hoc cum riſu POS.
Vexit ann. III. menſ. XV. dies & noctes 2½.

TYBVRI IN PORTA.

Grata bonis, inuiſa malis, inimica ſuperbis
Sum tibi TYBVR: enim ſic PIVS inſtituit.

IBI-

IBIDEM.

Nunquam stygias fertur ad vndas, inclyta virtus.
Iter ad superos gloria pandit.

VITVLI ET ASELLAE.

MVRENA VITVLVS, atque ASELLA coniuges
Quòd morte prauenti, nec illa mula, Bos
Nec ille quiuit emori, hoc amici de suis
Donis sibi sumpsêre, quod vides soli.

NEAPOLITANA.

IN NEAPOLIN IVL. CAES. SCALIGER.

Parthenope varij statuit discrimina mundi:
Quæ tria diuerso tempore secla dedit.
Aurea Pythagoras communis commoda vitæ,
Et docuit Sophiæ Græcia magna procos.
Altera succedens studiorum mollior ætas,
Admisit Musas debiliore sono.
Tertia vulnifici quæsiuit præmia ferri:
Atque equitum potuit sola tenere decus.
Sic ex priuatâ & seruâ Regina supersum;
Roma, quod est, fuerã: quæ modò sum, quod eras.

IN AVLA MAGNA AD IMAGINEM IVSTITIAE CAECAE, DEXTRA GLADIUM, *sinistrâ stateram tenentis.*

Cum æterni tribunal Iudicis illum reum non habeat, quem iniustè reus condemnat; testante Propheta, nec damnabit illum, cùm iudicabitur ei: Caueant Iudices, & pruden-

ter attendant, vt in caussarum processibus, nil vindicet odium, vel fauor vsurpet. Timor exulet, & præmium, aut expectatio præmij Iustitiam non euertat: sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine; vt in omnibus, quæ in caussis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententijs, & ferendis, præ oculis habeant solum Deum, qui sit laudabilis & gloriosus per infinita secula seculorum.

AD INSIGNIA CAROLI V. IMP.

Carolo V. Caes. Augusto inuictiss. imperante, Petrus Toledus Marchio Villæ Franchæ, huius Regni Prorex, Iuris vindex sanctissimus, post fugatos Turcas, arcem in Curiam redactam Iustitiæ dedicauit, conciliaque omnia hoc in loco, cum magno totius Regni commodo constituit, Anno à partu virgineo M.D.XL.

LAPIDIS CESSIONIS BONORVM Inscriptio.

D. Petrvs de Toledo Marchio Villæ Franchæ Cæsar. & Cath. M. in præsenti regno Vicerex, locum-tenens, generalis Capitaneus, Princeps iustiss. Excellenti milite, V. I. D. Ferdinando Figueroa, Patritio Hispano regente, magnam Curiam Vicariæ curante, ad illor. morem abolendum, qui clam, nemine spectante, bonis cedebant, hunc locum erigendum mandauit, vt, qui eo posthac beneficio vti volent, sæpius heic iterato spectaculo, id commodum magno cum opprobrio compensent. M. D. LIII.

PHI-

PHILIPPO REGNANTE.

D. IOANNES ZVNIGA Prorex, vt affecti morbo custodia non commodiori modò, sed amœniori etiam loco curêtur, valetudinarium, quod multi antè Proreges destinârant, efflagitâtium assiduis precibus, præfectoque operi Cl. Equite IOANNE NICOLAO MINATVLO feliciter extruxit, quo tempore PHILIPPVS Rex Catholicus, & idem Dominus noster, deuictos bello Lusitanos in suam ditionem redegit. Anno M. D. LXXX.

IN TEMPLO ARCIS SVPRA D. MARTINVM.

Hic à TOLEDO cognomine PETRVS humatus,
Qui vita & studijs clarus & ingenio.
Seruandæ huic primùm quem Rex præfecerat arci,
Vt munita foret rupibus, arte fide.
Seruata hæc annos ter senos. nomen & ossa
Huius perpetuò seruet & omne decus.

Vixit ann. LXI. Obijt M. D. LVIII.

D. Sophia Nagorim Vxor POS. vt vir iusserat.

IN AEDE CATHEDRALI S. IANVARII.

FRANCISCO VOPISCO vita functo octogenario, anno Salutis M. D.

Si dolor est, cui carus obit, virq́; optimus idem,
Omnibus & qui plus millibus vnus amet.
Is meus est, mihi dum genitor dulcissimus, eheu!
Antiquæ exemplar simplicitatis obit.
Æternum cineres patris (heu) manesq́; valete.
Linquor ego: vobis parta quies stabilis.

IN EODEM LOCO.

VICTORIAE CAPICIAE, Vxori integerrimæ. Ne, quos singularis amor & mirabilis concordia coniunxit, vel mors ipsa diuideret tumulo: hîc coniugis cineres expectant viri. Iulius Cæsar Sconditus POS.

IBIDEM.

MATTHAEI CARACCIOLI.

D. MATTHAEVS CARACCIOLVS Protonotarius sanctitatis Domini Papæ, qui obijt anno Domini M. CCC. XIV. D. XXVI. Maij, XII. Indictione.

Qui iacet hoc tumulo, Paradisi luce fruatur,
Sitq; tibi requies, & sine nocte dies.

IBIDEM.

IN AEDE S. DOMINICI.

EPITAPHIA REGVM ARRAGONIAE.

Inclytus ALFONSVS, qui Regibus ortus Hiberis,
Hic Regnum Ausoniæ primus adeptus, adest.
Obijt M. CCCC. XCIII.

FERRANDVS Senior, qui condidit aurea secla,
Hic felix Italûm viuit in ore virûm.
Obijt M. CCCC. XCIII.

FERRANDVM mors sæua diu fugis arma gerentem,
Mox positis, (quæ nam gloria?) fraude necas.
Obijt M. CCCC. XCVIII.

Hospes

Hospes Reginam IOANNAM suspice natam:
Et cole, qua meruit post sua fata coli.
Obijt M. D. XVIII.

ISABELLAE DVCISSAE MEDIOLANENSIS.

Hic ISABELLA iacet, centũ sata sanguine Regum,
Qua cum maiestas Itala prisca iacet.
Et qua lustrabat radijs regalibus orbem,
Occidit, inq; alio nunc agit orbe diem.
Obijt M. D. XXIV.

ANTONI FERRANDI.

Dormis an vigilas, ANTONI? sector vtrumq;:
Ossa quidem primum; virtutis fama secundum.
Sanguine quo cretus? genitor quis? quidq; moraris?
Stirpis Aragonia; FERRANDVS; Iudicis horam.

EPISCOPI CVIVSDAM.

Viuit adhuc, quamuis defunctum ostendat imago.
Discat quisq; suum viuere post tumulum.
TERRA TEGIT TERRAM.

IBIDEM.

PORTIA CAPITIA Viua gaudium, mortua mariti gemitus, hîc sita est. Bernardinus Rota perpetuò mœrens, perpetuò lacrymans, prô dolor quantum fuit carissima!

IBIDEM.

IOANNI ANTONIO MVSCETTOLAE Patricio Neapolitano, domi forisq; Clariss. Carolo V. Cæs. à consilijs interioribus. Cui⁹ præter omniũ disci-

disciplinarum cognomentum, eloquentiam, & in negotijs dexteritatem, æquare nemo potuit. Qui ter ad Clementem VII. P. M. magnis de rebus legatione pro Cæs. obita, ne debitos iamque oblatos virtutib. suis honores adiret, mors importuna obstitit. Moritur anno M.D.XXXII. Camillus frater B.M.F. Vixit ann. XLVII.

IBIDEM.

IOAN. BABTISTA ex Patricia Ducum familia non minus apud Reges Arragon. amore gloria, quàm fidei præstantia clariss. Antonia Tomacella mutuæ caritatis causa vnicum tot lacrymarum solatium, Viro Opt. monumentum ex suo P. curauitque, ne præter se quisquam inferatur. Vt, cui puellula nupserat, & qui cum sine iurgio semper vixerat, post fata quoque perpetuo copuletur. Interceptus mortalitate ann. agens LXII. M. IX. dies XIV. V. Kal. Octob. à virgineo partu M. D. XIX.

NEPOTIS MVSCETTOLAE.

Flos tener hic languet, qui ni cecidisset, vt vrna, &
Nomine, sic magni laude nitesret Aui.

IBIDEM.

Siste hîc coniux dulcissima, vt nos vel humus nequaquam separet, sed vna tandem nos tegat vrna. IOANELLAE MARAMALDAE coniugi optim. cum qua vixit ann. XXI. M. VII. & D. VIII. Nihil de ea nisi mortem doliturus Ioan. Antonius Muscettola, indefesso mœrore POS.

ALIVD.

Auspice me Latias Alfonsus venit in oras,

Rex

Rex pius, vt pacem redderet Ausoniæ.
Natorum hoc pietas struxit mihi grata sepulcrum,
CARAFAE dedit hæc munera MALITIAE.
Magnif. D. MALITIA CARAFA miles,
obijt M. C.D.XXXVIII. die x. Octob.

CARAFAE GENTIS FOEMINAE.

Gentis CARAFAE sidus, spes vna mariti
Viua fuit, post hæc mortua luctus erit.
Ante diem cessit magnis grati∬ima diuis.
PORTIA, quæ laudes vrbis & orbis erat.
Nunc ornat cœlum radijs fulgentibus astrum,
Et micat ardenti lumine propè Iouem.

IBIDEM.

Ossibus & memoriæ BERNARDINI CARAFAE Episcopi, & Comitis Theatini, Patriarchæ Alexandrini positum: Hierony. Carafa fratri vnanimi, cum lacrymis F. Vixit annos XXXIII. Morte iudicante, satis eum vixisse diu, cui nihil ad vllā vel virtutis, vel prudētiæ literarumúe laudem addi posset vlterius. Contra grauiter conquerente fortuna, ereptam sibi facultatem ampliss. honoris, quem iam illi deferendum apparauerat. Fato functus est: A.S. Christianæ M. D. V.

CARAFAE CVIVSDAM ANONYMI.

Huic virtus gloriā, gloria immortalitatem comparauit M. CCCC. LXX.

IBIDEM.

Mortales, an scimus, quid futura nobis dies promittat?

mittat? natalem, & locum, & diem scimus; sepulturæ nescimus. BLANCINA mihi nomen est, Barcellona patria; hæc dum bello grauius premitur, ipsa liberos vt viserem, Neapolin profecta sum; vbi dum quinquennium exigo, supremus mihi dies affuit; condi hîc volui, nullius mecum cineres misceri passura.

BLANCINA BARCELLONENSIS hîc posita est, quæ obijt XXVIII. Iulij M.CCCC. LXIX. Vixit ann. LXXX. quorum LX. sine querela exegit cum Iacobo Ferraro côiuge concordissimo. Io. Fil. POS.

IBIDEM.

FABIVM ET DECIVM FF. opt. summæque spei adolescéteis en infelix sepelio Ascanius Sanctinus Pater: quibus vtinam commori potuissem, quando præmori non potui. Heu mihi! non semel hæc misero, ob filiorum præcox ingenium, animus præsagiuit mala. O beatam coniugem, cui caros liberos in cœlis visere, in terris amplecti licet! iam quod optasti, habes. AEternùm fruere. BEATRICI Cauallleriæ coniugi rarissimæ Ascanius Sanctinus perpetuò mœrens POS.

IN AEDE D. PETRI MARTYRIS.

MARITVS VXORI.

Quis te cara tuo coniux inuidit amanti?
Et miseram rapuit te mihi lætitiam?
Heu quantum ille nefas, qui te mihi sustulit, egit!
Delitias omnes sustulit ille meas.
Et cur me melius, quàm te mors improba seruat?
Nec pariter campos mittit ad Elysios?

Dij mi-

Dî mihi crudeles, qui te rapuere, fuerunt:
Et qui te sine me sustinuere mori.

RESPONDET VXOR.

Abstineas quaeso coniux dilecte Ioannes,
Me lacrymis functam sollicitare tuis.
Vixi ego, quae peritura fui, sic voluitur vrna:
Sis contentus eo, quod tibi sorte datum est.
Hic tua sum, tua quae fueram: depone dolores,
Non fuit ante suum mors celerata diem.
Nec cecidi; quoniam regna in meliora recessi,
Iam super aethereas à Ioue rapta domos.

IBIDEM.

Apud Deum nihil operosa humilitate sublimius,
Nullum Theatrum virtuti conscientiâ maius est.

IN S. MARIA DE PORTA NOVA.

IOANNIS MORIMINI.

Quàm praeposterè res sese humanae habent? cuius mihi dulcissimas manus oculos prius claudere fas fuit, infeliciss. parens filium hic antè condidi meum. Ademit importuna mors seni baculum, cui defessa iam adnités aetas annos alleuaret suos. Nûc antè me mors assequetur, quàm hae lacrymae deserant.

Carolus MORIMINI Ioanni F. B. M. POS.
Vixit annos XXVII. M. I. D. VIII. M. CCCC. LXXXIII.

CAROLI MORIMINI.

Fui, non sum. estis, non eritis. nemo immortalis.

Somno

Somno & ſecuritati æternæ CAROLO MORIMINI patri opt. Troianus & Henricus F F. virtutis & amoris cauſſa.

ANTONI PANORMITAE.

Quærite Pierides alium, qui ploret amores:
Quærite, qui Regum fortia facta canat.
Me Pater ille ingens, hominum ſator, atq; Redemptor
Euocat, & ſedes donat habere pias.

IN S. MARIA MONTIS OLIVETI ANONYMI.

Dat ſua telluri, ſua dat cœleſtia cœlo,
Donec ſumma dies iungat vtrumq; polo.
Virtute, ingenio, fortunâ & corpore paruus,
Parua etiam paruo condidit oſſa ſolo.

ALIVD.

Expecto, donec veniat immutatio mea.

HOSPES MIRARE SEPVLTI FIDEM.

Hîc dum arci Parthenopeæ à D. Alfonſo Arragonio præfectus, claſſica & terreſtri obſidione premeretur, ne fidē pollueret, exhauſto iam ærario, imminentia capitis pericula ſponte negligens, fœdum mularum & canum eſum non reſpuit; quin duobus fratrib. captiuis ab hoſte oppoſitis, ne tormentorum ictus increbreſcerent, ſocio ſanguini fortitudinem præferens, à propoſito non eſt abductus. Deinceps mortuo Rege inclyto Ferdinando, vberrima multorum frangendę fidei præmia ludibrio habuit.

MARIAE

MARIAE PICOLOMINEAE.

Qui legis hæc, submissiùs legas, ne dormientes excites. Rege Ferdinando orta MARIA ARRAGONIA hîc clausa est. Nupsit Antonio Picolomineo Amalfæ Duci strenuo, cui reliquit tres filias, pignus amoris mutui. Puellam quiescere credibile est, quæ mori digna non fuit.

Vixit ann. xx. Anno Domini M.CCCC.LX.

IBIDEM.

ANTONIVS DE ALEXANDRO I.C. ad suas & suorum reliquias, quousq; omnes resurgamus, reponendas, sacellum hoc construxit, & Redemptori nostro dicauit ann. M.CCCC.LXXXXI.

Quo loco, quóue tempore fiat hęc migratio, quid interest? Vndíque Christi fidelibus ad cœlestia regna patet aditus. Sequentur autem me haud dubiè, quicunque non præcesserint.

GVILIELMI BERDINCX ANTVERPIANI.

Infelix caro! quàm felix anima! illa sub atra
Computrescit humo: transuolat ista polos.
In cinerem quandoq; caro conuersa resurget
Ex cinere, atq; animæ iuncta, sequetur eam.

Vixit annos XXXVIII. obijt Id. Octob. ann. M.D.LXXIX.

MARCHIONIS PISCARIAE.

Quis iacet hoc gelido sub marmore? maximus ille
Piscator; belli gloria, pacis honos.
Nunquid & hic pisces cepit? non. ergo quid? vrbes,
Magnanimos reges, oppida, regna, duces.

Dic, quibus hac cepit Piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacriq; m...
Qui tantū rapuere Ducē? duo numina. Mars, Mors.
Vt raperent, quisnam compulit? Inuidia.
Nil nocuere ipsi. viuit nam Fama superstes,
Qua Martem, & Mortem vincit, & Inuidiam.

ALIVD PER PONTANVM.

Arma manu tibi capta, & victo ex hoste trophaa
Hac tibi marmora erunt, hac tibi erunt tituli.
Hoc tibi Mars statuit, statuit Bellona sepulcrum,
O DAVALE, hac cineri debita busta tuo.
His ALFONSE iaces ornatus & obrutus armis.
Arma tibi tumuli, tela tibi tituli.

Obijt XIII. Nouemb. M. D. XXVI.

IBIDEM.

Quæ miser imposui lugubria saxa sepulcro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod si marmoream licuisset fundere formam:
Te natus tegeret non alio lapide:
Incisaq; nota legerentur, Gratus Alexis
Reddidit ossa patri, sitq; patri tumulus.

Andreæ Simonis F. Alexio, Antonius patri pijss. Qui nemini vnquā iniurius, prodesse semper studuit. Vixit ann. LXXV. perpetua cum valetudine.

MARINI.

Qui fuit Alfonsi quondam pars Maxima Regis
MARINVS, hac modicâ contumulatur humo.

MARINVS CVRIALIS Surrentinus, Terræ nouæ Comes, anno Domini M. CD. XC.

CAECI-

CAECILIAE IANVARIAE.

Quam capit hic tumulus, CAECILIA IANVARIA inter præcipua vrbis ornamenta, venustatis, atque pudicitiæ exemplum, hîc ab Iulio Ianuario marito miserabili, donec eius cineres commodiori, & vtrique solùm communi sepulcro deponantur, sita est. Elata ex abortu, cunctis collacrimantibus, anno ab ortu Salutis M. D. XXX. XVI. Calend. April.

IBIDEM.

ISABELLAE ORILIAE, cui nunquam vel tantillum querelarum dedimus, superstites nouem Filij matri optimæ. Vixit ann. LVII. obijt M. D. XXXVII.

FLEBILE AMICI OBSEQVIVM.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balsama dant Charites, Cinnama spargit Amor,
Phœbus odoratas laurus, Mars ipse amaranthos:
Nos lacrymas, rara munus amicitiæ.

ALEXANDRI NOVOLARIAE Comitis, Iuuenis (prô dolor) & bellicis & litterarijs dotibus ornatiss. ossa hîc quiescũt pro tempore. Vixit ann. P. M. XXXIII.

Hic tantùm doluit, quòd in acie non cecidisset. quibus notus sat, miserè deplorandus. anno M. D. XXX. Non. August.

M. S.

HVGONI PEPVLO Comiti Bononiensi Qui cùm ad familiæ dignitatem, & splendorem non domesticas tantùm virtutes, sed & bellicæ

bellicę laudis decus adiunxisset: in maximis expeditionibus, consilio, atq; animi magnitudine proximum sibi imperijs gradum, & insigne apud cunctas Europæ nationes nomen meruit. Florēte gloria, & ætate sua extincto Philippus Pepulus Comes, fratri D. S. O. M. mœrens P. B. ann. XLIII. M. IV. D. XX. ●. Capuæ v. Kalend. Septem. M. D. XXVIII.

O semper inimica & inuida proficiscenti ad summam gloriam virtuti mors!

IBIDEM.

IOANNES DE CABANIGLIS Troię Comes, fati acerbitate luctus perpetuus, quibus meritò maxima erat spes. O. anno M. CCCC. LXXXIII. B. ann. XXX.

IBIDEM.

CONSTANTIA, DAVOLA & BEATRIX Picolominei Filiæ, reddunt, quæ sunt cæli, cælo, quæ sunt terræ, terræ: vt semper vnà vixêre, sic condi tumulo voluêre.

O beatam mutui amoris constantiam!

IN CAENACVLO MONACHORVM.

Alphonso Arragoniæ Regi Iustissimo, inuictissimo, munificentissimo, Oliuetus ordo, ob singularem erga se beneficentiam, qui cum hic coniunctiss. vixit, vt regia maiestate deposita, cum eis vnà cibum caperet, ministris deinde mensarum ministraret, lectitaretque F. C.

IN

IN S. MARIA MAIORE.

ANTE SACELLVM IOANNIS IOVIANI PONTANI.

D. MARIAE, DEI MATRI, ac D. IOANNI Euangelistæ Sacr. IOAN. IOVIANVS PONTANVS DEO. M. CCCC. XCII.

IN MARMOREIS TABELLIS VIII. MVRO SACELLI INSERTIS.

In magnis opibus, vt admodum difficile, sic admodum pulcrum est, seipsum continere.

In vtraque fortuna ipsius fortunæ memor esto.

Serò pœnitet, quamquam citò pœnitet, qui in re dubia nimis citò decernit.

Integritate fides alitur: fide verò amicitia.

Nec temeritas semper felix, neque prudentia vbique tuta.

Hominem esse se haud meminit, qui nunquam iniuriarum obliuiscitur.

Frustra leges prætereunt, quem non absoluerit conscientia.

In omni vitæ genere primum est, seipsum noscere.

IBIDEM.

ARAE DEDICATIO.

Tibi Deus Opt. Max. aram hanc dedicat Ioannes Iouianus, nec tecum paciscitur, vt sibi, liberis posterisq; suis benefaxis: cùm ipse volens libensque gratuitò benefacias cunctis: sed quia tibi ab omnibus debeantur omnia.

EPITAPHIVM PONTANI.

Viuus domum hanc mihi paraui.
Qua quiescerem mortuus.
Noli obsecro iniuriam mortuo facere,
Quam viuus fecerim nemini.
Sum enim IOANNES IOVIANVS PONTANVS,
Quem amauerunt bonæ musæ,
Suspexerunt viri probi,
Honestarunt Reges, Domini.
Scis iam, qui sim, aut qui potius fuerim.
Ego verò te hospes, in tenebris noscere nequeo.
Sed te ipsum vt noscas, rogo. Vale.

Obijt anno Christi M. D. III. AEtat. LXXVII.

HADRIANAE SAXONAE.

Illa tori benefida Comes, custosq; pudici,
Cuiq; & acus placuit, cui placuere coli.
Quæq; focum, castosq; lares seruauit, & aras
Et thura, & lacrymas, & pia serta dedit.
In prolem studiosa parens, & amabilis vni,
Quæ studuit caro casta placere viro.
Hic posita est ARIADNA, rosa, violaq; nitescant.
Quâ posita est, Syrio spiret odore locus.
Vrna crocum dominæ fundat, destillet amomum
Ad tumulum, & cineri spica Cilissa fluat.

¶ Quinquennio postquam, vxor, abijsti, dedicata prius ædiculâ, monumentum hoc tibi statui, tecum cotidianus vt loquerer; nec, si mihi non respondes, respondebit desiderium tui, per quod ipsa semper mecum es: aut obmutescet memoria, per quã ipse tecum

tecum loquor. Haue igitur mea HADRIANA. Vbi enim ossa mea tuis miscuero, vterque simul benè valebimus. Viuens tecum vixi annos XXIX. dies XXIX. Victurus pòst mortuus æternitatem æternam.

Ioannes Iouianus Pontanus HADRIANAE SAXONAE vxori optimæ, ac bene merentiss. POS. quæ vixit annos XLVI. M. VI. obijt Calend. Mart. anno M. CCCC. XC.

LVCIO FRANCISCO IOAN. PONTANI F.

Has aras pater ipse DEO, templumq; parabam,
Quo tu, Nate, meos contegeres cineres.
Heu fati vis laua, & lex variabilis aui!
Nam pater ipse tuos, Nate, struo tumulos.
Inferias puero senior, natoq; sepulcrum
Pono parens. heu, quid sidera dura parant!
Sed quodcumq; parant, breue sit; namq; optima vita
Pars exacta mihi est; cetera funus erunt.
Hoc tibi pro tabulis statuo. pater ipse dolorum
Hares: tu tumulos pro patrimonio habe.

Vixit annos xxix. M. V. D. III.
LVCIO FRANCISCO F. Pontanus Pater, anno Christi M. CCCC. IIC. D. XXIII. August. POS.

LVCILII EIVSDEM PONTANI FILII.

LVCILI tibi lux nomen dedit, & dedit ipsa
Mater stella tibi, stellaq;, luxq; simul.

Eripuit nox atra, nigra eripuere tenebræ.
Vixisti vix, quod littera prima notat.
Hosne dies breue tamne tibi lux fulsit, & aura
Maternum in nimbis sic tenuere iubar?
Infelix fatum! puer heu malè felix! heu quod
Nec puer es, nec lux, nec, nisi inane. quid es?
Floreat ad pueri tumulum ver, halet & vrna,
LVCILI & cineri spiret inustus odor.

Dies L. non inplesti fili. ô breue naturæ specimen! æternus parentum mœror ac desiderium!

Has LVCI tibi & inferias, & munera soluo,
Annua vota pijs, (heu mihi!) cum lacrymis.
Hæc LVCI tibi & ad tumulos positumq; pheretrum
Dona pater multis diluo cum lacrymis.
Hæc dona, inferiasq; heu, heu, nunc nate capillum,
Incanasq; comas accipe, & has lacrymas.
His lacrymis, his te inferijs, hoc munere condo.
Nate vale æternum, ô & valeant tumuli.
Quin & hient tumuli, & tellus hiet, & tibi me me
Reddat, & vna duos vrna tegat cineres.

Pontanus Pater L. FRAN. F. Infelici.

L. MARTIAE FILIAE.

Liquisti patrem in tenebris me LVCIA, postquam
E luce in tenebras Filia rapta mihi es.
Sed neq; tu in tenebras rapta es, quin ipsa tenebras
Liquisti, & medio LVCIA sole micas.
Cælo te natam aspicio, num nata parentem
Aspicis? an fingit hæc tibi vana pater?
Solamen mortis miseræ te nata sepulcrum

Hoc

Hoc tegit, haud cineri sensus inesse potest.
Si qua tamen de te superat pars, nata; fatere
Felicem, quod te prima iuuenta rapit.
At nos in tenebris vitam luctuqúe trahemus.
Hoc precium patri filia quod genui.

Musæ, filia, luxerunt te in obitu: at lapide in hoc luget te pater tuus; quem liquisti in squalore, cruciatu, gemitu. Heu, heu filia, quod nec morienti pater affui, qui mortis cordolium tibi demerem: nec sorores, quæ ingemiscenti collacrymarentur misellæ. Nec frater singultiens, qui sitienti ministraret aquulam; non mater ipsa, quæ collo implicita, ore animulam exciperet infelicissima. Hoc tamen felix, quòd haud multos post annos te reuisit, tecumque nunc cubat. Ast ego infelicior; qui breui cum vtroque edormiscam, eodem in conditorio. Vale filia, matrique frigescenti cineres interim caleface, vt pòst etiam refocilles meos. Ioan. Iouianus Pontanus LVCIAE MARTIAE filiæ dulcis. P. quæ vixit annos XIIII. M. VII. D. XII.

PETRO COMPATRI VIRO OFFICIOSISSIMO CONSTANTEM *ob amicitiam.*

IO. PONTANVS.

Quid agam, requiris? tabesco. Scire quid sim cupis? fui. Vitæ quæ fuerint condimenta, rogas? Labor, dolor, ægritudo, luctus; seruire superbis Dominis: iugum ferre superstitionis: quos charos habeas, sepelire: patriæ videre excidium: nam vxoris molestiam nunquam sensi.

ANONYMI.

Hæc ſatis in tumulo. fragilem te noueris eſſe:
Mors certa eſt, tempus perbreue, vita nihil.

ALIVD.

Care viator abi, & non plora pro me, nam è morte vita.

IN S. MARIA NOVA.

ODETTO LAVTRECCO FVCCIO Conſaluus Ferdinandus Ludouici Cordubani F. Magni Conſalui nepos, cum eius oſſa, quamuis hoſtis, vt belli fortuna tulerat, ſine honore iacere comperiſſet; humanarum miſeriarum memor, Gallo duci Hiſpanus Princeps in auito ſacello P.

IBIDEM.

Oſſibus, & memoriæ PETRI NAVARRAE Cantabri, ſolerti in expugnandis vrbibus arte clariſſimi, Conſaluus Ferdinandus Ludouici filius, Magni Conſalui N. Sueſſæ Princeps Ducum Gallorum partes ſecutum pio ſepulcri munere honeſtauit, cum hoc in ſe habeat præclara virtus, vt etiam in hoſte ſit admirabilis.

IBIDEM.

LOYSIA DE PENNA Raphaelis F. Sanctij Vitaliani vxor, multarum familiarum auia, proauia, ne id negotij poſteris relinqueret, viuens curauit. Vixit annos huc vſque L X X X. anno ſalutis M. D. X X I. Septemb. X X I X.

IBIDEM.

CONSTANTINVS CASTRIOTVS hîc tegitur, ſanguine & cognatione Regum ac Cæſarea clarus; morum candore inſignis, dignitate Pontifex Eſernienſis; dum probè viuit; intempeſtiuè moritur. Andronica cominata auia paterna, nepoti optimo poſuit M. D.

ALIVD.

Herrico Pandono Borianenſium Duci, Venafrique Dn. & Catharinæ Aquæviuæ, coniugibus concordiſs. Hippolyta Ferdinandi Regis Arragonei neptis, filio, nuruique infelicíſs. contra votum ſuperſtes infelicior, æterno mœrore poſuit. An. à partu Virginis M. D. XXXI.

ALIVD.

Petrus de Iccis Hiſpanus, genere inſignis, Equitum ſignifer. Qui quinque luſtris in bellis Italicis, pro Carolo V. Imperatore ſtrenuè & ſumma cum fide militauit: & ob ſuam virtutem Borbonum oppidum in præmij partem accepit. dum quietam vitam viuere putarat; DEI iuſſu ad cœlum, vbi vera captatur quies, aſcendit. D. VI. Febr. M. D. XXXV. ætatis ſuæ annorum XXXIX. menſ. IIX. d. XI.

IN S. MARIA ANNVNCIATA.

ISABELLAE RICHISENTIAE.

Hoſpes legas, ne lugeas, rogo.
Illa ISABELLA RICHISENTIA Cardonia
Neap. Proregina iacet hîc.

Qua

Quam si oculis in terris vidisse viuentem
Summa fuit beatitudo:
Quantò feliciores erunt, quibus animo
In cælis eandem (quinam mori potuit?)
Contemplari contigerit!
Credendum est, eius formam & virtutem
Animæ ad æternam gloriam fuisse comites.

Occidit aurora oriente, ætatis suæ Ann. XXXVI. V. Mart.

D. O. M.

O MORTALIVM VARIAM INSTABILEMQVE FORTVNAM!

IOAN. BOOT Antuerpiæ nascitur: vt prudentior fieret, lustrat Europam: Tandem Neapoli, dum legibus operam nauat, atque officiosissimè negotiatur: maiorum splendore nobilis; fide, pietate, ac singulari integritate longè nobilior: in ipso ætatis flore moritur: Antonius fratruelis; quem viuum seruare non potuit, hic ex testamento condito cadauere, pijs lacrymis ad superos conscendentem prosecutus est. Decessit à partu virgineo M.D.LVII. D.XXIIII. Febr.

LVCRETIA EBVLA.

Perpetuus mariti dolor, hic sita est.
Ioannes Vincentius Loffredus
Coniugi dulcißimæ fecit. Voluit idem
Huc eius inferri cineres; vt cum ea
Semper vnà esse posse mortuo saltem
Liceat, id quod viuo non licuit.
Hinc pauperum cadauera non arceantur.

D. O. M.

D. O. M.

Ferdinandus Manlius Neap. Camp. architectus. Qui Petri Toleti Neapolitani Proregis auspicio regijs ædibus extruendis: plateis sternendis: cryptæ aperiendæ: vijs & pontibus in ampliorem formam restituendis: palustribusque aquis deducendis præfuit. Cuius elaboratum industria, vt tutius viatoribus iter, loci colonis salubriores essent: Timotheo Encyclio Mathemat. pietatis rariss. filio. Qui vixit ann. XIX. m. VI. d. V. sibi, ac suis viuens fecit. A Christo nato M.D.LIII.

IBIDEM.

ANTONIVS AMABILIS Protonotarius Apostolicus, Canonicus Neap. de suo nihil aliud, quàm tantulum marmoris sibi reliquit. Ann. M.D.LII.

IBIDEM.

Si genus, pulchritudo, ingenium, si parentum amor,
Pietas, labor, ac diligentia mortales asserere possent
Ab impetu furentis mortis; Portia Pignatella infelix
Mater, inuitaque superstes, nunquam LVCRETIAE
CARACCIOLAE nobile cadauer, lacrymans, sacro spiritui, hoc tumulo condidisset.

Vixit ann. XXIIII. m. XI. d. XXVI.
Decessit à partu virgineo. An. M.D.LII.

IBIDEM.

ANTONIVS ROTA & LVCRETIA BLANCIA

CIA viui sibi H.M.PP. vt quâ vixêre concordia, & mortui quoque vnà quiescerent, neue eorum inquietarentur ossa, cauerunt, ne quis omninò monumentum sequatur. Bene viuunt boni coniuges, bene etiam moriuntur.

IN S. MARIA IN ADITV CAVERNAE MONTIS PANSILYPI.

AEtas, forma, genus, nos heîc cum corpore liquit,
In terris, & opes, corporis exuuias.
Ast animam, comites quæ semper in orbe fuere,
Lucida virtutum duxit ad astra chorus.
Tres nati coniux ex me tibi care supersunt,
Immatura duos mors tulit: ipsa sequor.

VIRGILII IN ANTIQVA VRNA.

Mantua me genuit, Calabri rapuêre, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, Duces.

ALIVD IN CANDIDO MARMORE.

Qui cineres? tumuli hæc vestigia; conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, Duces.

ALIVD PER IOANNEM LVD. VIVEM.

Hic ego qui iaceo, terno MARO carmine clarus
Pastores lusi, colui rus, bellaque scripsi.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NOBIL. POETAE.

Da sacro cineri flores; hic ille Maroni
SYNCERVS Musa proximus, vt tumulo.

ALIVD.

ALIVD.

ACTIVS hic situs est: cineres gaudete sepulti;
Nam vaga post obitus vmbra dolore caret.

Vixit ann. LXXII. M. I. D. XXIX. Obijt An. M.D.XXX.

PETRVS BEMBVS DE SANNAZARIO.

Quid moror? æterni te suspicit vmbra Maronis,
Et tibi vicinum donat habere locum.

IN EIVS OPVSCVLVM DE PARTV VIRGINIS.

Smyrnam olim decimum presisti, Cinna, sub annum:
Hic gessit partum bis duo lustra suum.

ANTONIVS TIBALDEVS.

Virginis intactæ partum, partumque videbis,
Actia quem docto pectore Musa dedit.
Admirandi ambo. humanæ fuit ille saluti
Vtilis: humanis hic fuit ingenijs.

IN MONASTERIO MONTIS VIRGINIS.

MATTHAEVS DE AFFLICTO, Nobilis Neap. ad extremam senectutem integra & animi & corporis valetudine peruenit. Sub V. Neapolitanorum Regibus se fidelem consiliarium gessit: vtriusque Iuris peritiss. de Feudis, & Regni constitutionibus copiosissimè scripsit. Multa scitiss. consilia reliquit. Annum agens ferè 80. naturæ concessit.

IN

IN S. MARIA POPVLI.

FERDINANDI DVCIS TERMVLANI.

Hic æquis passibus patrem secutus, æquè enituisset: ni mors immatura tantam gloriæ expectationem intercepisset.

Quæ mihi debebas supremæ munera vitæ,
Infelix soluo nunc tibi, Nate, prior.
(Fortuna inconstans, lex & variabilis æui)
Debueras cineri iam superesse meo.
Hæc dat matris amor rapti solamina nati,
Inuida cui Lachesis tam breue nectit opus.
Nate iaces viuo, contra mea vota, superstes.
Vox gemitus posthac, lux mihi erunt tenebræ.

Maria Ayerba Ferdinando Termulanorum Duci, filio dulcissimo perpetuò mœrens Pos. M.D.XXXI.

IN SACELLO GARAPPI.

Sacellum hoc quod D. ANT. GARAPPVS, immaturum pudicissimæ filiæ ISABELLAE obitum deflens, inchoârat, paríque fato (heu mortalium fragilitatem!) non perfecerat, IOAN. FERRANO, CORCIONIVS infelix gener, post mortem obsequentior, absoluendum curauit, carosque cineres hac vrna lacrymans condidit: vt, quos viuos charitas coniunxerat, Mors dirimere non posset. Anno salutis M. D. LIIII.

IN S. MARIA DE GRATIA.

GALEATIVS IVSTINIANVS Bricciј F. Præfectus classis. BAPTISTAE fratri pientiss. ac B. M.

B. M. sibique viuens Pos. vt ita mortis simul soporem dormiant; sicut vitæ concorditer excubias vigilarunt. Et ne viator aberres; se dupliciti iactant patria: genuit dulcis Genua, pulcra tenet Parthenope; Caralo V. Imperat. H. M. H. N. S.

IBIDEM.

Beatrix Gratiana Parthenopæa, illibatam virginitatem seruans; recordata quòd mortalis erat; sibi tumulum hunc viua Pos. donec tuba canet. Anno M. D. XXV. Die V. Iulij.

IBIDEM.

Antonio Brancaleoni à Cæsaris rationibus, spectatæ fidei Viro, filij, extinctâ vitâ, mœsti; viuâ famâ læti, & sibi F. F. Vixit annos LXXX.

IN S. MARIA DE SAPIENTIA.

Bernardina Fransa mihi & meis feci. Certa domus, secura quies, nil quærimus vltra. M.D.LVI.

IN S. IOANNE DE CARBONARIA.

TIBI COELI REGINA.

Galeatius Caracciolus, cui bona multa contulisti, à quo item mala abruncasti plurima, sacellum marmoreum, cum signis, & omni cultu, gratus libensque dedico, & tanquam decumam soluo. Anno post editam à te salutem M. D. XVI. VIII. Id. Ian.

Galeacio Caracciolo, qui sub Regibus Arragonijs egregiam sæpius in bello operam

 naua-

nauauit: quique in expugnatione Hydruntina aduersus Turcas Regijs signis præfuit.

Vixit ann. LVII. Nicolaus Anton. parenti opt. fecit.

IBIDEM.

LVCRETIA DE BAVCIS, Comitissa Burgentiæ, & Cagiani Ducissa, videns defunctorum curam triduo deleri, ne posteris vlla sui relinquatur, viuens hoc sibi POS.

LADISLAI REGIS.

Improba mors nostris (heu!) semper, & obuia rebus,
Dum Rex magnanimus totum spe concipit orbem,
En moritur; saxo tegitur Rex inclytus isto,
Libera sidereum Mens ipsa petiuit Olympum.

DEINDE.

Qui populos bello tumidos, qui clade tyrannos
Perculit, intrepidus victor terraque marique,
Lux Italum, Regni splendor clarissimus hic est
Rex LADISLAVS, decus altum, & gloria Regum;
Cui tanto (heu!) lacrymans Soror illustrissima Fratri
Defuncto pulcrum dedit hoc Regina IOANNA,
Vtraque sculpta sedens, maiestas vltima Regum
Francorum, soboles Caroli sub origine primi.

IN EIVSDEM TVMVLVM SANNAZARIVS.

Miraris niueis pendentia saxa columnis
Hospes; & hunc, acri qui sedet altus equo?
Quid si animos, roburque Ducis, præclaraque nosses
Pectora, & inuictas dura per arma manus?

Hic

Hic Capitolinus deiecit sedibus hostem:
Bisqúe triumphata victor ab vrbe redit.
Italiamqúe omnem bello concussit, & armis,
Intulit Hetrusco signa tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix,
Ante suos vidit Gallica sceptra pedes:
Cumqúe rebellantem pressisset pontibus Arnum,
Mors vetuit sextam claudere olympiadem.
I nunc, bella para, fastusqúe attolle superbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

IN S. IOAN. EVANGELISTAE.

ANGELO PAPACODAE, Fran. Filio Martoranensi Episcopo, viro ornatissimo, qui in non magnis opibus magnum exercens animum, nulla magis in re, quàm aliorum leuanda inopia suis bonis vsus est. Hæredes B. M. P. Decessit ex mortalibus ann. nat. LXVI. ab ortu mundi rediuiui M.D.XXXVII.

IN S. IOANNE MAIORE.

Auete parentes opt. TOMASIO DVRO, rari exempli Patritio: & Iuliæ Rotæ genere, & religione insigni: Filij collacrymantes facere cur. erepti. An. M.D.XXXVI.

Felices, quibus vna fuit mens semper; & vna
Quos tulit hora simul; quos lapis vnus habet.

ABBATIS ANISII.

Onustus æuo IANVS hîc ANISIVS,
Quærens melius iter, reliquit sarcinam,
Qua prægrauato nulla concessa est quies:

Tum si qua fulsit; cum Camœnis hæc stetit,
Quæ mox facessiuere plus negotij.

H. M. H. N. S.

Hoc de suo sumpsit, sacrum est, ne tangito.

IN S. IOANNE ET PAVLO.

Tres tulit vna dies: fuerat tribus vna voluptas,
Tres habet heu! tumulus, lector abi, & lacruma.

AD EFFIGIEM DIMIDIATAE STATVAE.

Quid me miraris duro de marmore factam?
Respice te potius: vermibus esca manes.

IN S. GREGORIO MAIORE.

Orbitatis miseræ miserere hospes. Vnica spes parentum, vnica lux, egregiâ formâ, rarâ indole puer, triennio vix exacto hîc è suorum complexu raptus, clauditur. En rerum humanarum conditio. IOANNI BAPT. MONTIO Parentes mœstiss. Poss.

CATHARINAE PVERPERAE.

Indulgens natura fuit, sors cruda puella,
Quæ iacet hic primo rapta puerperio.
Et decor, & lepidi mores, & dulcia lingua
Flumina, & ætatis flos, pietatis amor,
Decretum duri nequierunt vincere fati:
Ante diem bona tot sustulit vna dies.
Talis ad Elysios abijt CATHARINA recessus;
Lucifer vt visus nube adopertus abit.
Perpetuas liquit lacrymas vtrique parenti,
Perpetuò extinctam sexus vterque dolet.

IN

IN S. ANTONIO.

IOAN. BAPT. SOLANVS Valentinus, vir tam Mathematicis, quàm Philosophiâ apprimè eruditus, dum Ophthalmiam ex assiduis studijs contractam curare studet, remedium quærens, in mortem incurrit, Anno ætatis suæ XXX. Obijt M. D. XLV. V. Kalend. April. hora III. M. H. M.F. C. ALVARVS QVADRATA Episcopus Venusinus.

IN S. IOSEPHO.

Sic mors ipsa, cum venerit, vincitur,
Si, priusquam veniat, semper timeatur.

IN S. IACOBO HISPANORVM.

PETRVS TOLEDVS Friderici Ducis Aluæ F. Marchio Villæ Franchæ, Regni Neapolitani Prorex, Turcarum, omniumque hostium spe sublata, restitutâ iustitiâ, vrbe mœnijs, arce, foroque aucta, munita, exornata: denique toto regno diuitijs ac hilari securitate repleto, monumentum virens in Ecclesiâ dotatâ, & à fundamentis erecta Pon. mand. Vixit annos LXXIII. Rexit XXI. Obijt M. D. LIII. VI. Kal. Feb.

D. O. M.

Subsiste parumper viator, si placet, & quis hoc tegatur tumulo, lege. Fuit is IOANNES ille VVALTHERVS ab Hirhaim Germanus, inter equestris ordinis viros miles fortiss. qui Carolum V. Imper. Augustum in omni fortuna secutus, à consilijs illi, à legationibus, & præcipuis munijs bellicis fidelem & strenuam operam præstitit.

Idem eius filio Philippo Hispan. & Angliæ Regi præstiturus, VI. mill. Germanorum in hoc regnum duxit; sed eodem die, quo in Hernicis pax bello, morbus vitæ illius finem imposuit. Ergo tu, quisquis es miles, qui hæc legeris, fato tuo ne terrere, sed cogita, summos etiam Duces sæpe extra bellum occumbere. Obijt XVIII. Augusti, anno M.D.LVIII.

Henricus à Papenhaim Sac. Rom. Imp. Hæreditarius Mareschalcus, militum tribunus, auunculo bene merito gratitudinis ergò cum lacrymis P.F.

IN S. SEVERINO.

Hic ossa quiescunt IACOBI SANSEVERINI, Comitis Saponariæ, veneno miserè, ob auaritiam, necati, cum duobus miseris fratribus, eodem fato, eadem hora commorientibus.

IBIDEM.

Iacet hic Sigismundus SANSEVERINVS, veneno impiè absumptus, qui eodem fato, eodem tempore, pereuntes Germanos fratres nec alloqui, nec cernere potuit.

IBIDEM.

Hic situs est ASCANIVS SANSEVERINVS, cui, obeunti eodem veneno iniquè atque impiè, commorientes fratres, nec alloqui, nec videre quidem licuit.

IBI-

IBIDEM.

Hoſpes miſerrimæ miſerrimam defleas orbitatem. En illa HIPPOLYTA MONTIA, poſt natas fœminas infeliciſſima; quæ VGONI SANSEVERINO coniugi tres maximæ expectationis F. F. F. peperi. Qui venenatis poculis (vicit in familia, prô ſcelus! pietatem cupiditas, timorem audacia, & rationem amentia) vnà in miſerorum complexibus parentum miſerabiliter illicò expirarunt. Vir, ægritudine ſenſim obrepente, paucis poſt annis in his etiam manibus exſpirauit. Ego tot ſuperſtes funeribus, cuius requies in tenebris, ſolamen in lacrymis, & cura omnis in morte collocatur: quos vides ſeparatim tumulos, ob æterni doloris monumentum, & in memoriam poſui illorum ſempiternam. Anno M.D.XLVII.

IBIDEM.

Dum facio infelix æterno funera fletu,
Creuerunt lacrymis hæc monumenta meis.
Quis, niſi molliſſem triſtiſſima corda, rigerem
Ipſa etiam, hoc toto corpore facta ſilex.

GVIDONII FERRAMOSCAE Comiti Magnanimo Coniugi O. M. Iſabella Caſtriota infelix contra votum P.

ANDREAE CICARAE.

Nate patris, matriſquè amor, & ſuprema voluptas,
En tibi, quæ nobis te dare ſors vetuit,
Buſta damus, triſteſquè notas, hinc inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

ANDREAE F. dulciss. qui vixit ann. VI. M. II. D. XX. Robertus Bonifacius, & Lucretia Cicara Parentes, ob raram indolem.

IN S. ANELLO.

IVLIVS FELTRIVS eram anno Christ. salut. M. D. XXVIII. Martij die IIII. & XX. fabulam clusi meam.

PORTIAE CARACCIOLAE.

Qui legis mortem, incusato, quæ tot venustatis ornamenta, tot gratiarum elegantias, tot pudicitiæ flosculos in vna PORTIA CARACCIOLA germinantes acerbissimè sepeliuit. Isabella soror Castrouillari Dux hanc illi vrnam, immortalium caussam lacrymarum, erexit. M. D. L.

Quisquis me nunc calcas viuus, cogita, si sapis, idem te mox futurum.

IBIDEM.

Ecce, superbientis naturæ qualis sit mox futurus casus.

AD S. CRVCEM.

Hic iacet summæ humilitatis exemplar, corpus venerabilis memoriæ sanctæ sororis CLARAE, olim Dominæ Sanciæ, Reginæ Hierusalem, & Siciliæ, relictæ claræ memoriæ serenis. D. Roberti, Hierusalē & Siciliæ Regis, quæ post obitū eiusdem Regis viri sui, agens viduitatis debitę annū, deinde transitoria pro æternis commutans, ac induens in eius corpore, pro amore Christi, voluntariam paupertatem, bonis suis omnibus in alimoniam pauperum distributis, hoc celebre monasterium sanctæ Crucis, opus manuum suarum, sub

sub ordinis obedientia est ingressa, anno Dñi millesimo trecentesimo, quadragesimo quarto, die xxi. Ianuarij, duodecimæ Indictionis: in quo vitā beatam ducens, secundùm regulam B. Francisci Patris pauperum; tandem vitæ suæ terminum religiosè consummauit. Anno Domini M. CCC. xxxxv. Die XXVIII. Iulij, tertiæ decimæ Indict. sequenti verò die factis exsequijs tumulatur.

IBIDEM.

F. ANGELO NEAPOLITANO B. M. qui sic obijt, vt viuere docuit, D. PETRVS à TOLEDO Neapol. Prorex, piam ob amicitiam Pont. iussit anno M. D. XLI.

IN S. LAVRENTIO.

IOAN. FRANC. PIGONNO, in quo tot virtutum flores enitebant, vt immortales posteris fructus pollicerentur: sed tantum eheu! spem fructuū rapidus Auster illicò ad terram decussit, AVRELIVS & CAECILIA VRSINA parentt. certatim lacrymantes, filio quàm Cariss. ob egregias dotes POSS. Elatus quiescenti, quàm mortuo similior, annum agens XIII. M. D. XLVIII.

IBIDEM.

VITO PISANELLO, ex antiqua orto familia: vtpotè cui Pisæ in Achaia, vnde ea est, cognomen indidêre. Federici Regis, à secretis intimo, atque à latere Consiliario, & miserrimis temporibus laborum, itinerum, periculorumq; socio. Dein Ferdinando Regi Catholico, ob raram aduersis in rebus fidem, Gallis regnum inuadentibus, acceptiss. Qui post receptam Neapolim an. agens LXXIII.

 in eius

Detractum ERRICO *nihil est sub iudice morum,*
Quo meritò iactat se Puderica Domus.
Dic igitur pia verba: simul cum thure Sacerdos
Da nardum. huic tumulo dicere non sat, aue, est.

IN S. AVGVSTINO.

COLVTII COPVLAE.

Nil meum, quod debui, reddidi D. O. M.

COLVTIVS COPVLA Patrit. Neapolit. Iuris Ciuilis ac Pontificij in iuuētą donatus insignibus, cuius Patrociniū omnis sexus, omnis ordo in caussis optauit, hoc sibi suisque posteris, viuus, sepulcri memor, POS. Expecto donec veniat immutatio mea. M. D. XXI.

IBIDEM.

Quot lacrymas moriens liquisti, filia, matri,
Tot tibi dent superi gaudia perpetuo.
Ter conata sequi, ter spiritus haeserat ori,
Quod volui, haud potui, te moriente mori.
Solamen si quod misera est, insomnia praestant,
Quum tristem in somnis ludit imago animam.

CLAVDIAE GAGLIANAE foeminae rariss. Quae vixit annos XIX. menses X. dies IV. Angela Ferrayola mater infeliciss. F. Quam tunc dolor intestinus deseret, quum clemens mors illam assequetur.

IBIDEM.

Anno Domini M. CCC. XXVIII.
II, April. Indictione XI.
obijt

BEA-

BEATVS AVGVSTINVS TRIVMPHVS
DE ANCONA,
Magiſter in ſacra pagina,
Ordinis Patrum Eremitarum
S. Auguſtini,
qui vixit annos LXXXV.
ediditque ſuo angelico ingenio XXXVII
Volumina librorum,
Sanctus in vita & clarus
in ſcientia.

D. O. M.

ANTONIVS CORRADIVS Aquinatum Pontifex, nobilitate clarus, virtute clarior, pietate ac religione clariſsimus, hic ſitus eſt. DARIA GREGORIA de Aquino leuiro benemerenti ex ſuo POS. ann. ab ortu ſalutis M. D. XXXIV.

IBIDEM.

DIONEVS filii TORNAQVINTIVS, ann. vixi vix XVIII. vitæ inſtabilitatis exemplum. M. D. XIIII.

IBIDEM.

Flere tuum licuit frater dulciſsime funus:
Addere perpetuas non licuit lacrymas.

PAVLO FONTANAE Auguſtiniano Theologo, Concionatori ætatis ſuæ eloquentiſſ. qui vixit ann. XXXIV. M. IV. D. VII. Michael Fontana frat. opt. ac B. M. ob pietatem poſuit. Obijt anno Chriſti M.D.XXIV. Auguſti XXVI.

Sub hoc Epitaphio picta eſt aquila, tenens librum magnum apertum, adiectis verbis ſeqq.

PAV-

PAVLVM verò Neapolit.Eremit.in quo potiſſimùm laudum genere collocem, non inuenio. Nam ſi probitatem,ſi ſtudia,humanitatem, liberalitatem,gratiam ſpectem; nemini ſecundus apparebit. Si dicendi peritiam,facundiam, promptitudinem, modulatiſſ.vocem, aptiſſ. geſtus, concinnos flores,luculenta verba,beatam memoriã, feruentiſſ. hortationes, propheticum furorem : primum in ſua ætate locũ facilè obtinebit.cuius perennem atque beatiſſ. eloquentiæ fontem toties Vrbs ipſa Roma,Venetorum Senatus, Ianua, Panhormus,Sicilia,Regnum Apulię,&quod rariſſ.eſt, patria Neapolis,maximo plauſu pluries eſt admirata:quem in medio fortunatum curſu, vt deſiderabiliorem nobis, ſic & feliciorem ſibi, mors ipſa abſtulit, finem quoque tantorum laborum & volenti,& plurimum exoptanti præſtitit.

ALIVD.

Fides,probitas,pudor, hijs cineribus perpetuò comites,communem heic ęternitatem exſpectant, BARTHOLOMAEO PACCIO, NICOLAO MEDICI, & BEATRICI eius F.ciuibus NEAPOLIT. ex vetuſtiſſ.Florentiæ familijs: Nicol. Anellus Paccius, Art. & Med.Doctor,patri,auo, & matri ob debitam pietatem, ſibi ac poſteris P.Ann.à Deo homine M.D.LX.

IN S. SEBASTIANO.

MARIAE FRANC. VRSINAE Ioan. Manupelli Comitis,F.quæ,defuncto viro Ioanne Antonio Martiano Sinuiſſæ Duce,qui cum VI.ann.concordiſſimè vixiſſet,neglectis huius vitę illecebris, vt æternam aſſequeretur, inſtaurato auctoque ſua impen-

impensa hoc DD. Petri & Sebastiani Monasterio, introductâ auctioris vitæ obseruatione, cum se totam Deo deuouisset, XXX. agens annum, à Monialium cœtu, ob morum sanctitatem Moderatrix delecta, per XXXII. ann. inclusam vitã inculpatiss. transegit; Priorissa, & Moniales auctori sanioris vitæ & reformatrici B. M. P. Obijt anno M. CD. LXXXIII. mens. Ianuar.

IOANNIS ALEFELDII EQ. CIMBRI, ANNO M. CCCC. LXXXI. exstincti.

DEFVNCTVS LOQVITVR.

Est huius vitæ cursus labyrinthus, in ipsum
Ex vtero intraui, morte vorante, abij.
Erraui hîc quantum DEVS & mea fata volebant,
Lustraq; transmisi quinq;, diesq; decem,
Nobilibus tribui studijs hæc tempora vitæ,
Vt sic nobilior nobilis ipse forem.
Nunc iaceo, patria longè tumulatus ab oris,
Iudicis exspectans acta suprema DEI.
Cimbrica me genuit tellus arctoa, sub austro
Parthenope rapuit, Parthenopeq; tenet.

Fratri charissimo Baltazar de Alefelt
C. L. P.

IN DIVAE CLARAE.

Nata, eheu miserum! misero mihi nata parenti,
Vnicus vt fieres vnica nata dolor.
Nam tibi dumq; viri, tædas, thalamumq; parabam,
Funera & inferias anxius ecce paro.

Debui-

Debuimus tecum poni, materq́ꝫ, paterq́ꝫ,
Vt tribus hac miseris vrna parata foret.
At nos perpetui gemitus, tu nata sepulcri
Esto hæres, vbi sic impia fata volunt.

ANTONIAE, filię clariss. quæ Hieronymo Granatæ iuueni ornatiss. destinata, vxor ann. nondum impleuerat XIV.

IOAN. GAVDINVS, & Eleonora Bossa, parentes infeliciss. pos. Rapta ex eorum complexibus, An. salut. M. D. XXX. Prid. Cal. Ianu.

VENERILLAE PVELLAE.

Vrna vt sit tibi salua, precor, quæ ad flumina pergis;
Tu verò, vt mihi sit cura, precare, leuis.
Siste, mora est breuis: hac, lege VENERILLA quiescat
Manibus & bene sit, & bene sit cineri.
Mutua sed faciam: bene sit tibi, sit bene nat[illegible],
Sit quoqꝫ cum placido lis tibi nulla viro.
Auctor Iouianus Pontanus.

HOMINIS MENDICI.

Nulla mihi viuo domus, at nunc certa sepulto est,
Vitaq́ꝫ paupertas, mors mihi diuitiæ.
Vita mihi exilium, requies ac certa sepulcrum:
Nudus eram viuus, mortuus ipse tegor.

D. O. M.

LACT. LVCAITIVS CAVSID,

Spiritum Deo, Prolem naturæ, laborem sorti,
Probitatem famæ, nefas Erebo, ossaq́; sepulcro.
Sibi viuens, ac Posteris D.

D. O. M.

D. O. M.

ISOTTA BAVTIA, Pyrrho Bautio Altimuri Principe, atque Maria Vrsina, parentibus inclitis genita: Petri Geuarę, magni regni hui' Seneschalci vxor, priscâ matronar. virtute ornatiss. mortale sui dimidium Sacello in hoc auito deponendum viuens cur. Cœlestem ad patriam spe summâ & fide ducibus migratura. Quid non æui longinqua vetustas, fortuna obsequente, mutat? Principatus ad alienos sors transtulit: Domina titulos seruauit inanes: at fœmina Princeps: licet tot claris orbata & titulis & fortunis; bona tamen animi sanctissima secum retinuit. Vixit ann. 70. mort. anno Theogoniæ 1530.

IN MONTE PIZO FALCONIO.

ANDREAS CARRAFAS, S. Seuerinæ Comes, villâ hic struxit, CARRAFINAMQ. appellauit; Lucullũ imitatus parili animo, licet opib' impar, atque ita sanxit. Delicati iuuenes huc ne accedunto. Emeriti senes, nec inglorij, honesta quiete hic fruuntor. Viri docti bonique ingenia hic exercento. Qui è Carrafa gentilitate fuerit, qui sanctiones hasce nõ seruauerit, suburbani huius exhæres esto, proximiorque succedito. Anno M. D. XII.

IN LEVCOPETRA VILLA.

Hospes, etsi properas, ne sis impius, præteriens hoc ædificium veneratot. Hic enim Carolus V. Rom. Imp. à debellata Africa veniens, triduum in liberali LEVCOPETRAE gremio cõsumpsit. florem spargito, & vale. Anno M. D. XXXV.

IN TVRRI.

Vt diurno lusu defessus Pan, Satyris Nymphisque comitantibus, cum musis simul tutus à prædonibus noctu quiesceret, Bernardus Martyranus Patritius Consentinus, Regni Neapolitani sub Carolo Cęsare V. Secretarius, propugnaculum hoc erexit. Anno M. D. XXXII.

IN FORNICE NYMPHAEI.

BERNARDVS MARTYRANVS Consentinus, Imp. Carolo Cæs. Augusto à consilijs, in Regno Neapolitano Secret. qui magnis domi militiæq; functus honoribus, decus vetustissimæ familiæ auxit sua virtute & dignitate. post labores honestos fortiterque susceptos, ex opere nouo Concharum Nymphæum hoc Genio POS. & Otio liberali. Anno M. D. XXXIV.

PONTIS MAGDALENAE SVPRA SEBETHVM.

Siue hospes, siue inquilinus viator es, bene adsis: quem vides pontem collata prouincialium popular: pecunia, publicæ commoditati restituit, BERNARDINO MENDOTIO, Principe optimo, auspice: dum regno Philippi Austrij, regis nostri inclyti, nomine, summa omnium beneuolentia præfuit. Transi felix, & vtere. M. D. LV.

IN HORTO SECRETO PROREGIS IN COLVMNA.

PETRVS TOLETVS Hispanus, Marchio Vill Franchæ, Neapoli Prorex, nouam cum hippod mo porticum nouæ arci primis regendi ausp

ALIVD.

Consilijs Calchas, animo Hector, robore Achilles,
Eloquio Nestor, iacet hic BORBONIVS Heros.

SALERNI IN CAMPANIA.

AD S. MATTHAEVM.

GREGORIO VII. Soanési, Pont. Opt. Max. Ecclesiasticæ libertatis vindici acerrimo, assertori constantissimo: qui dum Rom. Pôt. auctoritatem aduersus Henrici perfidiam strenuè tuetur, Salerni sanctè decubuit, anno Domini M. LXXXV. VIII. Kal. Iunij, MARCVS ANTONIVS COLVMNA, MARSILIVS BONGINENSIS Archiepiscopus Salernitanus, cùm illius corpus quingentos circiter annos, sacris amictum, ac ferè integrum reperissent, ne tanti Pôtificis sepulcrum diutius memoria careret; Gregorio XIII. Bononiense sedente, anno Dñi M. D. LXXVIII. Prid. Kalen. Quinct.

IVLII FERRETTI I. C. EPITAPHIVM IN S. SEVERO, QVOD EST OPIDVM in Apulia Daunia.

IVLIVS est nomen, Rauenna est patria dulcis,
Pontifici notus, notus & Imperio.
Iura poli, atq; tori, belli, terraq; marisq;
Descripsit, tandem conditur hoc tumulo.

EXVPERANTIVS FERRETTVS mœrens, Patri V. I. Doctori, Equiti, & Comiti, Apuliæ præ-

fecti, opt. & B. M. P. C. Vixit annos LX. Obijt VIII. Id. Mart. M. D. XLVII.

PVTEOLIS.

IN HORTO QVODAM.

PETRVS TOLETVS, Marchio Villæ Franchæ, Caroli V. Imp. in Regno Neapolit. Vicarius, vt Puteolanos ob recentem agri conflagrationem palanteis, ad pristinas sedes reuocaret, hortos, porticus, & fontes marmoreos, partâ victoriâ Africanâ, quam reportauerat, Otio Genioq; dicauit: ac, antiquo, instaurato, purgatoque ductu, aquas sitientibus ciuibus suâ impensâ restituit. Anno à partu virginis M. D. XL.

SPOLETI IN VMBRIA.

AD S. MARIAM.

THEONORAE BVRSINAE, Coniugi cariss. Seuerus Mineruius B. M. POS.

Vitam ego te geminam vixi viuente; fuisti
Supra hanc, quæ viuo, tu quoq; vita mihi.
Morte tua exanimis viuam, nam conditur vrnâ
Maxima tecum animæ pars, THEONORA, meæ.

PHILIPPI PICTORIS.

Conditus hîc ego sum picturæ fama PHILIPPVS,
Nulli ignota meæ gratia miræ manus.

Artifi-

Artificis potui digitis animare colores,
Spirataq; animos fallere voce diu.
Ipsa meis stupuit natura expressa figuris,
Meq; sibi fassa est artibus esse parem.
Marmoreo tumulo Medices LAVRENTIVS hoc me
Condidit: antè humili puluere tectus eram.

FVLGINIAE.

IN D. FELICIANO.

IVLIO II. Opt. Maxim. Pontif. quod LVCA CIBO Episcopo Fulginij exorante, annuo subsidio Clerum perpetuò liberauit, Canonici liberaliss. Principi POS. M. D. XII.

Clemente VII. Pont, Max. quod autore FRANCISCO ARMELINO, Medic. Presbyt. Cardin. S. R. E. & S. N. D. Camerario & Federico Flauio Archipresbytero supplice, XXV. aureorum nummos, ad omnem rerum sacrarum apparatum addixerit, D. Feliciani Sacerdotes benè mer. POSS. M. D. XXVI.

IBIDEM.

Ad mortem properas, vel si hîc paulùm ipse moreris;
Siste gradum, cœptum tutius vt sit iter.
Tutum iter ad mortem, tutum si viuere temnas,
Vt viuas, vita hæc cura sit vna tua.

IBIDEM.

VGOLINO CRISPOLTO Perusia genus & nobilitatem, Vectonium sedem, & honestas opes, Fulginia vxorem & vrnam dedit.

FANENSIA.

AD S. FRANCISCVM

DVCISS. BIANCAE.

CLara pudicitiæ dux PAVLA Bianca, potentis
A genitrice trahens Vrſini ſanguinis ortum,
Cui patrium Malateſta genus, celſumq; maritum
Pandulphum aula dedit, formæ ſplendoribus omnes
Vincens, atq; viros ſummis virtutibus æquans,
Hic cineres liquit, celeremq; petiuit olympum.

Obijt anno M. CCC. XCIII. in feſto D. Antonij.

IN FORO MAIORI.

GREGORII XIII. æternę memoriæ, ductum crateremque fontis, inſignibus ornatum, fides FANENSIVM dicauit, anno M. D. LXXVI. Benedicto Buccantio Patrit. Romano Fanum gubernante.

Decuit ſanè perennes latices GREGOR. XIII. Pontif. Max. Senatum Fanenſem pro ſua fide cultuque in foro dedicare, cum ipſe orbi ſeſe Religionis iuſtitiæ, Pacis fontem inexhauſtum præſtet.

IN CATHEDRA IVDICIS.

SVB GIGANTE PORTANTE COELVM in humeris.

Non leuius fert pondus optimus Senator.
Loquuntur multi; pauci dicunt.

AD CAMILLI.

Iustitiam, rectumq́ue sequi, monstrante CAMILLO,
Discite: sitq́ue dolo vincere, turpe viris.

ITEM.

Impietas pietate noua depulsa parentis,
Pro patria in patriam nos docet esse pios.

ITEM.

Pugnant tergemini per mutua vulnera fratres,
Asserere Imperium non sibi, sed patriæ.

ITEM.

Pro patria certamen obi, tibi candidus ales
Fiet, opemq́ue feret, sit licet ipse niger.

ALIVD.

Mollit, agit, nectitq́ue aures facundia; sed non
Labem animi eloquio tollere lingua potest.

PERVSINA.

IN PERVSIAM IVL. CAES. SCALIGER.

SAnguinea audaci conata PERVSIA ferro,
Tanquam hosti temerè sæpè inimica suis.
Partibus Imperium, vitales partibus auras
Colligit, inuisis partibus atra DEOS.
Væ tibi, sic odio quæ te partiris amaro.
Est, quæ non toto est corpore tota, nihil.
Quin etiam fera iura tui scripsere coloni:
Quæ iubeant tetras semper habere manus.

Vestrarum hæc igitur summa est sapientia legum,
Nolle placere alijs, velle nocere sibi.

IN ATRIO ARCIS.

PAVLVS III. Pontif. Max. tyrannide eiectâ, nouo ciuitatis statu cõstituto, bonorum quieti, & improborum freno, arcem à solo excitatam mira celeritate muniuit, pontificatus sui ann. IX. Salut. M. D. XLIII.

AD SERVOS.

BALDO SECVNDO Perusino I. V. Consultissimo filij pientiss. faciendum curauerunt, probaueruntque. Vixit ann. LXXVI. M. IV. D. VI. obijt M. CD. XC. Septemb. XXII.

Interpres vtriusq; Iuris ingens,
Orbis gloria, patriæ decusq;,
Hic BALDVS IACET ille Bartholinus;
Hui, BALDVM haud tegit hoc, sed ossa Baldi
Marmor, fama nitens volat superstes,
Cœlum spiritus innocens recurrit.
Dic lector VALE, & hinc recede felix.

De huius morte lege Andream Mathiolum Medicum.

Tumuli inscriptionem ex Hetrusco sic vertit Camerarius.

Humanis homini nihil est in rebus amicum:
Nemo scit, hora sua quæ sit, & vnde, necis.

De summa, quæ in illo fuit, Iuris cognitione notum est elogium:

Nemo, quod hunc latuit, sciuit: si iura monarcham
Ferre queant, tanto hic nomine dignus erat.

ANTE

ANTE AEDEM S. LAVRENTII.

IN FRONTISPICIO AENEAE *Pont. ſtatuæ.*

IVLIO III. Pontif. Max. ob reſtitutos magiſtratus, piè deprecantibus Fuluio S. R. E. Card. & Aſcanio corneis, ex ſorore nepotibus, ad muneris, gratiq́ue animi perpetuitatem PERVSIA dedicat.

MEDICI CVIVSDAM.

Magnus Ariſtotelem reſerauit Auerrois, aſt hic
Amborum interpres, tres animas habuit.

FOEMINAE A MARITO ADVLTERII SVSPICIONE INTERFECTAE.

Si qua ſolet proprio gaudere puella decore,
Quid mea ſors poſſit, nunc ego ſola queror.
Forma dedit multis famam laudemq́ue puellis,
At mihi de falſa ſuſpicione necem.

M. CCCC. LXXX.

IN S. FRANCISCI.

Sepulcrum BARTOLI I.C. ſumptuosè ex marmore albo erigitur, cum nulla alia inſcriptione, quàm:

OSSA BARTOLI.

Et ſaxum vetus humi hoc habet inciſum:

Sepulcrum BARTOLI I. C.

EIVSDEM.

Hic eſt BARTOLVS *ille iuris ingens*
Lux, & commodus explicator: hic eſt,

Quem mors ante diem abstulit maligna.
Heu mors inuida, & auo iniqua nostro,
Quæ leges iterum iacere cogis!
Obijt anno M.CCC. LV. ætat. XLVI.

PETRI PERVSINI PICTORIS.

Perdita si fuerat, pingendi hic rettulit artem.
Si nusquam inuenta est hactenus, ille dedit.

SVB CATONIS IMAGINE.

Quisquis vel celebri facturus verba corona
Surgis, vel populo reddere iura paras:
Priuatos pone affectus: cui pectora versant
Aut amor, aut odium, recta tenere nequit.

LORETANA.

NICOLAVS CAIETANVS.

CArdin. Sermoneta, gentilis BONIFACII VIII. cum & sub idem tempus, quo ille Pontificatum inijt, sanctam hanc domum, hic tandem diuinitus consedisse, & multa se à Deo opt. Max. beneficia Beatæ MARIAE Virginis Deiparæ precibus obtinuisse meminisset; sperans, eiusdem opem morienti non defuturam: monumentum hoc marmoreum viuens, & incolumis sibi faciundum cur. atque in eo, vbi mortalitatem exuisset, corpus suum recondi voluit, annum agens LIIII. Anno Domini M. D. LXXX. Obijt, annos natus LIX. M. II. D. VII. Kal. Maij, Anno M. D. LXXXV.

IBI-

IBIDEM IN MARMORE.

Templa alibi posuere Patres, sed sanctius istud,
Angelicæ turmæ, virgo, Deusque locant.

IBIDEM.

Nullus in orbe locus prælucet sanctior isto,
Quaque cadit Titan, quaque resurgit aquis.

IBIDEM.

FERDINANDVS Rom. Vng. & Bohem. Rex, Archid. Austr. ex voto pro salute, & in memoriam dulcissimæ coniugis ANNAE, hanc eius argenteam effigiem D. Mariæ Virgini dedit, consecrauitque, Anno sal. 1547. D. 27. Ian. ætat. 43. M. 7. D. 5.

ANCONITANA.

IN ANCONAM IVL. CAES. SCALIGER.

DEuictrix Pelagi tutis anfractibus Ancon
Ostentat placidi commoda rara sinus.
Nimirum Dea, quæ voluit capere vrbis honores,
Lenia sic voluit reddere sceptra maris.

IN D. DOMINICO.
MANILIO MARVLLO

Patria Constantinopolit. vetustiss. Marullorum genere nato, qui ex D. D. Gordianis Marullis Roman. Imperat. originem ducunt, omnibus virtutibus honestisque moribus prædito: à Turcis fortunis amplissim. spoliato, patriaque eiecto: summis magistratibus, legationibusque

busque varijs, terra marique laboribus, vita denique idibus Nouemb. Anconæ defuncto, Philippus, Theodorusque filij parenti pientiss. qui vixit annos LXXXXV. Pos. An. salut. M. D.

ALIVD.

Flens primum has auras hausi puer omine diro:
Flebilis ereptâ vita fuit patriâ.
Nunc quoque flens morior, ne quid non flebile restat:
Hæc est humani conditio generis.

EVPHROSYNES TARCHANIOTAE,
MAN. MARVLLI VXORIS.

Quæ nam hoc in tumulo tegitur matrona? venustam
Ille pudicitiam dixerat, hæc eadem est.
Quod genus? Inachidi. generis fortuna? beata.
Sed cecidit patria deficiente sua.
Quis torus? vnus, & hic felix sine lite, MARVLLI.
An mater? sero pignore fecit auum.
Quæ vita? in tenebris. quæ causa indigna doloris?
Occasus patriæ, seruitiumque graue.
Ecquem cum patria luxit? fratremque patremque.
Sed quas felices diceret esse animas.
Felices nimirum animæ: sed & hæc quoque felix
Fœmina, tam rari pectoris, in tenebris.

PHILIPPI MARVLLI MANILII PATRIS.

Siste hospes, atque hæc verba, si placet, lege.
Neque enim rogamus, nisi lubentem quempiam.
Ego PHILIPPVS hic MARVLLVS contegor.
Posuit superstes filius Manlius,

Vxor-

Vxorq; Thomæ. hoc ſatis, cetera alij.
Nam de MARVLLO vlterius proloqui, nefas.

MICHAELIS TARCHANIOTAE EVPHROSYNES PATRIS.

Parce hoſpes, cineresq; pios ne lude profanus:
Si neſcis, Caſtis hæc loca ſola patent.
Nec te, priuata, moueat, quòd claudor in vrna:
Hæc quoque fortuna non mea cura fuit.
Longè, hoſpes, longè tamen erras, ſi mea credis
Nomina in exiguo tota repoſta ſolo,
Quæq; tot ob patriam pugnando vulnera paſſus,
In cineres mecum verſa abijſſe leues.
Atq; vtinam ob patriam tantum, nec dicerer hoſpes
Cum patria, & natis oppetijſſe tribus.
Quos ego ſupremâ Comites hortatus in hora,
Vincere dum nequeo, pro patria perij.

TVMVLVS

MICHAELIS TARCHANIOTAE MARVLLI, EVPHROSYNES TARCHANIOTAE, ET MANILII MARVLLI F. Philoſopho, & Poetæ præſtantiſſimo.

Dum floruit magni decus Byzantij
MARVLLVS, alti lucidam Iouis domum,
Laudeſqúe, factaqúe omnium extulit Deûm,
Viſa ſuorum cæde, patria ignibus,
Letho parentum, fortis exilium tulit,
Sacris operatus Muſicis; fluuio perit,
Alijs dolendus: ipſe, quæ prævideràt,
Æternitatis templa, non miſer, colit.

Plectro

Plectro & decorus aureo, & toga grauis,
Graiam facit cantu stupere Pierin.

PAVLI TARCHANIOTAE EVPHROSYNES FRATRI, MARVLLI auunculo.

Quòd procul Inachijs tegeris carißime ab oris,
Desine de fato, TARCHANIOTA, queri.
Vna eadem terra est, quam cernis, vbique locorum;
Nec minus Elysium hinc, aut minus inde via est.
Nam nobis mandata satisque superque dedisti,
Tot rerum inuictus pondere & exilij.

IN CYMERAE PROMONTORIO.

Solus in occultis degens HIERONYMVS antris,
Hîc recubo, montis accola Cymmerij.
Vnde mare, & terras, tenebrosumque aëra circùm,
Et video cœlum, quod colo, sidereum.

PISAVRENSIA.

IN PISAVRVM IVL. CAES. SCALIGER.

HIc Romæ fulsit primum spes vltima vitæ:
Vnde loco, atque vrbi nomina ducta canunt.
Dum Gallus Romana actis imitatur auitis
Arma, premens arma Romula, victor adest.
Postquam è sollicita posuit discrimina mente:
Torpuit occulto dextra soluta metu.

Ah quid

Ah quid agis soboles priscorum inuicta Deorum?
Rerum, non auri, summa petenda tibi est.

IN HORTO DVCALI.

STATVA LOQVITVR:

Veneri vixi æmula. Saxo occuluit delitias liuor. Pietate artificis æternum viuebam, nisi me vidisset marmoream Venus.

IN VILLA DVCIS.

FRANC. MARIAE Duci Metaurensium à bellis redeunti; Leonora vxor, animi eius causa, villam exædificauit, pro sole, pro puluere, pro vigilijs, pro laboribus, vt militare negotium, quiete interposita, clariorem laudem, fructusque vberiores pariat.

IN CATHEDRALI PANDVLPHI MALATESTAE TVMVLVS.

Olim Ductor eram Latio celeberrimus omni,
Ductor eram ingenio promptus, & ipse manu.
Quin etiam, populos summa pietate regebam
Adriacos, gratus militiæ, atque domi.
PANDVLPHVS mihi nomen erat MALATESTA, parensque
Progeniesque pari nomine clara fuit.
Hic tumulus fuerat viuo de marmore factus,
Cæsus imaginibus, & Leo subtus erat:
Vltima fex hominum ciues, paucique malorum
Deiecere suis ossa remota locis.
Sed sceleris tanti populus facto agmine vindex,
Hunc illum obtruncat, hos capit, atque fugat.

VRBI-

VRBINATIA.

AD S. CLARAM.

FRANC. MARIAE Duci, amplissimis belli, pacisque muneribus perfuncto, dum paternas vrbes per vim ter ablatas, ter per virtutem recipit, & receptas æquissimè moderatur; dum à Pontificibus, à Florentinis, à Venetis exercitibus præficitur, deinceps & gerendi in Turcas belli Princeps, & administrator assumitur. Sed ante dies sublato DONORA vxor fidissima, & opt. meritissimo pos. & sibi.

IN S. BERNARDINO EXTRA VRBEM.

ALEXANDRI VETERANI.

Maxima qui fuerat VETERANAE gloria gentis,
Aspice quàm parua nunc tumulatur humo.
Mille virûm hic stygijs cum frigida corpora ab vmbris
Paonia ad superos sæpe reduxit ope:
Vnde illi meritò nomen tribuere parentes,
Conueniens meritis, finitimumq; suis.
Mors, quoniam cæci tot funera traxerat Orci,
Faucibus, vltrices intulit atra manus.

ALEXANDRO VETERANO Physico, Vrbinati, Castiss. coniux, pientissimique FF. hoc ponend. curr. Vixit ann. LIIII. Obijt M. D. XIII.

IN ARCE.

FRIDERICVS Vrbini Dux, Montis Feretri, ac Duran-

Durantis Comes, S. R. E. Confalonerius, atque Italicæ confœderationis Imperator, hanc domum à fundamentis erectam gloriæ ac posteritati suæ exædificauit: qui bello pluries depugnauit, sexies signa contulit, octies hostem profligauit, omniumque præliorum victor, ditionem auxit, eiusdem iustitia, clementia, liberalitas & religio, pace victorias æquarunt ornaruntque.

AD IMAGINES PRAESTANTIVM *virorum*.

PLATONI

Atheniensi, humanæ diuinæque Philosophiæ antistiti celeberrimo Fed. dicauit ex obseruantia.

ARISTOTELI

Stagiritæ, ob Philosophiam ritè exactèque traditam, Fed. posuit ex gratitudine.

CL. PTOLEMAEO

Alexandrino, ob certam astrorum dimensionem, inductasque orbi terrarum lineas, vigilijs laboriqueæterno, Fed. dedic.

M. TVLLIO

Ciceroni, ob disciplinarum varietatem, eloquentiæque regnum, Fed. D. P. P. P. ex persuasione.

L. BOETHIO

Ob cuius commentationes Latini M. Varronis Scholas non desiderant. Fed. Vrbin. Princeps P.

L. ANNAEO SENECAE

Corduben. cuius præceptis animus liberatur perturbationibus, excoliturque tranquillitas. Fed. erexit.

I HOME-

HOMERO

Smyrnæo, cuius poesin ob diuinam disciplinarum varietatem, omnis ætas admirata est; assecutus nemo post. Gratitudo P.

D. AVGVSTINO

Ob sublimem doctrinam, cœlestiumque rerum indagationem luculentissim. post. edocti F. C.

MOSAE

Iudæo, ob populum seruatum, diuinisque animatum legibus, posteritas Christiana posuit.

SALOMONI

Ob insigne sapientiæ cognomen, Fed. homini diuino P.C.

D. THOMAE

Aquinati, cuius diuinitas Philosophiæ Theologiæque commentationibus ornata est, dicat ob virtutem egregiam.

SCOTO

Ob sublimes cogitationes, cœlestiumque rerum assertationes accuratissimas, Fed. doctori acutissimo P.

PIO

Secundo, P. M. ob Imperium auctum armis, ornatumque eloquentiæ signis. Fed. posuit magnitudini animi, laboribusque assiduis.

BESSARIONI

Græci Latinique Conuentus pacificatori, ob summam grauitatem, doctrinæque excellentiam Fed. amico sapientiss. optimoque posuit.

ALBERTO

Magno, ob res naturales æmulatione Aristotelica perquisitas, immensis voluminibus, Posteritatis curæ sanctissimæ B.M.P.

XYSTO

Quarto P. M. ob Philoſophiæ Theologiæque ſcientiam ad Pontificatum traducto, dicat benignitati immortali.

DANTI

Antigerio, ob propagatos numeros, Poeticamque variâ doctrinâ populo perſcriptam. Poſita B.M.

P. VIRGILIO

Maroni, ob illuſtrata numeris Heroicis Romani Imperij incunabula atque Poeſeos diuinitatem. Fed. dedit furori ſublimi.

EVCLIDI

Megarenſi, ob comprehenſa terræ ſpatia lineis centroque, Fed. dedit inuentori exactiſs.

VICTORINO

Feltrenſi, ob Humanitatem, litteris exemploque traditam, Fed. Præceptori ſanctiſs. P.

SOLONI

Ob leges Athenienſibus traditas, Rom. tabularum ſeminario ſanctiſs. Fed. P. ex ſtudio bene inſtituendorum ciuium.

BARTHOLO

Sentinati, acutiſſimo legum interpreti, æquiſſimoque, Fed. Poſuit, ex merito & iuſtitia.

HIPPOCRATI

Coo, ob ſalubritatem humano generi datam, breuibusque demonſtratam comprehenſionibus, bona poſteritatis valetudo dicat.

PETRO

Apono, medicorum arbitro æquiſſimo, ob remotiorum diſciplinarum ſtudium inſigne, Fed. P. Cur.

D. GREGORIO

In cœlum relato, ob morum ſanctitatem, librorum quoque elegantia teſtatam, gratitudo Chriſtiana memor erexit.

D. HIERONYMO

Ob fidei Chriſtianæ præcepta, doctrina elegantiaque illuſtrata, Fed. æternitatis gratia poſuit.

D. AMBROSIO

Ob ſpretos faſces conſulares, ſuſceptumque Chriſtianum nomen, & ornatam Latini ſermonis iucunditatem, Fed. P.

MONVMENTA FR. PETRARCHAE

Ob acerrimum ingenium, ſuauiſſimæque ingenuitatis doctrinam, poſteritatis lætitia, luſusque dicauêre B. M.

IN BIBLIOTHECA DVCIS.

Sint tibi diuitiæ, ſint aurea vaſa, talenta
Plurima, ſeruorum turba, gemmæque nitentes:
Sint veſtes variæ, precioſa monilia, torques:
Id totum hæc longè ſuperat præclara ſuppellex.
Sint aurati etiam niueo de marmore poſtes:
Et varijs placeant penetralia picta figuris:
Sint quoque Troianis circundata mœnia pannis,
Et miro flagrent viridaria culta decore;
Extra intraque domus regali fulgida luxu:
Res equidem mutæ; ſed Bibliotheca pacata
Iuſſa loqui, facunda nimis; vel iuſſa tacere,
Eſt prodeſſe potens & delectare legentem.
Tempora & ipſa docet, venturaque plurima pandit,
Explicat & cunctos cœli terraque labores.

SVES-

SVESSANA.

AD PRAEDICATORES.

AVGVSTINI NIPHI PHILOSOPHI.

DVm lapidi titulum mœrens Galeacius addit,
Et tristi curat funera cum gemitu,
Si quis honos tumuli: non hoc tibi, NIPHE, supremũ,
Sed patriæ, & misero stat mihi munus, ait.
Næ viuis meliore tui tu parte. leuamen
Nos luctus medijs quærimus in lacrumis.

LINTERNI, vulgò PATRIA.

OLIM NOBILE OPPIDVM, EXILIO SCIpionis Africani celebre, cuius sepulcrum hîc fuisse tradunt, additâ hac inscriptione.

DEuicto Hannibale, captâ Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tect⁹ habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
Respice res hominum quàm breuis vrna premat.
INGRATA PATRIA, NE QVIDEM OSSA MEA HABES.

VERVLI.

TALE QVID AONIVS PALEARIVS *parentibus & sororibus suis cogitabat.*

MATTHAEO PALEARIO, & CLARAE IANARILLAE opt. parentibus: & Elisæ, Franciscæ, Ianillæ, Paleariis, sororibus honestiss. AONIVS PALEARIVS posuit mutato solo.

NEC NON VXORI.

Ni mihi spem Christus faceret, quem, Vita, secuta es,
Non possem abrupto viuere coniugio.
Ille mihi te olim redituram in luminis oras
Pollicitus, dulci pascit amore animum.
Interea AONIVM venientem cursibus ad te
Expecta campis vxor in Elysiis.

FABERIANA.

IN S. FRANCISCO.

SIGISMVNDI HERCVLANI.

LEge Lector & luge casum infelicis adolescentis. SIGISMVNDVS ego sum patria Forliniensis, ex nobili Herculanorum familia, qui cum equo per lusum curro, alterius ex aduerso currentis impetu excussus, biduo superuixi, non modicâ de me spe forsan relictâ. Cætera ex aliis disce. Vixi ann. XVIII. M. IIII. D. VIII.

ANTONIVS HERCVLANENSIS Episcopus Curiatensis, agri Piceni Prolegatus consanguineo B. M. Pos.

TOLENTINA.

AD INSIGNIA PONTIFICIS ET SYMBOLA.

PAVLO III. Pont. Max. terrestri Deo, Reipub. Christianæ conseruatori.

MEDI-

MEDICI.

Cui virtus, cui Musa dedit, cui sidera nomen,
Et Medicina simul, non cubat hoc tumulo:
Ast petijt cœlum, manet & comes ipse Deorum;
Tanta etenim virtus non tulit interitum.

IBIDEM.

Vt viuis, vixi: verùm morieris, & omnes
Qui sum, vos eritis; puluis, & vmbra, solum.
Qui sapit, & qui non, qui seruit, & imperat, aqua
Et miser, & felix conditione cadunt.

ARIMINENSIA.

IN ARIMINVM IVL. CAES. SCALIGER.

Prisca fui quondam ciuilis meta furoris:
Sed non fortuna meta futura fui.
Non tunc arma toga, non cessit laurea lingua.
Caesaris est facere, haud sub Cicerone loqui.

IN D. FRANCISCI.

SIGISMVNDVS PANDVLPHVS MALATESTA, Pandulphi F. ingentibus meritis probitatis fortitudinisque, illustri generi suo, maioribus posterisque.

Sum SIGISMVNDVS MALATESTA è sanguine gentis:
Pandulphus genitor, patria Flaminia est.
Vitam obijt VII. Idus Octob. M. CCCC. LXVIII.

THEMISTII BYZANTINI,

Philosophorum sua tempestate Principis; reliquum Sigis. Pandulphus Malatesta Pand. F. belli Pelopon. aduersus Turcarum Regem Imperat. ob ingentem eruditorum, quo flagrat, amorem, huc adferendum, introque mittendum curauit. M. CCCC. LXV.

IBIDEM.

ROBERTI VALTVRII, qui de re militari XII. libros ad Sigismundum Pandulphum Malatestam accuratissimè scripsit, quique Roberto Malatestæ F. comitate insigni, facundia atque fide carus exstitit, Pandulphus Malatesta Robert. F. Sigismundi N. adhuc impubes, officij memor, hoc monumento B. M. ossa condi iussit. Vixit annos LXX. M. VI. D. XVI.

RAVENNATIA.

IN RAVENNAM IVL. CAES. SCALIGER.

Prima per AEmathias quondā vetus edita siluas
Adriacum secuit Thessala prora sinum:
Desertumque solum, tristique informe palude
Munijt: atque vrbis nomen habere dedit.
Hæc belli sedes, gelido cùm miles ab axe
Proruit, & Graios expulit inde duces.
Hinc sedet Illyrica prospectans prælia Nerei:
Ionius reduci cùm tumet æstus aqua.

Hinc

Hinc oculus superiq; maris,terraq; iacentis
Excubat, hinc duru vtraq; meta viris.
Si iungas solida liquentia marmora terræ:
In medio,tanquam cor,metuenda iacet.

AD S. VITALEM.

IACOB. ARIGONIVS heic situs est.Hominem mors exstinxit anno ætat. suæ LIII. sed exstinxit vno in homine multas virtuteis:artis medicæ scientiam eximiam : perpetuam in omni vita continentiam:deniq; pietatem in Deum, humanitatem in omnes homines mirificam: quæ sublata ex oculis vigebunt in animis memoriaq; multorum.Iac. Arigonius nepos ac Medicus P. &c.

IN D. FRANCISCI.
P. NVM. CARD.

Linguam habui Charitum,cor Palladis, ora Diones:
Non perij,mors est splendida vita bonis.

ALEXANDRO TRABERO.

Nat. Sueuo,Equ.Cæsareæ militiæ & Pontificis in Prouincia Flaminia duci solertissimo, qui per annos 40. virtute auita,generis antiquitate & prudentia,Regum Principumque in Italia & Germania indefesso studio castra secutus est, cum laude victoriæ signa reportans, fato Rauennæ extinctus, hic summo mœrore, sexagenario maior, deponitur.Tota cohors Germanica officij ergò B.M.F.C. M.D.XLI. XII. Cal. Ianu.

RASPANORVM.

Ex nobiliss. familia patritio insigni RASPANO,

cuius inuicta virtus solâ prudentiâ superata est. Vixit ann. XLVII. ac IVLIO F. Equ. insigni, non minus matri caro, quàm illustribus viris grato, virtute, ingenio, moribusque raris decorato, quietis publicę conseruatori; quo orbata ciuitas, non sine bonorum omnium mœrore valdè ingemuit. Vixit annos XXIV. MINORAE QVE filiæ dulciss. ac pudiciss. mira indole præditæ: vixit annos XXVII. IOANNA RASPONA Coniux, & mater in vtraque fortuna, magnæ virtutis inuictique animi mulier, piè POS. Anno salut. humanæ M. D. XXXVII. Mense Nouembri.

Viator, si quid in humanis veri est, hîc comitas, liberalitas, hic decus patriæ sepultum est. mendacium putas? famam consule. OSTASIO RASPANO viro dextrâ pectoreque fortissimo, Pontifici, omnibusq; Italiæ principibus cariss. RASPONA domus mœstissima B. M. P. C.

DIES DIEM INDICAT.

POSTREMVS DE OMNIBVS.

DANTIS POETAE.

Iura Monarchiæ, superos, Phlegethonta, lacusq;,
Lustrando cecini, voluerunt fata quousq;:
Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
Auctoremq; suum petijt felicior astris;
Hic claudor DANTES *Patrijs extorris ab oris,*
Quem genuit parui Florentia mater amoris.

VIRTVTI ET HONORI.

Exigua tumuli DANTES *hic sorte iacebas,*
Squallenti nulli cognite penè situ.

At nunc

At nunc marmoreo subnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum Bembus Musis incensus Hetruscis,
Hoc tibi, quem inprimis hæc coluere, dedit.

A RAVENNA DVOBVS VEL III. MILLIARIBVS IN COLVMNA saxea.

In latere quod respicit Ariminum.

Heu cladem horrendam! hic ille percelebris ager est, viator, in quo acerrimè vtrinq; pugnantes XX. hominum millia conciderunt.

Inferius ibidem hoc distichon.

Hac petra Petrus donat donatus Iberos,
Gallosq; hic cæsos, Cæsius hæc memorans.

VERSVS RAVENNAM.

Reiectus ab oppidanis, amnem illac traijcit, acies instructas huc ductitat, cum Prorege Hispano, Pontificioque exercitu indicto confligit.

PAVLO INFERIVS.

Paulo IIII. Pont. Max. sedente.

P. Donatus Cæsius Episc. Narn. vtriusque signaturæ Referendarius, dum AEmiliæ præsideret, locumque hunc conflictus Rauennatis celebritate clarum diligenter explorasset; ne tantæ rei memoriam vetustas temporũ aboleret, hoc erecto marmore conseruandum curauit.

VERSVS FLVMEN.

Heus viator, illic trans flumen castra metatus OLGASTVS FOISSEIVS Gallorum Ductor Rauennam oppugnat, murum aperit tormentis, & conatur irrumpere.

SENA-

SENARII INFRA SCRIPTI.

Videbis hospes huc parum attollens caput,
Inscriptus iste quid velit lapis sibi.
Recenset illam nempe cladem maximam
Galli atq; Iberi exercitus, AEmiliam
Quæ pene totam maculauit sanguine.

IN QVARTO LATERE VERSVS FO-
rum Liuij.

Hinc post cruentam Gallorum victoriam GASTONE peremto, Hispanorum reliquiæ euaserũt. Postremò capitur Rauenna à victoribus, ac diripitur. Abi.

INFERIVS.

Gesta fuerunt hæc prid. Id. April. anno à partu Virg. supra sesquimillesimum duodecimo. Iul. II. Pont. Max. Christianam Rempubl. gubernante.

VENETA.

IN VENETIAS IVL. CAES.
SCALIGER.

Peruia Barbaricis tellus OEnotria turmis,
Pertulit impositi pondera dira iugi.
Ipsa suos fleuit populares Roma Quirites:
Sensit & indomitæ noxia tela manus.
Haud tulit hoc Genius: cuius fatalibus ausis
Tutior in medio Roma renata mari est.
Clara virûm virtus animo: insatiata cupido
Imperij: vasta non numerantur opes.

Iuppi-

Iuppiter, haud temerè tua sunt ita dissita cœli
Mœnia, si possunt tangere; parte cares.

IN EASDEM SANNAZARIVS.

Viderat Adriacis VENETAM Neptunus in oris
Stare vrbem, & toto ponere Iura mari.
Non mihi Tarpeias, quantumuis Iuppiter, arces
Obÿce, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, vrbem aspice vtramq;:
Illam homines, dices, hanc posuisse Deos.

DIALOGVS AD S. MARCVM.

A. *Dic antique senex, Venetæ quis conditor vrbis?*
B. *Iuppiter.* A. *Vnde arces?* B. *Attica.* A. *Scorta?* B. *Venus.*
A. *Mœnia?* B. *Neptunus.* A. *Nummi?* B. *Dis.*
A. *Bellica?* B. *Mauors.*
A. *Artes?* B. *Mercurius.* A. *Iura?* B. *Minerua dedit.*
Non mirum est, si alias inter caput extulit vrbes,
Quam tot cælestes composuêre Deæ:
Quin cum tot simul hanc, solus Vulcanus Olympi
Sedes; hîc credo cesserit aula Ioui.
Verum ego cum possem cælum conscendere, dixi:
Mutato hîc potius corpore, marmor ero.

IN PALATIO CONSILII MAGNI.

Omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum est, esse in cœlo definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Quod quidem

quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia cœtusque hominum iure sociati, qui ciuitates appellantur; hac etiam in rectores & conseruatores cœlo profecti illuc reuertantur. Auersemini igitur vitia, colite virtutes; ad rectas opes animum subleuate; humiles preces in excelso porrigite. Magna vobis est; si dissimulare non velitis, necessitas inclytæ probitatis, cum ante oculos agitis Iudicis cuncta cernentis.

INSCRIPTIO BIBLIOTHECAE.

BESSARIONIS Cardin. ex leg. Senatus iussu, Procuratorum D. Marci cura Philippi Trono, Antonij Capillo, Andreæ Leono, Victoris Grimano, Ioannis à Lege Equ. Bibliotheca instructa & erecta. M. Anto. Triuisano Principe ab vrbe condita. M.C.XXXIII.

ANTE DVCIS PALATIVM.

HENRICVS III. Galliæ Rex, & I. Poloniæ Christianiss. accepto de immatura Caroli IX. Galliæ Regis fratris coniunctissimi morte tristi nuntio; è Polonia in patriã, ad ineundum Regnum hereditarium properans, Venetias anno salut. M.D. LXXIII. XIV. Calend. Augusti accessit: atque ab Aloysio Mocenigo Serenis. Venetorum Principe & omnibus huiusce Reipub. ordinibus, non modò propter veteris amicitiæ necessitudinem, verum etiam ob singularem de ipsius eximia virtute atque animi magnitudine opinionem, magnificentiss. post hominum memoriam apparatu, atq; alacri Italiæ propè vniuersæ summorumq; Principũ præsertim cõcursu, exceptus est. Ad cuius rei memo-

memoriam sempiternam, Senatus hoc monumentum fieri curauit, Arnoldo Ferrerio Secretioris ei Consilij participe: Regio apud rempub. Legato id etiam postulante.

AD TRIBVNAL TRIVMVIRORVM REI AQVARIAE.

Venetorum vrbs, diuina disponente prouidentia, in aquis fundata, aquarum ambitu circumsepta, aquis pro muro munitur. Quisquis ergo quomodocumque detrimentum aquis publicis inferre ausus fuerit, & patriæ hostis iudicetur nec minore plectatur pœna, quàm qui sanctos patriæ muros violasset. Huius edicti ius ratũ perpetuumque esto.

IN D. MARCI AEDIS VESTIBVLO.

BARTHOLOMAEI GRADENIGI
Ducis LII.

Moribus insignis, recti basis, indole clarus,
Clarior & meritis, Patrij seruator honoris,
Clauditur hoc tumulo, Gradenigus Bartholomaeus;
Dux fuit is Venetum, quarto defunctus in anno.

Obijt anno M. CCC. XXXIX.

VITALIS FALERII DVCIS XXXI.

OBIIT ANNO M. LXXXIV.

Moribus insignis, titulis celeberrime dignis,
Cultor honestatis, dux omnimoda probitatis,
In commune bonus, bona semper ad omnia pronus,
Publica conseruans, meliora bonis coaceruans,
Dum veterum benè gesta nouãs, plus reddis honesta,
Cuncta-

Cunctaq; iucundè faciens, das semper abundè,
Vt fieret plenus quicumq; veniret egenus, (quos.
Plus quoq; longinquos refouens, quā carne propin-
Vita fuit cuius patriæ tremor hostibus huius,
Reddens tranquillos hos lingua, viribus illos,
Cuius erat scire & populos pro pace subire.
In quocunq; forent expendia siue labores
Decretis legum mentes suspendere regum,
Vt fieres horum rex, & corrector eorum,
Fama super Cedros cuius dedit ire Faledros,
Christi natalis peragis dum festa Vitalis
Duceris ad funus, factus dolor omnibus vnus.

LANCINI CVRTII.

En virtutem mortis insciam.
Viuet LANCINVS CVRTIVS
Sæcula per omnia.
Tantum possunt Camœnæ!

IN AEDE SS. IOANNIS ET PAVLI.

ANTONII VENERII DVCIS LXI.

Quisquis ad insignem tumulum tua lumina flectis,
Ingentem, cuius cineres hæc marmora seruant,
Contemplare Ducem; Princeps hic ille per omnem
VENERIVS famâ volitans ANTONIVS orbem,
Qui tribus hanc vrbem lustris, totidemq; per annos
Rexerat, æternis signans ea tempora fastis.
Taruisina suæ, Castella & mœnia, matri
Reddita, Dyrrachium, Corcyraq; & oppida forti
Plurima parta manu; pœnas sibi sumpsit ab illo,
Quem genuit, nomen metuit dum perdere iusti.

Ipsius

Ipsius vt clarum micuit clementia sidus.
Reddidit Vngaricæ Reginæ sceptra, suorum
Rapta dolis: ne triste iugum, Furlane, subires
Obstitit: Italicam pacauit multa per oram
Turbida: post terris abiens, sese intulit astris.
Mille quadringentis Christi cedentibus annis,
Institit atra dies, vigesima trina Nouembris.

MICHAELIS MAVROCENI DVCIS LX.

Inclyta vitalis, Michael, quem duxit in auras
Maurocena Domus, Venetum Dux, ciuibus ingens
Spes erat, alta parans; intercipit ardua fatum
Cœpta Ducis: virtute potens, fuit ensis acutus
Iustitiæ, heu moriens patriæ per secula luctus!
Quæ cinis est, iacet hic; mens gaudet, fama coruscat.

LAVRENTII, ET IACOBI TEPVLI DVCVM.

Quos natura pares studijs, virtutibus, arte,
Edidit illustres, genitor, natusq; sepulti
Hac sub rupe Duces Venetûm, clarißima proles
Teupula, collatis dedit hos celebranda triumphis.
Omnia præsentis donauit prædia templi;
Dux IACOBVS valido fixit moderamine leges
Orbis, & ingratum redimens certamine Iadram,
Dalmatiosq; dedit patriæ pôst Marte subactos.
Graiorum pelago maculauit sanguine classes,
Suscipit oblatos Princeps LAVRENTIVS Istros,
Et domuit rigidos ingenti strage cadentes
Bononiæ populos; huic subdita Seruia cesßit.

Fundauere vias pacis, fortiq; relicta
Re, superos sacris petierunt mentibus ambo.

THOMAE MOCENIGI DVCIS LXIII.

Hæc breuis illustri MOCENIGA *ab origine*
THOMAM
Magnanimũ tenet vrna Ducẽ, grauis iste, modestus,
Iustitiæ princepsq; fuit, decus ipse Senatus
Æternos Venetũm titulos super astra locauit.
Hic Teucrũm tumidam deleuit in æquore classem,
Oppida Taruisi, Cenetæ, Feltriq; redemit,
Vngaricam domuit rabiem, patriamq; subegit,
Inde Foriiulli, Catarum, Spalatumq; Tragunam,
Æquora piratis patefecit clausa peremptis,
Digna polum subijt patrijs mens fessa triumphis.

IN SACELLO VICINO.

NICOLAO VRSINO, Nolæ Petilianique Principi longè clarissimo, Senensium, Florentini populi, Sixti, Innocentij, Alexandri Pontif. Maxi. Ferdinandi Alphonsique iunioris Reg. Neapolit. Imperat. felicissimo, Venetæ demum Reipublicæ per XV. annos magnis clarissimisque rebus gestis, nouissimè à grauissima omniũ obsidione Patauio conseruato, virtutis ac fidei singularis, Senatus V. M. H. P. P. Obijt ætatis LXVIII. M. D. IX.

IBIDEM.

Imperator, Ductor, eques, milesque: DIONYSI NALDI conduntur hîc ossa. Hic iuniorem Ferdinandum, regno à Gallis pulsum, restituit: Florentinam rempubl. peditatui præf. pec. ornauit:

uit: Venetis Imperij dignitatem sustinuit, fide, ac fortitudine incomparabili, inter alios Duces peditum præfectus, Patauium seruauit. Moriens ex nimijs vigilijs, hoc virtutis suæ perpetuum monumentum, clarissimo Lauredano principe, ex amplissimi Senatus autoritate meruit. Obijt ætat. anno XLV. Anno M. D. X.

PASCHALIS MARIPETRI
DVCIS LXV.

PASCHALIS MARIPETRVS P. maximis Reip. Senatoribus bonitate & eloquentia semper par, religionis, ac rerum vsu nulli secundus: &, cùm ijs laudibus in ciuitate excelleret, in locum Francisci Foscari, adhuc viuentis, à patribus suffectus, quod antea domi debilitatum erat, sua autoritate in pristinum statum diuinitus restituit. Vixit in Princip. annos IV. Mens. VI. Dies VI. Obijt M. CD. LXI.

IBIDEM,
Ex hostium manubijs.

PETRO MOCENIGO, Leonardi F. omnibus non minùs optimi, quàm eloquentissimi Senatoris muneribus domi forisque functo, maris Imperatori: qui, Asia à faucibus Hellesponti vsque in Syriam ferro igniqne vastata, Caramanis regibus, Venetorum socijs, ab Otthomanno oppressis, regno restituto, piratis vndique sublatis, Cypro à coniuratis non minori celeritate, quàm prudentia recepta, Scodra ductu & auspicijs suis obsidione liberata; cùm Rempub. feliciter gessisset; absens Marci Procurator, inde Dux grato Patrũ cõsensu,

creatus est; Ioãnes tertius ab hoc Dux, & Nicolaus Mocenigi fratres pientissimi B. M. D.

Vixit annos LXX. Mensis I. Dies XX. Obijt non sine summo populi gemitu, Ducatus sui anno primo, Mense secundo, die decimaquinta. Anno salutis M. CCCC. LXXVI.

IBIDEM.

Dux IOANNES MOCENIGVS, Thomæ patrui, & Petri fratris Ducum secutus vestigia, bellum Ferrariense inuitus gessit, & Rodigij peninsulam adiecit Imperio, pacẽ coluit, Remp. Venetam administrauit, iustitia, probitate & prudẽtia, Dux opt. & amantiss. Reip. habitus est.

L. P. P.

Obijt anno M. CD. LXXXV. Vixit annos LXXVI. Dux annos VII. Menses VI.

IBIDEM.

LEONHARDVM PRATVM, militem fortissimum, & ex prouocatione semper victorem, præfectum Ferdinãdi Iunioris & Federici Regum Neapolitanorum, ob virtutem terrestribus naualibusque prælijs felicissimum, magnis clarissimisque rebus pro Veneta Republ. gestis, pugnantem ab hoste cæsum, Leonhardus Lauredanus Princeps, & amplissimus ordo Senatorius, prudentiæ & fortitudinis ergò statua hac equestri donandum censuit.

IN S. SEBASTIANI.

NICOLAVS CRASSVS forum primùm, nauigationem deinde secutus, ab aduersa fortuna, fortunis omnibus spoliatus, ad forum iterum reuersus, hunc postremò locum laborũ omnium, & miseriarum quietem sibi, & posteris P. anno M. D. LXIII.

D. O. M.

MARCVS ANTONIVS Triuisanus P. integer vitæ, & paterna virtute ac gloria semper clarus, omnibus honoribus egregiè perfunctus, à patribus, inuito ipsius genio, Princeps cooptatus, cum annum Rempubl. sanctè gubernasset, religionis amantissimus, dum sacris in imaginum aula interesset; nulla ægritudine, flexis genibus, in gremio Patrum moriens migrauit in cælum beatissimus M. D. LVI.

AD S. FRANCISCVM.

MARCO ANTONIO MAVROCENO, Equiti, & Procuratori, viro eloquentiss. rerum doctrinâ, ciuilibus negotijs, & bellica virtute Clarissimo. qui cum omnia ornamenta, quæ in rep. sunt amplissima, virtute adeptus esset, maiorib. tamen semper dignissimus est iudicatus. Legationes innumeras maximasque sapienter fortiterque gessit, repressa præsertim apud Maximilianum Imp. quorundam Legatorum temeritate. Legatus in castra Imperatoria, omnia munia feliciter obijt.

In subrico bello Magister Equitum designatus, mira celeritate transmisso Abdua, se Gallorũ Regi coniunxit, & Ludouicum Sfortiam victoriæ spe

iam exultantem armis regnoque spoliauit.

Cremonâ captâ, Mediolani Principis insignibus potitus, ea suis ædibus affixit, quæ & suæ virtutis, & præclaræ victoriæ posteris monumenta essent.

Exacta iam ætate, dum videt totam Europam armari contra Remp. & luctuosi belli præcidere causas contendit, diuino consilio è vita discedit, ne vrbem, quam auctam Imperio, & potentem opibus reliquerat, paulò pòst multis cladibus afflictam videret. Obijt an. Salutis M. D. IX. VI. Idus Aprilis, omnium ferè suorum bonorũ Syluestro Maurocello Ioan. F. Q. S. M. & ab eo vno semper ex eadem familia vsufructu legato. Vixit ann. LXXV. Procuratores S. Marci POSS.

IN AEDE S. SALVATORIS.

FRANCISCVS VENERIVS Princeps, Priscæ maiorum virtutis, ac disciplinę verę imitator, nullo nec adumbratæ laudis stimulo, nec priuatæ vtilitatis errore vnquam permotus; in regẽdis populis summæ clementiæ, in dicenda sententia Senatoriæ grauitatis, pacis & cõcordiæ amantissimus, in omni sermone sapientiss. semper, in principatu nihil præter ornamentum Principis, quod est iustum imperium, pulcherrimũ liberis, ciuibus exemplum. Vixit annos LXVI. D. IV. In principatu annos II. D. XXII.

Vide Franciscum Sansouinum de Venetorum Ducibus.

AD MONVMENTVM SEPVLCRI SALVATORIS, SIMILE Hierosolymitano.

Hoc mirum spectetur opus compagibus auctum,

Rupi-

Rupibus artifici saxa reuulsa manu.
Gens Mausoleum sileat vesana sepulcrum,
Quod fuit & Domini, Martia Roma, tui.
Illa duo congesta viris monumenta fuere;
Hoc Christo tanta mole paratur opus,
Quanto homini superûm praestat Rex summus & au- (ctor,
Tanto hoc est alijs clarius, & melius.

IN CRYPTA EIVSDEM.

Quis iacet hîc? rerum Dominus. cur morsus acerbo
Funere? quo lectis gentibus astra daret.

IN S. STEPHANO

IOSAPHATO, scientię bonorum amico, vitiorum hosti acerrimo, qui eloquentiam verè Romanam, bonasque artes Venetam iuuentutem per multos annos docuit; ac tandem pietate ac innocentia clarus, annum agens quintum & octogesimum, ex nullo nisi senectutis, & oculorum imbecillitatis morbo infirmus, placidè cum familiaribus loquens, naturæ concessit: filij innocentissimi posuêre.

MARINVS GEORGIVS.

Philosophus, Orator, Senator clariss. qui propter optimarum artium studia fuit tota in Italia, exterisq; gentibus summo honore ac nomine; Legatus innumerabiles prouincias obijt, domi forisque magistratus amplissimos, quosque facilime ademptus est, & summa cum laude gessit; inter quos captiuus pro republ. factus, in diuturnam valetudinem cùm incidisset, leges Vrbanas ex S. C. corrigens, lugente ciuitate, extinctus est, H. S. M. quod

 Helena

Helena Maura vxor ſequatur T. F. V. vixit annos LXVI. Obijt M. D. XXXII.

LAVRENTII ROCCHAE.

Qui Reip. in adminiſtratione verſamini, & ad ampliſſimos in ea gradus ritè contenditis, LAVRENTI ROCCHAE, Vlyſſis Doctoris F. magni Venetorum Imperij Cācellarij vitā vobis imitandam proponite: Nam cum virtutes ipſe reliquas, quarum cultor vſquequaq; ſtudioſiſſimus exſtitit, ea ſemper bonitate & innocentia decoraret, vt ſui ordinis Principatum incredibili omnium conſenſu fuerit conſecutus, annos LXX. iam natus, è tenebris in lucem excedens, certiſſimam veræ gloriȩ & honorum adipiſcendorum cunctis rationem declarauit: Georgius Stephanus nepos gratiſſ. POS. V. Id. Iunij M. D. LIX.

CONTARENORVM.

Siſte, quiſquis es, gradum, & cineribus nobilium CONTARENORVM ritè ſaluere iuſſis, Felix abito.

Cum venerit dies Domini, in miſericordia eius egrediemur.

IN MAGNA MINORVM AEDE.

FRANCISCI FOSCARI DVCIS LXIV.

Accipite, ciues, Franciſci Foſcari veſtri Ducis imaginē. Ingenio, memoria, eloquētia, adhæc Iuſtitia, fortitudine animi, ſi nihil amplius, certè ſummorum Principum gloriā æmulari contendi: pietati erga patriam meæ ſatisfeci nunquam: maxima bella pro veſtra ſalute & dignitate, terra mariq́ue

per

per annos plusquã triginta gessi, & summa felicitate confeci: labantem suffulsi Italiæ libertatem: Turbatores quietis compescui: Brixiam, Bergomum, Rauennam, Cremam, Imperio adiunxi vestro; omnibus ornamentis patriam auxi; pace vobis partâ: Italiâ in tranquillum fœdere redactâ, post tot labores exhaustos, ætatis anno LXXXIIII. Ducatus quarto supra tricesimum, salutisque M. CCCC. LVII. Kal. Nouemb. ad æternam requiem commigraui. Vos iustitiam, & concordiam, quò sempiternum hoc sit Imperium, conseruate.

IBIDEM.

NICOLAI THRONI DVCIS LXVII.

NICOLAVS THRONVS, opt. ciuis, optimus senator, optimus Aristocratiæ Princeps fuit. Quo felicissimo Duce florentissima Venetorum Resp. Cyprum Imperio asciuit, cum Rege Parthorum contra Turcum socia arma coniunxit; fraudatam pecuniam, viua illius effigie, resignauit, cuius innocentissimis manibus hanc meritam diuini operis molem Philippus filius perenni æternitate posuit.

IOANNI MAGIO,

Puero incomparabili: qui ob imperitiam obstetricis ex vtero statim translatus est ad tumulum, die XXI. Decemb. M. D. XXII.

BERNARDI PRIOLI PATRIT. VENETI.

Sanguine clarus eram, & natis, & coniuge felix,
Nobilis & patria, gratus & officijs.

Littore ab AEgypti, gemmarum diues, & auri,
Dum video, insani me rapit vnda maris.
Pone modum votis peregrina ad littora tendens,
Perstringet curas nam breuis hora tuas.
Ventorum flatus non omnis nauita callet,
BERNARDI exemplo discere (disce) potes.

VRBANO BOLZANIO BEL-
LVNENSI

Minoritanæ familiæ sacerdoti, summæ integritatis & innocentiæ, qui Græcas litteras extorres iampridem, & procul à terra Italiæ exulantes nobis summa tum dicendi, tum scribendi laude princeps asseruit, PIERIVS VALERIANVS BOLZANIVS ex fratre N. institutionis educationisque memor POS. Vixit ann. LXXXXI. M. III. dies XII. In voluntaria paupertate felicissimus, in omnes, quoad potuit, semper officiosus, nulli vnquam iniurius, locum præceptori maiorum suorum concessere Cornelij Patroni.

IBIDEM.

PIERIO VALERIANO BOLZANIO Bellunensi, eius si negotia diu apud summos Pontifices curata noris; nihil eum vnquam legere, nedum scribere potuisse, dicas: sin quæ multa tam docta scripserit, inspicias; nulli hominum otia quietiora contigisse iudices. Ioannes Cornelius Fantini Patritij Veneti F. & fratres locum amico suo intimo vnanimes concess.

FRAN-

FRANCISCI BARBARI.

Si quis honos, si fas, lacrumis decorare sepultos,
Flete super, mœstisque locum complete querelis,
FRANCISCVS, cui prisca parem vix sacla tulerunt,
BARBARVS hic situs est, linguæ decus omne Latinæ.
Fortia facta viri, pro libertate senatus,
Brixia, quam magno tenuit sudore, fatetur.
Hic summi ingenij scriptis monumenta reliquit,
Græcaque præterea fecit Romana, tenet nunc
Spiritus astra, sacros tumulus complectitur artus.

IN S. MARIA LVBANICA, vel ZEBENIGO.

SEBASTIANI FOSCARINI.

Accipite, Veneti ciues, quod est optimum in rebus humanis, humanas res contemnere. Vixi Reipubl. quamdiu potui; mihi certè parum: & hîc vno ictu extincto.

IN S. LVCAE.

AETERNO NVMINI, SVPERISQ. OMNIB'.
Siste viator, nec Manes lædito.
Quod fuisti, fui. non es quod sum.
Vt me vides, te alij fortè videbunt breui.
Incerta certi fati hora;
Numen ergò semper time.

GVILIELMVS SVVEERTIVS FRANC. F.
domo Antuerpiâ,
ad maiora natus,
præclara spondente indole, atque industriâ,
in ipso ætatis flore
migrauit, vnde venerat.

FRANC.

FRANC. SVVEERTIVS Fratri cariſſimo contra votum Pos.
Obijt anno M.D.XCIIII. XI. Martij.
Tu bone, bonum votum, hoc & mortuus rogat, adde, & VALE.

Surrectas viciſti Alpes, atque vrbis aquoſæ
Murmura. Fatales cur fugis ante minas?

IBIDEM.

EPITAPHIVM HONORARIVM.

Condit ARETINI cineres lapis iſte ſepultos,
Mortales atro qui ſale perfricuit:
Intactus Deus eſt illi, cauſſamque rogatus,
Hanc dedit: ille, inquit, non mihi notus erat.

AD MICHAELIS.

Lector, parum ſubſiſte: rem miram leges.
Hic Euſebij HISPANI monachi corpus ſitum eſt,
Vir vndecumque qui fuit doctiſſimus:
Noſtraque vitæ exemplar admirabile.
Morbo laborans ſexdecim totos dies,
Edens, bibens nil prorſum, & vſque ſuos monens,
Deum adijt. hoc ſcires, volebam. abi, & VALE.
Anno Domini M. D. I. X. Februar.
ætatis ſuæ LI. ſacræ militiæ XVI.

M. A. COCCII SABELLICI TVMVLVS.

Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas
Scribentem, capit hac COCCION vrna breuis.

LATOMI.

Magnus in hoc tumulo iacet ille SABELLICVS, orbis

Cuius

Cuius ad ingenium non ſatis vnus erat.
Tempora permodicis incluſerat omnia chartis,
Seruire exemplo quæ potuere aliquo.
In Venere incerta tamen hic contabuit: atque
Maluit Italicus Gallica fata pati.
Quid iuuat, humanos ſcire atque euoluere caſus,
Si fugienda facis, & facienda fugis?

Obijt anno ſalut. humanæ M. D. VII. ætatis ferè LXX.

IN VESTIBVLO D. GEORGII.

Terror Græcorum iacet hic, & laus Venetorum,
DOMINICVS MICHAEL, *Quem tenet Emmanuel.*
Dux probus, & fortis, quem totus adhuc colit orbis;
Prudens conſilio, ſummus & ingenio.
Iſtius acta viri declarat captio Tyri,
Interitus Syriæ, mœror & Vngariæ.
Qui fecit Venetos in pace manere quietos:
Donec enim vixit, patria tuta fuit.
Quiſquis ad hoc pulcrum venies ſpectare ſepulcrum,
Cernuus ante Deum flectere propter eum.

Anno Domini M. C. XXVIII. Indictione VII. Obijt DOMINICVS MICHAEL Dux Venetiæ.

IN AEDIBVS PHILOLOGIANIS.

Θῶμας Φιλόλογος ὁ ῥαυεννάτης, ὁ τὰ τῆς οἰκουμένης γυμνάσια βονωνίας, ῥώμης, παταυΐου σοφίᾳ λαμπρύνας, ἀνήγειρεν. ἔτει ἀπὸ κτίσεως κόσμου ΖΞΒ.

Thomas Philologus Rauennas Phyſicus, ære honeſtis laboribus parto, ædeis primùm Paduæ virtu-

virtuti; post has, senatus permissu, pietati erigi fecit: illas animi, has etiam corporis monumenta.

Anno Mundi V I M. DCC. LIIII.
Iesu Christi M. D. LIIII.
Vrbis M. C. XXXIV.

IN S. MARIA NOVA.

Sunt Charitum hi tumuli? Charitum sunt, non tamen hic est
Sola Charis, sed & hic ipsa sepulta Venus.
Sunt tumuli hi Veneris? Veneris sunt, nō tamē hic est
Sola Venus, sed & hic ipsa Minerua iacet.
Hicne Minerua iacet? iacet hic, sed nō tamē illa hic
Sola iacet, sed & hic casta Diana iacet.
Ergò etiam periere Deæ? dubitásne perisse
Ipse Deas, potuit SYLVIA si ipsa mori.

AD CISTERNAM.

Parcior è cælo quum quis descenderit imber,
Hic erit, ingenti quod leuet ora siti:
Nec tantum hoc hominum potuit solertia, verùm
In medio dulces æquore seruat aquas.

TARVISII.

AVrelij Augurelli imago est, quam vides,
Vni vacantis litterarum serio
Studio, & iocoso, dispari cura tamen:
Hoc, vt vegetior sic fieret ad seria:
Illo, vt iocosis vteretur firmior.

VICETINA.

IN VICETIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Bacche pater, Ceres alma, bonæ bona numina pacis:
Quæ patulos agros, qui iuga curua tenes;
Quid rerum, quid amicitiæ cum Marte cruento
Vobiscum? vestrum vt vexet vtrumque furor?
Pulchra racemiferos domitat VICETIA colles,
Lataque spicilegi iugera findit agri.
Cædis amor, cædis germana insana cupido:
Nec patrius nato est tutus ab hoste cruor.
Nusquam iter est. vastata iacent latrone proteruo
Ruscula: corruerunt ignibus hausta suis.
Parce (nefas) scelerare manus, Gens debita cælo,
Imbueque ignoto pectora digna Deo.
Diuinæ facies: regio cælestis: at huius
In cæli medio tartara dira vigent.

IN AEDE CATHEDRALI.

Hieronymo Soledo, Episcopo Vasionensi, Clementis VII. Pontif. Max. Domus Magistro, in Hispaniam Legato, ab eo Carol. V. Imperat. misso: rebus supra omnium spem eius prudentia celeriter, & ex voto confectis; affinitate etiam inter illos coniuncta: Cæsare in Italiam adducto: cum Venetis, ceterisque Italiæ Principibus fœdere inito, Duce Insubrum Cæs. Conciliato, in Belgis etiam apud eundem Legatione functo: Romæ in maiori de se expecta-

pectatione sublato: Io. Petrus fratri opt. atque innocentiss. P. Vixit ann. 52. dies 2. ☉. 4. Non Ian. 1533.

IN D. LAVRENTII.

FERRETI BREXANI, & SVORVM.

Heic situs ex clara FERRETVS *origine vates,*
Scaligeros decuit quem cecinisse Duces.
Scripsit & annales, Genuense & in ordine bellum,
Et noua de priscis carmina temporibus.
Et decus hic patriæ, Ferreta hic gloria gentis,
Hic locat æternum nomen, & ossa lapis.

LEONARDO PORTO.

Nobilissimo, Iuris & bonarum litterarum peritiss. qui nummos, mensuras, & pondera antiqua ad nostri temporis rationem deducendi autor fuit, atque octogenario maior decessit. & eius filius XVII. Kal. Octob. M. D. XLV.

AD SERVOS.

POLYXENAE CESENATAE.

Serius, aut citius, nihil est: bene viuere, vita est
Æterna; & cælum, qui bene vixit, habet.
Obijt anno M. D. XXV. XVI. Kal. Iulij.

ANTE AEDES COMITIS VVALMARANAE.

MARIA AVSTRIA AVGVSTA, Caroli V. Maximil. II. Rodolphi II. Impp. filia, vxor, mater, à Philippo fratre Hispan. Rege potentiss. ad regendum Lusitanorum quondam Regum Imperium nuper partum, è Germania adscita: per Italiam iter

iter faciens in his ædibus, quod ipsa ob veterem Austriacorum Principum erga hanc Domum clientelam maximè voluit, cum Margarita, Maximilianoque filijs Archiducibus, à Leonardo VValmarano comite, eiusdem Philippi Regis Pensionario splendidissimo apparatu accepta fuit. Anno M. D. LXXXI. XV. Kal. Octob.

IN PALATIO MAIORI.

ANTONIO BERNARDO I. C. præstant. & patri opt. ob Rempubl. domi forisque feliciter administratam: vrbe pontibus, carcere, foro, templis exornatâ: Iudæis & noxijs eiectis: ciuitate in pristinam dignitatem & otium, studijs & sanctis moribus restituta: monte pietatis fundato; grata Vicetia Pos. M. CD. LXXXVI.

AEOLIA.

FRANCISCVS TRIDENTAEVS, Vicetinus I. C. Hieronymi Equitis F. gelidi venti flatum, in cauerno, Cubalo nuncupata, spirantem in ædes proprias per hanc cryptoporticum deduxit: ad temperandum ardentes & æstiuos calores: quem tum cohibendo, tum relaxando, nouo atque mirabili artificio, per cubicula quæque ducendo: pro libitu ea refrigerare & calfacere valet; ita vt custodia villa, eius ingenio, diligentia, impensa & æmulatione ornatior effecta: inter regia oblectamenta connumerari queat. An. 1560. Ætat. verò suæ XXXII.

VERONENSIA.

IN VERONAM IVL. CAES. SCALIGER.

ITalia canimus semper florentis ocellum,
Calliope nequeat grandius vlla loqui.
Aucta Deis, auctura poli Verona Quirites:
Quot ciues, tot habens sidera digna Ioue.
Non animi, non ingenij vigor acrior vsquam.
Nulla creat plures Martia terra duces.
Transferre in cælum voluit sibi Iuppiter. Atqui
Clarior in nostris maluit esse locis.

IN NOVA VRBIS PORTA.

VERONA non minùs nobilis, quàm antiqua ciuitas, ac priscæ virtutis memor, Venetæ Reipubl. beneficio, non solùm muros, iniuria temporis corruptos, in melius restituit; sed ea quoque sibi templorum, viarum, pontium ac portarum ornamenta adiecit; vt publicorum ædificiorum magnificentiâ, nulli vrbium postponenda videatur. Tantum illi profuit bonorum Principum tutela ac fauor.

IN PONTE NOVO AD ATHESIN.

Qui fluminis vim passus annos plures iacuerat, ciuitatis ornamento & commodo pons tandem est restitutus.

EX ALTERA PARTE.

Fluminis impetu disiectum pontem, diligentia

AEmi

AEmi penè restitutum, FRANCISCI FOSCARIS successoris cura perfecit.

IN CATHEDRALI.

LVCI, Luca tibi dedit ortum, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori:
Imò Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.
Obijt S. Pater D D. LVCIVS Papa III.
Die xxv. Nouemb. Anno M. C. LXXXV.

COTTAE.

Sperabas tibi culta nouum, Verona, Catullum:
Experta es veros bis viduata Deos.
Nulla animum posthac res erigat, optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen vt vidit morientes frigida COTTAE
Ora, suum fassa est crimen, & erubuit.

IN MARIA ANTIQVA.
CANIS MAGNI DE SCALA.

Si CANIS hic grandis ingentia facta peregit,
Marchia testis adest, quam sæuo Marte subegit:
SCALIGERAM qui laude Domum super astra tulisset,
Maiores si parta dies infida dedisset;
Hunc Iulij geminata dies vndena peremit,
Iam lapsis septem quater annis mille trecentis.

MARCI ANTONII TVRRIANI.

Ante annos sciuisse nocet: nam maxima virtus
Persuasit morti, vt crederet esse senem.

MASTINI SCALIGERI.

SCALIGERA de gente fui, celebriq́ue ferebar
Nomine MASTINVS, claras dominabar in vrbes.
Me dominum Verona suum, me Brixia vidit,
Parmaq; cum Luca, cum Feltro Marchia tota
Iura dabam populis æquo libramine nostris
Omnibus, & fidei, & Christi sine sorde secutor,
Occubui primò post annos mille trecentos,
Et decies quinque heu lux ibat tertia Iuni.

AD S. ANASTASIVM.

Illustri LEONHARDO ex antiquiss. Imperialibus Bauariæ regulis, Comiti in Ortenburg, indolis & spei incomparabilis iuueni, hanc mœroris & amoris sedem superstites sorores Veronica & Anna-Maria proh dolor contra votum dedicarunt: authore agnato Ioachimo, eiusq́ue filio Antonio procurante. Obijt die XVI. Iulij, Anno M. D. LX I. Suæ ætatis vndevigesimo, cùm ex gymnasio Patauino hanc sibi fatalem auram pauculos dies captasset.

D. O. M.

IANVS FREGOSIVS LIGVRVM Princeps, ac Venetę Reipub. terrestrium copiarum omnium præf. vbi fortiss. Ducis officia domi forisq́ue præstitisset, hac H. T. F. I. Hercules F. paternæ pietatis memor P.

AD S. FIRMVM.

TOSELLO SORAYNAE I. C. quod Veronæ patriæ antiqua monumenta conscripserit, & per-

perquisiuerit, eaque ab edacitate temporis eripuerit, suorum quoque ciuium gesta conscripserit, & æternitati consecrauerit, S.P.Q. Veron. B.M. Ciui D D.

AD PROCVLI.

Quod NICOLAI BARBADICI opera, consilio, liberalitate, solertia, difficilimo pestilentiæ tempore, Verona sit periculo liberata: vrbano prouisum otio; plebis egestati annonæ consultum: prætorium magnificè refectum: obscuriores carceres illustrati; amphitheatri arena sordibus purgata: prætura denique præclarissimè administrata: id NICOLAVM BARBADICVM bene & de ciuium commodo, pro sua maiorumque suorum dignitate, posterorumque exemplo benegerendæ præturæ fecisse, sibique grata & esse & fore, testatum est D. Zenonis suburbium. M.D.XXVI.

IN AMPHITHEATRO.

IACOBO FOSCARENO.

Quòd amphit. instaurandum curauit, quodque eius prudentiâ in max. Italiæ frumenti inopia, vna Verona abundauit, Prætori, patrique opt. Veron. D. P. M.D.LXX.

IBIDEM.

HIERONYMO MAMORBO V. C. cuius incredibili studio dum vrbi præest, quod temporum iniuria huic amphitheatro perierat, reddi cœptum est. Veronenses PP. M.D.LXIX.

IN AREA PRAETORII.

ZACHARIAS BAR. Eq. Veronen. Præf nonnullas in agro, tres in vrbe arces instaurauit: Prætorium hoc sublicium marmoreum fecit, forum ampliauit, curiam ædificauit, in penuria annonæ famem defendit, Rempublicam integrè gessit, æquale ius omnibus dixit. Eius discessum populus lacrymis declarauit. M. CCCC. LXXVI.

MANTVANA.

IN MANTVAM IVL. CAES. SCALIGER.

Maxima cū veteri turgeret Hetruria regno,
Sceptraque terrarum iungeret aucta mari:
Mole noua tumuit, solijsq́; excreuit auitis,
Vt premeret forti iura aliena pede.
Inde est in superas deducta colonia terras:
Non tamen his potuit MANTVA tota dari.
Clara viris, felix ducibus, diuo inclyta cycno,
Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.
MANTVA diues auis, magno non cesserit orbi,
Tota tamen parte hac vincitur ipsa sui.

IN AEDE CATHEDRALI.

Aduentare mihi extremam dum suspicor horam,
Ossibus hanc posui viuus in æde domum.

AD

AD IMAGINEM RESVRGENTIS.

Nos quoque, qui solus superata morte reuixit,
Sumpturos carnem rursus, & ossa, docet.

IN S. ANDREAE.

LAMPRIDII.

LAMPRIDIVM Carum Musis hic Mantua seruat.
PETRVS MYRTEVS BENED. LAMPRIDIO POS.

Ergo ego, nobilium ô Genitrix atque hospita vatum
Mantua, quod nimium vicina Cremona Maroni
Obfuerit, solus pœnas abs te ipse reposcor?
Ille soli tantum tulit: ast ego de te,
Mantua, deque tuo meritus bene principe, cara
Pro patria, & vitam, & cineres tibi reddere cogor.

MANTINEAE.

Esse parem hunc nôris, si non præponis Apelli,
AEnea MANTINEAE qui simulacra vides.
ANDREAS MANTINEA, Apelles suæ ætatis, Equestri idcirco dignitate ornatus. Obijt anno M.D.XVII.

CAROLO NAVOLONO.

CAROLVS Eques clarissimus NAVOLONVS,
Belli Magister, & equitum inclytus ductor,
Prudens duorum tum Ducum gubernator,
Patriaque militum optimus fuit rector;
Nunc superis, ob integerrimam vitam
Receptus, hoc reliquit ossa sub saxo.
Obijt anno salutis M.D.LIX. ætat. LXXIX.

IN D. FRANCISCI.
HIPPOLYTI ALTERICI.

Fatis HIPPOLYTO impijs adempto
Maximo Alterica domus honore,
Consulto egregio vtriusque Iuris,
Oratoreqúe & optimo Poëta,
Deplorat pater, ingemunt clientes:
Silet Mantua, Aonidesqúe lacrymantur.
Qui obijt anno salut. M. D. LXIX.
ætat. XXXVIII.

LAELIO CAPILVPO BENEDICTI F.

Mantua te Læli meritò se iactat alumno.
Nam Maro quæ sonuit tu quoque voce sonas.
Et tua sint quamuis ex omni parte Maronis
Carmina; non eadem quæ canit ille canis.
Non igitur mirum si te modò Mantua ademptum
Certatim spargit floribus & lacrymis.
Vixit annos LXII. dies XV.
⊙. Anno M. D. LX. III. Ian.

BENEDICTVS AEGIVS AD CAPILVPVM.

Si vera est, LAELI, SAMI sententia vatis:
Quæ tua nunc anima est, ante Maronis erat.

IBIDEM.

Si neque fata queunt animos seiungere amicos;
AEternum heîc Blanca est, Iulius, & prolis.

D. O. M.

Si fata venderent aut permutarent animas;

IVLIVM

IVLIVM GONZAGAM probitas redimeret,
Et vxor vita permutaret propria.
At quia neutrum licet probitas raptum luget.
En vxor Biancha amoris æquè ac doloris
Hoc illi monumentum viuens collocat.

IBIDEM.

ANNIBAL CONSTANTIVS Neapol. eques, præsidio equestri Principis præfectus, sibi ac Scipioni Calderino, qui sæpius Ordinem duxit, viuẽs faciundum curauit: ne quos beneuolentiæ caritas in vita arctiss. vinculo coniunxerat, in morte disiungerentur.

IN COEMETERIO AD EFFIGIEM IO. BAPTISTAE SPAGNOLI Carmelitæ.

Alter hic iacet à Marone vates,
Natus Mantua, & quidem Poëta
Dignior titulo, nisi incidisset,
In fluctus varios scientiarum,
Quo musas coluit minore cura.
Primus hic tamen à Marone, natus
Mantua, coluit poëta Musas,
Andinosq; bibit sacro ore fontes.

Vixit annos octoginta natus M.CCCC. XLIV. XII. April.

FRANCISCVS SVVEERTIVS, in eundem.

Mantua me genuit, tenuit quoq; Mantua, sacros
Nunc eadem cineres Mantua cara tenet.

IN S. DOMINICO.

IOANNES MEDICES hîc situs est, inusitatæ virtutis Dux, qui ad Mincium tormento ictus Italiæ fato potius, quàm suo, cecidit M. D. XXVI.

IOAN. FRANCISCI PVSTERIAE.

Gallorum veterum scribis dum stemmata regum,
Quicquid & occiduæ contigit Hesperiæ.
Quot reges pictis posuerunt iura Britannis,
Quos Hunni, & Rußi, quosq́; Polonus habet.
Ecce immaturos carpsit mors inuida fructus,
Concidit & dura sylua tenella manu:
Quæ si culta mea poterit repararier arte,
Florescet nitido marmore sylua magis.
Vixit annos XLII. M. V. D. XIII. Obijt III. Id. Mart. M. D. LXXVI.

IN AEDE S. MARIAE CARITATIS.

ANGELICAE BVRGIAE.

Diuinum munus supremis sedibus olim
ANGELICA ad terras BVRGIA missa fuit.
Has Deus angelico non dignas corpore ducens,
ANGELICAM sedes duxit ad Angelicas.
Obijt die vltima Ianuar. M. D. XIX.

AD CARMELITAS.

Hospes ALEXANDER triplici clarißimus arte
Hic cubat, hic sacer est manibus iste locus.
Siue sonum malles, siue instrumenta sonora,
Nec melior psaltes, nec faber vllus erat.
Regia nemo pari tornabat vasa decore,

Siue

Siue æs, seu gemmas, siue terebat ebur.
Maiori superos nemo pietate colebat:
Qui legis ergò, pia dic pia verba animæ.

LVCRETIAE.

Accolit angelicas quæ nunc LVCRETIA sedes,
Frigida sub paruo marmore clausa iacet.
Ne stupeas, confessa Deo sua crimina planxit,
Senserat extremum cùm sibi adesse diem.
Atq; comas neglecta, crucem complectitur ipsa,
Cui lacrymas fundens basia mille dabat.
O mirum! ô summi pietas immensa Tonantis!
Quæ peccans vixit, facta beata nece est.

Obijt anno salut. M. D. XXXVI. Die XX. Decembr.

AD S. MARTHAM.

ALEXANDRO GONSAGAE Friderici I. Ducis Mantuæ F. Caroli V. Impe. Augusti, & Philippi Hispan. Regis auspicijs, maximarum rerum administratione, & peditum equitumque ductu, non minus pacis artibus, & Christianæ religionis cultu, quàm nobilissimi generis splendore, & bellicæ virtutis gloria claro, Fabius & Alexander FF. parenti opt. merito PP. mœstissimi. Vixit annos LX. M. X. D. IV. Obijt XIX. Kal. Septemb. anno salut. M. D. LXXX.

ALBERTINO PAVESIO.

Ingenuis artibus erudito Ludouicus filio P.

Intempesta mihi cur te mors abstulit? heu heu!
Debueras oculos claudere (nate) meos.

IN S. BARBARAE.

Amici mei omnes desinite luctu quietem nunc meam rumpere. Vixi namque vt morerer: mortua sum vt viuerem: vobiscum victura demũ, cùm mortua mors fuerit. Dominicæ vxori dilectiss. Vincentius de Ferratis,& filij matri bene merenti posf. Anno M. D. LV.

IN S. NICOLAI.

FRANCISCI GISVLPHI, ex antiquissimo Longobardorum sanguine hic ossa clauduntur, donec immutatio veniat, & corruptibile hoc incorruptibile induat, & mortale immortalitatem.

PETRI POMPONATII MANTVANI.

Hîc sepultus iaceo. Quare? nescio, nec, si scis aut nescis,curo. Si vales,bene est, viués valui. Forcasse nunc valeo. Si, aut non;dicere nequeo.

IOANNES LATOMVS.

Cur, quis hic iaceam, referre cogor,
Et caussa iugulo mea admouere
Hunc Ensem, vt modo mortuus, cinisq;
Si tecum fuero locutus, atri
Conuincar placiti, reusq; fiam?
Sed sunt ij rabidi, & mali poëtæ;
Qui, quum plurima mentiantur ipsi,
Me verum prohibent tacere: nam sum
POMPONATIVS ille, qui professus
Manes esse nihil, sed interire
Quicquid est hominis, patiq; fatum,

Nunc

Nunc contrà experior: tacere proinde
Mallem, sed rabidi vetant poëtæ.

CREMONENSIA.

IN CREMONAM IVL. CAES. SCALIGER.

QVis modus esset agris, & quanta licentia fru-
Verba peregrina Gallica voce notant. (gis.
Inde solum nati lætum dixere Cremonam,
Quin Latio vox est delitiosa cremor.
Vsque adeò longo reddit cùm fœnore tellus:
Prateritiq; hornùs commoda ridet ager.
Deficit & cultrum, & vomer: non deficit vber.
Lassa manus, trita sarcula, fessa Ceres.
Reddant pensum alia: nostra lex vnica terra est:
Et votum domini, & spem superare sui.

IN CATHEDRALI.

D. O. M.

PAVLO ALAE, qui ob IV. Cl. eximiam prudentiam in Senatum Mediol. cooptatus, cum Magistratum, ea fide, grauitate, abstinentia, castè integreq;, & ad priscæ probitatis laudem gessit, vt longè maiores à Rege sperare debuisset. Sed heu! dum Reip. dignitati enixè priuatorumque commodis benignè studet, suis parum consulens, perdita valetudine diu vsus vita cessit, suò magis, quàm aliorum tempore. Vixit annos IL. M. X.

Ciuit. CREM. decreto sepulcro sumptu pub. ciui B. M. parentauit.

Inscriptio honoraria in exequijs. Sepultus Albæ.

IBIDEM,

D. O. M.

M. HIER. VIDAE, ALBAE EPISCOPO,
quem probè omnes norunt,
Ciuitas CREMONA decreto ſepulcro ſumptu
pub. ciui, qui de vniuerſa ciuitat. B. M.
eſt, parentauit V. A. N.

Qui cum, quidquid in egregium hominem laudis
dici poteſt, in eum beneficio nat. fuerit collatum,
immortalit. erat dignus, niſi naturæ cõmunis con-
ditio obſtitiſſet. Viuit tamen adhuc apud nos,
viuetq; æternum ad poſteros benef. iu-
cundiſſ. ac perpetua recorda-
tione.

Qui omnibus erga gregem ſibi commiſſum offi-
cijs functus piet. charit. fide, conſt. præclarus, o-
mnibus carus, nemini noxius à nobis diſ-
ceſſit, ſuo magis, quam aliorum
tempore.

Qui non ſolùm piè & ſanctè Deum coluit, ſed ita
etiam cecinit, vt in cœlo locum, vbi beatus æuo
ſempiterno fruatur, & in terris æternam
ſibi gloriam maximo omnium morta-
lium fructu comparârit.

Obijt anno M. D. LXVI. XXVII. Septemb.

SEBASTIANO PICENARDO.

Cæſareo armorum ductori, victorijs innumeris clariſſ. ſummis Principibus in arduis expeditionibus vndecumque expetito, cui Inſubria Sfortiadæ, Liguria ciuib. AEtruria Mediceo ſeruata, ipſa denique patria toties defenſa, æternũ debent IOAN. BAPT. PICENARDO acerrimo peditum præfecto, virtutis paternæ æmulo, & propagatori.

SFOR-

SFORTIAE item PICENARDO fortiss. copiarum Imperatori, qui parentem nó modo æquabat, sed etiam lõgè superasset, nisi in medio victoriarũ cursu raptus esset. Valerius & Sfortia fratres opt. auo, patruo, & Patri B. M. pos. M. D. LXXVII.

AD S. BARTHOLOMAEVM.

MELCHIORI AIMO I.C. clariss. qui ob egregias eius virtutes, & singularem in patriam pietatem, non minori ciuibus suis commodo & ornamento fuit, quam Ioães Baltazar, & M. Antonius eius maiores, qui cum in Iure ciuili excellerent, suæ vtilitatem publicam præferentes, nominis sui memoriam reliquerunt. Ludouicus I. C. Vincentius Physicus, Ioan. Paulus, & Ioan. Bapt. FF. patri cariss. & B. M. mœstissimi POSS.

Vixit annos LXX. P.M. obijt prid. Id. Septemb. M. D. LXX.

CAMILLI BOCCATII.

Arte fuit nato prior, & pater arte secundus,
Ergò erit arte minor, qui fuit ante prior.
Obijt M. D. XLVI. IV. Non. Ianu.

AD S. AVGVSTINVM.

HOMOBONO OFFREDO Philosopho, mortalibus ob mores non minus suauiss. quàm medendi præstantiam caro, omnibusque expetito: cuius domus sanitatis officina, multis è rogo in vitam restitutis, tota Italia adibatur; At dum vndique à Principibus accersitus, amicorum saluti consulit, suam perdit, luctu pub. Ciuitatis, Italia mœrente elatus. Vixit ann. LXXX. Petrus Ioan. Bapt. FF. mœstiss. parenti sanctiss. POSS.

AD

AD S. ANGELVM.

Hic pietas in patriam,& pauperes prompta, monumento est vobis posteri, vbi iaceo. ANTONIVS LAFAITATVS, nulli vnquam noxius, Deo proximus. Vale.

AD SIGISMVNDI.

FRANCISCVS SFORZIAE F. ex Sfortia familia Mediolan. Dux: Blancam-Mariam Philippi Vicecomitis F. heîc sibi vxorem adiunxit, idq; per verba & annulos ex more significauit; anno à Christi conceptione 1457.

IBIDEM:

BLANCA MARIA FRANC. Sforziæ vxor. M. P.Q. aram, atque ædẽ felic. Matrimonij M. F.C. Hieronymo, eiusquè monachis cessit; ac sacrauit, ministris victũ annuum de suo H. E. Cremona dotali vrbe dd. decreuit. Legauit Anno 1460.

BRIXIANA.

IN BRIXIAM IVL. CAES. SCALIGER.

QVæ pingues scatebras specula despectat ab al-
Postulat imperij Brixia magna vices. (ta
Cœlum hilarum, frons læta vrbi, gens nescia fraudis,
Atq; modum ignorat diuitis vber agri.
Si regeret patrias animis concordibus oras;
Tunc poterat dominis ipsa iubere suis.

IN

IN CATHEDRALI.

Vixi,& securus mei possessor fui; quæ dederat mihi Deus,in cursu peregi; pietate Christi optimi meliores sedes spero: Valete Brixienses mei; cœlum spectate, Deo parete: nam quàm fragilis & caduca sit vita mortalium, meo exemplo discite. M. CCCC. LXIIII.

CORNELII MICHAELIS.

Heu CORNELI, *qua sors tua?*
Sum felix; ne me vexes.
Cur in pube læta obijsti?
Satis vixit, qui bene moritur.

IN PALATIO CAPITANEI.

Hic locus odit, amat, punit, conseruat, honorat.
Nequitiem, pacem, crimina, iura, probos.

IN D. FAVSTINI ET IOVITAE MEMORIAE AETERNAE.

Illustris Viri PAVLI AVOGARDI Brixiani, qui ob insignem animi erga Deum pietatem, SSQ. FAVSTINVM & IOVITAM patriæ suæ Patronos, ad tuẽdam amplificandamq; Brixianorum societatem, eorum SS. nomine in vrbe nuper institutam, pro sacris, diebus singulis in ea faciendis, mille aureos nummos moriens legauit. Societatis ordo Bene meren. POS. CIↃ.IↃ. LXXIII.

M BER-

BERGOMATIA.

IN BERGOMVM IVL. CAES. SCALIGER.

Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus:
Omnia crassa modis insignibus, omnia dura;
Sic valeant silices vt superare suos.
Ista domi: sed vicinus si aspergat acetum;
Artibus atque dolis vincitur ipse suis.

IN CATHEDRALI.

D. O. M.

BARTHOLOMAEVS COLEONIVS de Andegauia virtute immortalitatem adeptus, vsq; adeò in re militari fuit illustris, vt non modò tunc viuentium gloriam longè excesserit, sed & posteris spem eum imitandi ademerit. Multoties enim à diuersis Principibus, deincepsque ab Illustriss. Venetorum Senatu accepto imperio, tandem totius Christianorum exercitus, sub Paulo II. P. M. delectus fuit Imperator, cuius acies 14. annis ab eius obitu, solo iam defuncti Imperatoris, tãquam viui nomine militantes, iussa cuiuscumq; alterius contempserunt. Obijt 4. Non. Nouem. Anno Domini 1475.

IN PALATIO.

BERGOMVM vrbs vetustiss. Ann. ante S. N. 1804. à Cidno Liguris Hetruscorum Regis F. exstructa: aliquando in libertate, aliquando sub Romano, Cæsarum, Regum, ac Ducum Imperio, vario euentu

euentu iactata, sub sanctissima D. Marci alarũ vmbra, tandem diuturnæ pacis otio fruitur, & feliciter quiescit.

IBIDEM.

ANTONIA ciuis Bergomi virgo, non minus animi, quàm corporis pulchritudine pollens; cum ab N. N. violentum in se stuprum parari videret, mortẽ pro conseruanda pudicitia vilipẽdens, gladio violatoris erepto: intrepidum sibi pectus trãsfodiens, singulari castitatis exemplo vrbem hanc perpetuo illustrauit.

TICINENSIA.

IN TICINVM IVL. CAES. SCALIGER.

QVA citus Eridani ditat TICINVS arenas,
Gratus honoratas hospitis hospes aquas:
Lux studiorum ingens, Regum pulcherrima sedes,
Signat inexhausti iugera plena soli.
Deuicta Italia, reliquis voluere relictis,
Magnanimi hac potius parte sedere Duces. (es)
Pace tua, Hesperia alma parens, hæc dixero: quanta
Quantaue sum! totum es: pars tamen vna placet.

IN AEDE D. PETRI.

SEVERINI BOETII EPISCOPI.

Mæonia, & Latiâ linguâ clarißimus, & qui
Consul eram, hic perij missus in exilium.
Sed quid mors rapuit? probitas me vexit ad auras,
Et nunc fama viget maxima, viuit opus.

IN CATHEDRALI.

Michaeli Zieglero patritio Sueuo, qui plurimis cùm Germaniæ & Galliæ, tū Italiæ ciuitatib. peragratis, ob pręclaras animi ingenijq́; dotes multorum gratiam conciliauerat. Demū hoc Ticinensi Gymnasio adeò in omni virtutum genere excelluerat, vt non minus in Philosophia, quā in Iurisprudent. atque in Musicæ modulis floreret; quique cum in Syrij ardoribus, æstus leniendi causa, Ticino amni natans se credidisset; eius vorticibus inuolutus, diem obijt anno M. D. LXIV. Non. Quinct. ætat. suæ XXVII. Io. Corradius Cotvvitz, cui flebile desiderium reliquit, socius socio carissimo, atque opt. merito mœstiss. POS.

Sueuia me genuit, rapuit Ticinus, habet nunc
Vrna breuis. calidis te laue, lector, aquis.

IN CARMELITARVM.

Reuerend. Carmelita D. Archangelus Lafraconus Papiensis, infula Theologorum redimitus, Ticinensi Gymnasio viuens legit, legens obijt, legebat, vt doceret; sciebat, vt bene ageret. Anno M. D. LXV. VII. Cal. Decemb.

IBIDEM.

IOAN. FRANCISCO DE S. NAZARIO A RIPA I. C. primi nominis Senatori, Dux, Com. Palat. HELENA GENTILIS Vxor, & VI. liberi.

Hoc, hospes, potes æstimare saxo,
Humani nihil esse non caducum.

NICO-

NICOLINI DE S. NAZARIO.

Vita bonum mendax. longo dignissime seclo,
Hic tegit extinctum te, NICOLINE, lapis.
Heu quantos Ticino luctus, lachrymasq; relinquis,
Interpres legum, Conciliiq; pater!

IN S. FRANCISCO.

ANONYMI.

Non habita ratione soli, nec stirpis auita,
Immisêre necem fata sinistra mihi.
Nil hinc. inde preces fusa, nil pulcra iuuentus
Profuit; instabilis stat sua cuiq; dies.

BALDI I.C. FRANCISCANORVM HABITV CLARI, IN NOVO monumento.

Vita, labor, studium, diuini cultus amoris,
Artes natura, fulgentia dicta, legales
Norma pastorum, qua sunt & cœlica iura,
Ornant Baldi animam, qua pādent dogmata clara.
Et quia nunc linquit mortalis pondera carnis,
Dulcia iam gustans auctoris pascua summa,
Clauditur hic BALDVS, Francisci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina conditus arce.

Obijt M. CCCC. D. XX. April. in aurora. Gothardus Regna Mediolan. Ticinensis Gymnasij Rector instaurauit, anno Domini M. D. XLVII.

IBIDEM.

Filius Astrea morum pater, artis alumnus
Cæsarea, verus religionis honos,

BALDVS, Perusij ducens cognomen ab vrbe,
Clauditur hic: animam sidera summa tenent.

Baldus editiorem sortitus locum, hîc octo & decem suprà centum annis obdormierat, M. D. XIX.

FRANCISCI CVRTII SENIORIS,

Sacrarum interpres legum, sanctissimus olim
FRANCISCVS, patriæ gloria magna suæ.
Quem probitas, quem cana fides, pietasq́, decorum
Fecerat, hoc positum marmore corpus habet.

Obijt 1495. 3. Iulij. Bernardinus Curt. gratus filius fieri iussit.

LVCHINI CVRTII.

Tegitur hoc lapide LVCHINVS CVRTIVS I. C. patriæ decus, vitæ speculum, pacis amator, præcipuus vitiorum osor. 1502.

IN AEDE S. CLARAE.

BLANCAE AIATIAE coniugi, Augustinæ TVRRIANAE matri, BLANCAE SALIMBENAE sorori, fœminis lectiss. IOSEPH SALIMBENIVS Eques, tribus animis suis vnica pietate POS. M.D.LXXIII.

IN S. EPIPHANII.

ANDREAE ALCIATO, Mediolanensi I. C. Comiti, Protonotario Apostolico, Cæsareoque Senatori, qui omnium doctrinarum orbem absoluit, primus legum studia antiquo restituit decori. Vix. ann. LVII. Mens. VIII. D. IV. Obijt prid. Id. Ianuar. Anno M. D. L. Franciscus Alciatus I. C. A. B. M. P.

A. B. M. P. ad sinistram: μηδὲν ἀναβαλλόμενος.
Ad dextram: Ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται,

IBIDEM.

HIERONYMO TORNELLO I. C. Max. quem ad intimam arcanamque iuris sapientiam enucleandam, & ad totius exemplum sanctitatis, & iustitiæ, Natura pepererat. Hæredes opt. mœstiss. ad tempus POSS. Vixit annos LXX. Obijt anno M. D. LXX. X. Cal. Nouemb.

Credite nunc vati augusto posse æquora claudi,
Cum, quicquid legum est, hac breuis vrna tegat.

AD S. AVGVSTINVM.

CHRISTOPHORO TRVCHSES. S. Rom. Imperij hæreditario Dapifero, Baroni in VValpurg, Trib. milit. Cæs. in expeditione Africana, ornamentis Equitis donato, D. Caroli V. Imperat. manu.

Austriacum in Turcas bellum, Caroliq; triumphum,
Tunisiæ fauces, salsaq; stagna maris.
Virtutis monumenta tuæ immortalia perstant,
Corporis hic tantum stat fugitiuus honos.
Otho Gymnasiarcha Fr. cariss. M. D. XXXV.

AD INTROITVM MARGARITAE AVSTRIACAE, ANTE AEDES MARchionis *Malaspinæ.*

MARGARITAE AVSTRIACAE, Cæsarum prolis Philippi III. Regum Regis vxoris, Pudicitiæ ac gratiarum alumnæ, omni virtutum splendore ornatissimæ, Christianæ pietatis auspici religiosissimæ, pacis nuntiæ, publicæ salutis,

 tute-

tutelæ, maximæ, felici, & augustæ, angusta quidem, sed læta domus.

ITEM.

Intuere ingrediens, diuina Cæsarum propago, Regum olim iam sedem, quæ multoties pro singulari in Austriacos fide penè funditus euersa, felicissimis deinde eorundē auspicijs instaurata, aurea qua nunc ouans tranquillitate potitur, præsente tuo Numine, æterna perfrui sperat.

IN S. IACOBO EXTRA MVROS.

IASON MAINVS Iureconsultus, Eques, & Comes, quisquis ille fuerit, hìc requiescit.

Materia vincor, & tu vis ire viator?
Expediam; iacet hîc ille MAINVS. abi.

AD CARTHVSIANOS.

IOANNES GALEACIVS Vicecomes, Magni Matthæi pronepos, sub Galeacio Patre ad magna institutus, rem militarem primus in Italiam reduxit, bellator indefessus, suo auspicio, & aliorum ductu, barbaros & hostiles exercitus, siue iniurias vlcisceretur, siue socios & amicos defenderet, siue regni fines ampliaret, occidione deuicit. Regum gener atque socer, affinitates, amicitiam, & societatem cum potentiss. Regibus iunxit, Religionem Dei amplexus, collapsa templa restituit: noua magnificè & opulenta extruxit; Hierosolymis sacellum & aras erexit: domi & bello disceptator prudens, iustus, magnificus; Papiæ scholas, & cuiuscũque scientiæ Doctoribus annua salaria instituit: arces

arces, partim opere, partim ſitu & natura validas, munitiores, alias manu & opere inexpugnabiles fecit, gentes omnes à mari Tyrrheno ad Venetorum vſque littora ſub fidem & imperium redegit, ex gubernatore regni dominus & Dux creatus, ad excelſa rerum humanarum faſtigia viam affectabat, niſi in Italiæ iacturam fata interceſſiſſent. Conſtituit moriens cor Viennam Allobrogum, reliqua inteſtina ad Gallæcos deportari, & in ædibus diuorum Iacobi & Antonij, oſſa verò in cœnobio Carthuſienſium iuxta Papiam condi teſtamento iuſſit. Vixit annos 47, m. 10. d. 19. Obijt 1402. Mediolani. Regnauit annos 24.

IN AGRO TICINENSI,

Per quem Mediolano in ipſum flumen
foſſam nauigabilem Comes
FONTANVS duxit.
Martis, & Cereris hi campi ſunt,
Non minus trophæis, quàm ariſtis clari.
Rex prælio victus, & captus,
exercitus cæſus:
VICTORI CAESARI
PETRVS ERNIQVES ACEVEDIVS Comes Fontanus monumentum dicauit,
&
foſsâ nauigabili Mediolano in Ticinum ductâ
æternæ victoriæ famam,
vbique terrarum ſparſam,
Perenni aquarum lapſu, & murmure
in mare deferri voluit,
Vt hoc etiam elemento vagaretur.

Inſcriptio Eryci Puteani, nondum poſita.

MEDIOLANENSIA.

IN MEDIOLANVM IVL. CAES. SCALIGER.

COmpositos populos, validiq́ exordia Regni
Excepit facili terra beata sinu.
Creuerat Ausonio commistus sanguine Gallus:
Et dabat antiquo fortia iura Pado.
Tertia se adiunxit tantis Germania rebus:
Et stetit audaci fama parata manu.
Quamuis simplicibus iactet se gloria signis:
Cùm triplex vni contigit aucta mihi.

IN AEDE CATHEDRALI.

IOANNIS VICECOMITIS ARCHIEPISCOpi Mediolanensis.

Quàm fastus, quàm pompa leuis, quàm gloria mundi
Sit breuis, & fragilis humana potentia quàm sit,
Collige ab exemplo, qui transis, perlege, disser,
In speculo speculare meo lacrymabile carmen.
Qui sim, qui fuerim, dicam, qui marmore claudor.
Sanguine clarus eram Vicecomes stirpe, Ioannes
Nomine, nullus opes possedit latiùs orbe:
Præsul eram, pastorq́ fui, baculumq́ tenebat
Dextera pastoris, gladiumq́ sinistra gerebat
Felicis domini; magnusq́ potensq́ triumphans
Ipse fui viuens, metuerunt nomina nostra
AEthera, terra, mare: suberant vrbesq́ potentes
Imperio tituloq́ meo: mihi Mediolanum
Vrbs suberat, Landense solum, Placentia grata,

Aurea

Aurea Parma, bona & Bononia, Pulchra Cremona,
Bergoma magna satis, lapidosis montibus aucta,
Brixia magnipotens, Bobiensis terra, tribusque
Eximijs dotata bonis Terdona vocata,
Cumarum tellus, nouaque Alexandria, pinguis
Et Vercellarum terra, atque Nouaria, & Alba;
Ast quoque cum castris Pedemontis iussa subibant,
Ianua, ab antiquo quondam quæ condita Iano
Dicitur, & vasti narratur Ianua mundi,
Et Sauonensis arx, & loca plurima (quæ nunc
Difficile est narrare mihi) mea iussa subibant:
Thuscia tota meum metuebat languida nomen:
Hinc obsessa fuit populo Florentia plena,
Bellaque sustinuit Tellus Perusina superba,
Et Pisæ, & Senæ tumidum reuerenter honorem
Præstabant; me me metuebat Marchia tota.
Italiæ partes omnes timuere Ioannem;
Nunc me petra tenet, Saxoque includor in isto,
Et lacerum vermes laniant nunc vndique corpus.
Quid mihi diuitiæ, quid lata palatia prosunt?
Cum mihi sufficiat, paruo quod marmore claudor.

Et clausi diem meum M.CCC.LIV. Augusti V.

MARINO ÇARACCIOLO CARDIN.

Neapolitano, illustri genere orto, qui plurimis pro Pontif. Cæsareque functus Legationibus, primum Carol. V. Imper. ad Aquisgranum coronam imposuit, Anglos ei coniunxit, & Venetos; ac demum à Paul. II. Pont. Max. in Cardinalium numerum cooptatus, dum Prouinciam Mediolanensem ab eodem CAROLO sibi creditam regeret, importuna morte, maxima cum Reipubl. Christianæ iactu-

iactura sublatus est. v. Kalend. Feb: M. D. XXXIII. annos natus LXIX. Ioan. Bapt. fratri opt. Pos.

TVMVLVS ALFONSI DAVALI MARCHIONIS PISCARIAE, & Vastij.

Arma manu tibi capta, & victo ex hoste trophaa
Hac tibi marmora erunt, hac tibi erunt tituli.
Hac tibi Mars statuit; statuit Bellona sepulcrum,
O DAVALE, hac cineri debita busta tuo.
Hic ALFONSE iaces ornatus & obrutus armis,
Arma tibi tumuli: tela tibi tituli.

IBIDEM.

POLYDORI SFORTIAE.

Sfortia auus, pater est Franciscus maximus ille,
Cui virtusq; parens, sors bona amica fuit.
Est Mediolanum patria hac ditißima rerum,
Atque hominum; generis nomina fecit auus.
Corpore, mente, manuq; vigens Polydorus in artes
Et generis titulos conspiciendus eram.
Prater spem prastare nihil, sed fas fuit. heu mors
Tam bona vota, heu mors, pracipitata tulit.
Natus an. 23. obijt an. 1473. 10. Martij.

PVBLII ATTILII GRAMMATICI.

Morborum vitia, & vita mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

IBIDEM.

CAROLVS BORROMAEVS Card. Tituli S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolan. frequentiori-bus

bus Cleri, Populique, ac deuoti fœminei sexus precibus recommendatum cupiens, hoc loco sibi monumentum viuens elegit. Vixit ann. XLVI. M. I. D. I. Præfuit Ecclesiæ Mediolanen. annos XXIV. M. IIX. D. XXIV. Obijt III. Non. Nouemb. anno M.D.LXXXIV.

D. O. M.

Nolite mores, patriam, genus, nec rem
Inquirere hospes, manibus meis tantùm
Lucem precare. orbi ipsa protuli lucem,
Vt bi quietem, Sfortiæ dedi magno
Cùm maximum natu. quid astra, quid virtus
Poßint, hic ostendit: parentem an agnoscas
Me Luciam Francisci, & inclytam quam
Vrbs sensit & felicitatis autorem.

Obijt anno 1450. 21. Ianuar.

IN D. AMBROSII.

M. ANTONIO MAIORAGIO,
dicendi Magistro singulari,
Latinis, Græcisque litteris perpolito,
& libris editis illustri:
qui publicè docuit annos IX.
Vixit XLI.
Bartholomæus Comes vxoris fratri
B. M. Posuit.

IBIDEM.

A qui Iaze el soldado VILGRIA
El qual mando el cuerpo ala yglesia
Y el coracon ala amiga.

HISPA-

HISPANAE.

A qui Iaze la ſenora Donna MARIA,
Que murio treynta dias antes que fueſſe Cōdeſſa.

IBIDEM.

Eſta es la mas cierta morada
Para el cuerpo deſcanſar,
Si el alma va a buen lugar.

IBIDEM.

A qui Iaze Iuan Bras molinero,
De los dancantes el mas dieſtro,
Que Iamas le falto geſto
Ni tabaque, ni pandero.

LVSITANI.

A qui Iaz Vaſco BELLO
Homen bom e fidalgo,
O qual trazendo eſpada,
A mingem mato coela.

IN S. NAZARII.

IOAN. IACOBVS TRIVVLTIVS Magni Filius, qui nunquam quieuit, nec alios quieſcere paſſus eſt, hîc tandem quieſcit ipſe. Tace.

PROSPERI COLVMNAE.

Geſſi bella diu, ſed incruenta;
Defendi Heſperiam ſenex vtramque,
Proſper vi valida mea Columna.
Perfeci mea fata: peruicaces
Vos in ſanguine Principes, Valete.
M. CCCC. XXIV. Kal. Ianuarij

AD S. MARCVM.

FACIO CARDANO. I. C.

Mors

Mors fuit id, quod vixi, vitam mors dedit ipsa:
Mens æterna manet, gloria, tuta quies.
Obijt anno Domini M. D. XXIII. IIII. Kal. Sept. ann. LXXX. Hieronymus Cardanus Medicus parenti posterisque V.P.

IN S. FIDELIS.

Quod est templum Patt. Soc. IESV.
PIAE MEMORIAE SACRVM.
PAVLA MARIA TAVRILLIA,
Guastallæ Comitissa,
Christianæ perfectionis imago,
etiam hîc fulget;
in ipsa mortis vmbra
æternis virtutum facibus illustris;
Diuini amoris, dum vixit, flamma;
postquam vixit, astrum;
quam patronam aucta religio,
quam matrem restituta pietas
agnoscit:
re magna Christo dicata,
factis, non scriptis hæredibus,
esse inter mortales desijt,
v. Kal. Nouemb. ∞ .IↃ. LXIX.
Collegium virginum Mediol. auctori
& parenti P.

INSCRIPTIO SCHOLAE
Palatinæ.

SCHOLA PALATINA.

Quisquis es otiosus, seu negotiosus,
suspice.
otI hic locus est,

olimque fuit,
in quo Themidem, & Suadas colas;
hæc te virum, illa ciuem faciet,
bona bonum,
Sed heic faciet. Veni,
vt in otio negotiosus fies,
in negotio otiosus.
ERYCIVS PVTEANVS C. R.
Prof. eloq. & Historiogr. Reg.
D. D. D. P. P. P.
VIDO MAZENTA Præfecto vrbis.
∞ . IↃC. V.

AD INGRESSVM MARGARITAE AVSTRIACAE.

Ingredere læta serenissima, MARGARITA AVSTRIACA, maxima, felix, pia, augusta,
Frequentissimo exsultante populo, maiestatisque tuæ præsentia, tanquam exspectatissimo triumpho gestiente. Vna enim omnium voce virtus ipsa loquitur, & prædicat, te illam esse preciosam Margaritam,
quæ PHILIPPI III. potentiss. regis imperium magnitudine æquat, pondere firmat, candoreque vniuersum orbem illustrat.

IBIDEM.

PHILIPPO II. Caroli V. Imper. F. Austriaco, Hispanico, Indico, Africo, Belgico, cunctarum gentium pio parenti, inter totius orbis monarchas potentissimo, numine Dei electo, ad sparsa Impe-

Imperia congreganda; Catholicamque fidem longè lateque propagandam: MEDIOLANENSIS ciuitas, quod quietem Italiæ, felicissimis optimisque nuptijs augustissimam prolem promittentibus, firmârit, in aduentum serenis. MARGARITAE AVSTRIACAE fidei & lætitiæ publicum testimonium.

IBIDEM.

Serenissimo ALBERTO ARCHIDVCI Austriæ fortissimo, felicissimo Principi, per imperia, victorias & triumphos ad culmen gloriæ, & regiæ affinitatis euecto, Mediolanenses tantæ virtutis Heroi erexerunt.

ITEM.

MARGARITAE AVSTRIACAE PHILIPPI III. Regum maximi coniugis augustissimæ, maiestatem, pacis fatale nomen, propagandæ Imperatorum stirpi aptissimum connubium, ac propulsandæ omnium mœstitiæ propitium aduentum IO. FERNANDEVS VELASCHIVS Castellæ Comesta, lætissimus veneratur.

ITEM.

D. MARGARITAE AVSTRIACAE, cuius per augusta Imperia numerantur aui D. PHILIPPI III. omnium magnorum Regum maximi sponsæ, cùm primùm gradum in hac vrbe ad maxima imperia poneret. IO. FERDINAND. VELASCHIVS, COMES Mediolanensi Prouinciæ, & regio exercitui in Italia præfectus, exorientem auroram felicis seculi veneratus, dicauit.

COMENSIA.

IN FRONTE CATHEDRALIS.

ORdo Populusque Comensis, C. PLINIVM Secundum mactum ingenio virum, dignatione clarum, doctrina admirabilem, vt qui olim Imperatorum, Cæsarum, Vespasianorum amicitiam meruerit: officia maxima gesserit: ac scriptores vniuersos, copia & varietate superauerit: municipem suum incomparabilem, statua, & elogio ornauere.

IBIDEM.

C. PLINIO Cecilio Secundo, qui consultatu, auguratu, militiæ gestis, orandis causis, poematibus & historijs conficiendis, Cæsare Traiano Augusto luculentissimè laudando, afficiendoque immensa liberalitate patriam suam, eidem immortale contulit ornamentum, Ordo Comensis concivi suo desiderabili, honore accepto, monimenta posuit. M.CCCC. LXXXXIIX. Cal. Maij.

Functus eram, sed tum veteri præclarus honore
Viuebam, perij, nunc quoque vita mihi est.

IN TEMPLO.

BENEDICTI IOVII.

Quem inuida mors voluit esse mortuum, historia, patria, orationes & carmina BENEDICTVM IOVIVM mori non sinunt. Iulius Episcopus Nucerinus memoriæ patris opt. P. 1556.

IN

IN PALATIO P. IOVII.

Fortuna cùm virtutem exornat, nascentem inuidiam simul extinguit; labor fortunam conciliat, virtus inuidiam frangit. Cùm Naturæ necessitas ad interitum ducat, sola ingenij gloria vitam extendit. Viuidæ feruidæque virtuti Mœcenates nunquam desunt.

Maior ab euersis rebus clarissima virtus
Surgit, & è medio funere fata fugit.

TAVRINENSIA.

IN AEDE SVMMA.

AMADEO ROMAGNANO.

Olim Allobrogici Ducis Sereni
Cancellarius, insuperque Montis
Regalis, placidus, pius, benignus
Antistes, miseris salus, leuamen,
Romagna genitus Domo vetusta,
Hic ingens AMADEVS ille carpit,
O Lector, placidam senex quietem.

Vixit ann. LXXVII. Obijt M. D. IX. XVI. Kalend. April.

IOAN. FRANCISCVS RVVERE.

Iulij II. Pontif. Max. Pronepos, Taurin. I. Archiepiscopus, arcis Adrianæ præfectus, Sacrosancti Lateranensis Concilij ex XXIIII. decernentibus, diuini humanique Iuris peritiss. Perusio, Senis, ac Roma testibus, vbi acerrimè

de his omnibus XX. annum agens congressus est, Leoni X. Cœtui inserere cupienti cariss. hic Bononiæ, vbi fato (proh dolor!) perijt, pietate fratrum aduectus iacet pro tempore.

IN TEMPLO SOC. IESV.

A fundamentis pia templa dicantur IESV,
Quæ colet imperio tempore templa nepos.
Ergò quot Emmanuel Pietati prorogat annos,
Tot Pietas vitæ proroget alma suæ.

IBIDEM.

DIALOGVS PHILOSOPHI ET IVSTITIAE.

PH. *Quæ Dea?* IVST. *Iustitia.* PH. *at cur toruo lumine spectas?*
IVST. *Nescia sum flecti, nec moueor precio.*
PH. *Vnde genus?* IVST. *Cælo.* PH. *Qui te genuere parentes?*
IVST. *Mî Mod⁹ est genitor, clara Fides genitrix.*
PH. *Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?*
IVST. *Vna patet iustis, altera surda malis.*
PH. *Cur gladiũ tua dextra gerit? cur laua bilācē?*
IVST. *Ponderat hæc causas, percutit illa reos.*
PH. *Cur sola incedis?* IVST. *Quia copia rara bonorũ est,*
Hæc referũt paucos sæcula Fabricios.
PH. *Paupere cur cultu?* IVST. *Sēper iustissim⁹ esse*
Qui cupit, immensas nemo parabit opes.

IN FACIE ACADEMIAE.

Nosse Deum, & mores hominum, Iurisq́; recessus,
Et rerum caussas, morbos curare requiris?
Huc ades, immortalis eris, labor omnia confert.

GENVEN-

GENVENSIA.

IN GENVAM IVL. CAES. SCALIGER.

Ditis opes Asiæ, & claros Orientis honores,
Quantaq; ab Euxino tunditur ora salo,
Pisanas acies, Thusca decora inclyta pubis,
Et traxi ad Ligures Gallica signa manus.
Subiectis domitas tenui ceruicibus Alpes,
Et tremuit nostras Africa dura trabes.
Afflictus toties Venetus, quæ fugerat olim,
In patrijs metuit tela petitus aquis.
Frustra Galle capis: frustra es frustrator Hibere:
Frustra sæua ferox Insuber arma capis.
Vinco ego, cùm vincor. par est victoria damno:
Sumque eadem domina, seruaque facta mea.

IN CATHEDRALI.

Hic recubat SYLVS *sacro baptismate dictus,*
Cuius terra leuis florida membra premit.

IVLII CICADAE.

O Decus, ô patria magno quoque nomine IVLI,
Gloria virtutis tempore rara tuo.
Conderis, heu! fatis mundo sublatus iniquis,
Dum nimium celeri tendis ad astra gradu.

AD S. ANDREAM.

Sum munita viris, muris circundata miris,
Et virtute meâ pello procul hostica tela.

Si pacem portas, licet has tibi tangere portas,
Si bellum quæris, tristis, victusque recedes:
Auster, & Occasus, Septentrio nouit, & Ortus,
Quanto bellorum superaui IANVA motus.

AD S. MATTHIAM.

PHILIPPVS DORIA Comes, vestigia maiorum sequens, sub vexillo Francisci I. Regis Christianiss. propræfecto triremeis Andreæ auunculi in regnum Siciliæ citraduxit. In sinu Salernitano cum hostium triremibus legitimè felicissimeq; vario Marte conflixit, & gloriosam tandem mirabilemque victoriam, Deo auspice, adeptus est anno 1528. a. d. 18. April. Maximæ virtutis monumentum.

IOANNES BAPT. SPINOLAE.

Quid miser incassum tantùm te sponte fatigas?
Cuique sui meritum tale laboris inest.
Vermibus hoc corpus, bona linquimus omnia mundo,
At melior cælum pars resoluta petit.

IN PALATIO.

ANDREAE DORIAE, quod Rempubl. diutius oppressam in pristinam libertatem vindicauerit, Patri proinde appellato, Senatus Genuensis, immortalis memor beneficij, viuenti posuit.

IN INTROITVM ANNAE AVSTRIACAE, IMMORTALITATI *Austriacæ.*

DIVAE ANNAE AVSTRIACAE, DIVI MAXIMILIANI II. Romanorum Imperat. filiæ, Diui PHILIPPI II. Hispan. Regis Cathol, adoptatissi-

tissimæ sponsæ, gratulantes expectatum eius aduentum Genuenses pro tempore DD.

Ascendas ô virgo, deûm carissima proles. *(gnum:*
Nam sumus hic, quot habet nostrum tibi numina re-
AEquatum est æquor, veniunt ad carbasa venti.

DIVO MAXIMILIANO ROMANORVM, VNGARIAE, BOEMIAE Regi.

Qui gestas nomen Proaui Rex Maxmiliane,
Illius vincas fortia facta tuis.
Austriades Patruus potuit plus Carolus vltra,
At tu cum diuo Patre Monarcha manes.
Sis felix, referas Patruum virtute Patremq́ue,
Sic te posteritas fortibus addet Auis.

AD INGRESSVM MARGARITAE AVSTRIACAE.

Aduentus, virtus, atque coniugium tuum, Augustissima virgo, Ligurię letitiam, Austriacę familiæ claritatem, totiusq́ue Hispaniæ gloriam auget.

IBIDEM.

PHILIPPO III. Regi Catholico, auitæ patriæq́ue virtutis æmulo, lætis regni initijs ob augustum coniugium efflorescenti, Respubl. Genuensis tantæ hilaritatis in exoptato Reginæ aduentu particeps, vnanimi voluntate dicauit.

IBIDEM.

Virtuti, ac felicitati Inuictissimæ Domus Austriæ, quæ Germaniæ decus, Imperij splendor, atque vnice ipsæ Reipublic. Christianæ propugnaculum, diuinitus est constituta; ob innumeras toto

orbe terrarum victorias partas, arcum triumphis insignem Respubl. Genuensis libentissimè dicat.

EXTRA MOENIA: VBI AQVAE ductus fossam attingit.

A. P. V. M. D. XXXX.

ANDREAS DORIA, facultate loci sibi publicè datâ, huius aquæ ductum priuato sumptu construxit, communi ornamento æquè, ac sui iuris commoditati futurum.

SARSANAE distantis Genuâ 1060. Pass.

IN CATHEDRALI ECCLESIA D. VIRG. S. IN SACELLO D. *Thomæ.*

ANDREOLA DE CALANDRINO, Nicol. V. Pont. Max. sedentem, & Philippum Cardin. Bononiensem maiorem Pœnitentiarium ex se natos, Romæ materno affectu salutauit, Spoleti moriens, eiusdem Cardin. pietate in patriam delata, humili ex tumulo, felix tanta prole quiescit. Vixit annos LXXX. Obijt anno M.CCCC.LI.

D. OPT. MAX. SACR.
&
Memoriæ sequentis æui.
POLYXENA GRIMALDI
primarum princeps
hîc lumen tuum alterum,
hîc Genuæ decus immortale,
Amor simul atque Honor
FREDERICVS SPINOLA
post fata quiescit.

Qui

Qui dum virtutem sequitur in excelso sitam
inuia ad gloriam grassatus est via;
Cuius mascula mens, eruditio elegãs, gnaua fortitudo, posteris æmulãda, inuidenda antiquis
parem non habuerunt.
Liberalitate exprompta,
læto lepidoque ingenij vigore
obligauit sibi publicè omnes, priuatim singulos:
Cui viuenti Neptunus vterque
vltro Tridentem submisit
sua sceptra,
Viditque inferiorem se mortali, nec inuidit:
miratus in corpore humano
impauidum pectus
contra decumanos fortunæ fluctus
ad extrema constans.
Flandrorum saluti posthabuit suam:
Pro Morinis non timidus mori,
VValachria omni obstupente.
Flores Mater non lacrumas sparge.
CIƆ. IƆ. CIII. XXVI. Maij.
Victor super astra triumphet.

Ioannes VVouvverius Antuerp. pos.

ALIVD.

DEO SACRATVM
atque æternitati
FREDERICI SPINVLAE
PHILIPPI F. AMBROSI FRATRI,
inclytæ stirpis, ingentis animi
Viri:
Qui
domi cùm inertem odisset quietem,

belli apud Belgas gloriam
meliori virtute quàm fato
deseruit atq; assequut' est.
A
Maximo enim PHILIPPO Hisp.Indd.
Rege potentiss.
Morinorum classi præpositus,
dum
CIↃ. IↃ. CIII. VII. Kal. IunI
acriter atque animosè cum hostibus
nauali prælio certat,
dignam se,factisq; atque AMBROSIO Fratre
stans aduersoque pectore
mortem excepit.
Regi,Principib.totoq; Belgarum populo
dolore inflicto,
desiderio relicto maximo.
Sic abisti,heu! patriæ,imo Europæ futurũ decus.

ALEXANDRIAE.

D. O. M.

Si quis me roget:
MONICA PEDERANA CAPRIATA
fui,
Decus familiæ, delicium coniugis,
forma, pudicitia, amore.
nunc,dolor,
postquam fui,
& extincta vrgeor lacrymis
coniugis & familiæ,
parcite. mos gerundus naturæ fuit.

Flores

Flores spargite,
formæ, aut pudicitiæ famam
cineres non maculant.
& in ipsa morte
castus nunc quoque viuit amor.

Inscriptio ERICII Puteani.

AD S. BERNARDINVM.

ANTONIVS GILINVS CONIVGI.

Ἀνάστατα χρηστός ἐλπὶς ζῶν.

Si insitatam faciem mœroris miraris, hospes, hæc pellege, & pro humanorum casuum miseratione, in doloris partem venies. Tumulata hic quiesco ANNA, honesto orta genere, felicior coniugio facta. Sed quid in vita stabile? Ter enixa, postremo liberorum superstite, qui breui fata mea secutus est, in ipso ætatis flore rapta, cùm delectare vita posset. Creatori, quod acceperam, reddidi. M.D.V. XIV. Kalend. Sept. Vixi ann. XVIII. coniux ANT. GILINVS mutuæ concordiæ monumentum POS.

PLACENTINA.

IN PLACENTIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Nobilis antiquo porrecta Placentia muro,
Hinc hostem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
Raræ artes: gens scita, hilari sed dedita luxu.
Ingenium augustæ vix patiuntur opes.

IN

IN CATHEDRALI.

In Christum Crucifixum.

Huc me sydereo descendere iußit Olympo,
Hîc me crudeli vulnere fixit amor.
Si cupis ergò animi mihi signa rependere grati,
DILIGE: *pro tantis sat mihi solus amor.*

AD S. MARIAM.

Raptus ALEXANDER *primis hic Poggius annis*
Occubat, & gelidum marmora corpus habent.
Nil genus, & virtus, nil illi profuit ætas
Viuida. sic, eheu! res pereunt hominum!
Obijt anno Domini M.D.LXXIV. die XII. Aug.

IBIDEM.

Antonius Arcellus, & Antonia Bertaria, mutuæ fidei, & beneuolentiæ consortes, humanæ peregrinationis cursu terminato, mortalibus spolijs hîc depositis, supernæ hæreditatis spe hic quiescunt.

AD S. SIXTUM.

Diui Sixti II. Pont. & Martyris, quod mortale fuit, ob Christi fidem gladio Decius Cæsar extinxit. Ludovicus II. Imp. Rom. huc transtulit. Paulus de Aretio Card. Episcopus Placent. & Cæsarius Abbas nouissimè ampliato templo hîc reposuerũt. Octauio Farnesio, ac Alexandro F. Ducib. maxima populi frequentiâ, ac pietate M.D.LXXVI. VI. Id. April.

IBIDEM.

Diui Fabiani Pont. & Mart. corpus à Ludovico II.

CO II. Imp. huc Romà translatum, DAMIANVS Nouarienſ. Abbas, Octauio Farneſio Duce præſente hîc repoſ. anno M. D. LXVI. VIII. Cal. Maij.

IN CASTELLO.

Finiunt pariter, renouantq́; labores.

PHILIPPVS II. Hiſpaniarum Rex maximus, & multarum Prouinciarum Dominus, ſanctę fidei Catholicæ acerrimus defenſor F.F.

ANTE HOSPITIVM FAMAE.

Te viuo Octaui timeat quis Martis alumnos?
Quis Cereri metuat, cui noceatq́; malus?
Te duce tuta fides, duce te dant roſcida mella,
Vel rigida quercus: te duce iura vigent.

PARMENSIA.

IN PARMAM IVL. CAES. SCALIGER.

INuentum medijs præclarum nomen in armis,
Prædita quo ſit gens ignea Marte docet.
Ingenium rapidum facili flammatur ab ira:
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo, precium eſt, non diſplicuiſſe pudori.
Hoc ſatis. officijs cedere turpe putat.

IN AEDE CATHEDRALI.

Magnus in exigua iacet hac ANTONIVS vrnâ
BERNERIVS, varijs lux celebrata locis.

Non

Non tamen hic totus tegitur; caro sola sepulta est;
Viuit in æternum cætera pars melior.
Præterea ingenium, probitas, prudentia, mores
Viuunt, hæc aliquam non subitura necem.
Hunc Mediolanum bis septem meßibus, alma
Roma Senatorem vidit & ipsa tribus.
Cetera quid memorem? quantum mortale ferebat,
Tegmen erat cunctis præditus ille bonis.

CYPRIANO RORI,

Flandro, artis Musicæ viro omnium peritissimo, cuius nomen famaque nec vetustate obrui, nec obliuione deleri poterit: Herculis Ferrariens. Ducis II. deinde Venetorum, postremò Octauij Farnesij Parmæ & Placentiæ Ducis II. Chori Præfecto; Ludouicus Fr. fil. & hæredes mœstiss. poss. Obijt anno Domini M. D. LXV. ætat. verò suæ XLIX.

IN B. MARIAE.

BERTRANDO RVBEO summę nobilitatis, ac optimæ spei adolescenti, Io. Hierony. Ticini Pontifex fratri B. M. POS.

Flore æui in primo, primo in certamine Martis,
BERTRANDVS rapido saucius igne cadit.
Scilicet est longa contraria gloria vitæ,
Nec, nisi difficili, quæritur illa viâ.

IN D. LVCAE.

FRANCISCO MOYS integerrimo omnium horarum viro, bonarum artium cumulato, ob ingenij & morum elegantiam multis principibus intimo, post longos Romanæ Curiæ labores, & suis,

& sibi

& sibi domi benè consulenti insperatè surrepto, ANTONIVS MOYS Fr. mœstiss. POS.

Hic reliquum MOYS tegitur: nam cetera seruant
Cœlum animam, famam pectora docta virûm.

Obijt anno Salut. M. D. L. VIII. Kal. Mart. ætat. suæ LXIII.

AD CAPVCHINOS.

ALEXANDER FARNESIVS, Belgis deuictis, Francis obsidione leuatis, vt humili hoc loco eius cadauer reponeretur, mādauit III. Non. Decemb. CIↃ. IC. XCII. Et vt secum MARIAE eius coniugis opt. ossa iungerentur, illius testamentum secutus, annuit.

ALIVD.

FARNESIVS ALEXANDER hoc tumulo situs,
Parmæq; Dux, Placentiæq; tertius,
Sacroq;-sanctæ Ecclesiæ vexillifer:
Pietate quo non melior aut quisquam fuit
Summa, Imperator arte bellandi prior.
Post liberatam Celticam, post Belgicam
Bello receptam, & redditam antiquis sacris,
ODOARDVS, & RANVTIVS mœstissimi
Posuêre, summa officia soluentes Patri.
Heu, quale Roma amittis, & quantum decus!

IN PALATIO, AD INSIGNIA.

Pauli III. Pont. Max.

Pro PAVLO Deus: pro nobis PAVLVS.

ITEM.

Qui pro te vis esse Deum, tu lilia seruā.

CARO-

CAROLO V. Romanorum Imp. victori, ac triumphatori semper Augusto, & de repub. Christiana bene merito S.P.Q.P.P.

MAXMILIANVS Romanorum Imp. voluntarios labores semper appetens, Reip. bonũ statum, atque dignitatem Imperij priuatis commodis pręponens, omnibus quietem parat.

AD BIBLIOTHECAM.

Ingredere Musis sacer, nam & hic dij habitant.

IBIDEM.

Nullus amicus magis libet, quàm liber.

AD CAMINVM.

Præcipua domus vtilitas & pernicies, ignis & lingua.

REGIO LEPIDANA.

IN SVMMO TEMPLO.

CONSTANTINVS PORRVS, ex præsentibus futura prospiciens, hoc sibi, suisq; posteris monumentum confecit, in quo morte obita requiescat, dum surgentes hic rursus Deus euocet. Anno M.D.LII.

AD CARMELITAS.

S. PROSPERI EPISCOPI.

Hic situs est PROSPER, quo sancto Præsule gaudet
Regium, & hic cineres ossaq; sacra iacent.
Marmoreo monachi condunt pia busta sepulcro,
Namq; vetus turris fregerat alta cadens.

AD

AD S. DOMINICVM.

Hoc tumulo Briami requiescunt ossa Simonis,
Regia se vrbs tanto iactat alumna viro.
Felsina mirata est, Ferrariaq; ipsa docentem
Græca, Latina, artes Pæonis, astra, Deos.

PROSPERI BRVNEI.

Quem Regium peperit, docuit quem Felsina, vterq;
Quem populus fleuit, hîc iacet orbis amor.
Decessit XV. Kalend. Maij. M.D.XXIX. Vixit ann. XXI. D. X.

IN ECCLESIA MONIALIVM S. MARIAE.

IVLIA MANFREDA SCAIOLA matrona lectissima, cuius animus temporibus secundis, & dubijs rectus fuit, posteris & vitæ, & mortis singulare exemplum admiratione imitationeque dignum reliquit: Obijt anno æt. suæ XXXVI. V. Kal. Mart. M.D.LXXI. Franciscus Co. coniux coniugi integerr. mœstiss. POS.

IN FORO.

SVB BRENNI STATVA.

BRENNVS totius Saxoniæ Rex, Germani exercitus Imperator, cum ea loca teneret, quæ Athesin, Padumque interiacent; populos, qui, aduentatis in Italiam Odoacri metu, in paludes sese abdiderant, in vrbes suas restituit: Odoacrumque ipsum per sororis nuptias sibi iunctum post Orestis mortem Romanis conciliauit. Quibus compositis, cùm oppida ad viam AEmiliam posita, iam

O Gotho-

Gothorum aduentu deprædata, non sine magna tantæ vastitatis admiratione peragraret; Regium Lepidi peruenit. Eam cùm, aliarum vrbium exemplo, vacuam hominibus modestè ferret; ex duobus ibi Sacerdotibus, quos casu in templo latentes inuenerat, certior factus, populum ad petram Scitulam (Bismantuæ petram hodie vocant) confugisse. eum in locum missis actutum legatis duobus, adiunctisque in itinere illis Sacerdotibus, nunciari ciuibus iussit, Regium vt redirent, ibi Brennum gratè eos accepturum esse, defensurumque etiam ab iniurijs barbarorum. Itaque cùm ipsi tanti Ducis audito nomine, spe pleni in patriam per Clodiam portam redirent; obuiam exeuntem in vrbis ponte Brēnum habuerunt. Tum S. P. Q. Regiensis, qui cum C D. equitum præsidio, M. peditum instructa sub Rom. Imper. signis acie aduenerat, moti præsentis Imperatoris maiestate, equis descendêre. quo spectaculo delectatus Brennus, pari humanitate ab equo desiliens, ingredientem Senatum amicè suscepit: qui portam deinde Clodiam semirutam, per eos ferè nouem annos, quibus apud eos fuit, instaurandam curauit; adiecitque ab ea parte murum M, cubitorum: eam in posterum, ob gratam rei memoriam, Brēnonam portam appellari voluit; pedestremque statuam eam ob rem sibi in illa erexit: insculpique ibi præterea familiæ suæ insignia, pardos tres correpentes, iussit, notata literis eius rei, in præsentem vsque diem, memoria.

SVB CAROLI MAGNI STATVA.

CAROLVS Francorum Longobardorumque Rex,

Rex, qui ob egregia eius gesta Magni cognomentum tulit, omnibus tum corporis tum animi virtutibus præditus; Romani Imperij moderator opt. veræ religionis obseruator integerrimus, eius eximia liberalitate, precibusq; Apollinei tunc præsulis Regiensis, illi confinium Regij memoriam, in tabulis æneis incisam, & à Principibus Longobardorum iamdiu comprobatam, offerentis; eosdem fines nedum confirmauit, verùm etiam vltrà terminos M. AEmilij Lepidi Regilli, fundatoris Regij Romanor. coloniæ, & sub eorum imperij legibus insignis, ab ipsis olim pace belloque moderata, à finitimis ob monumenta & indulta deorum fortuitò flammis consumpta, interceptos produxit, finibusque Mantuæ, Bononiæ, Lucæ, Parmę, Ticini, Nouocomi adiunxit; ciuitatemque ipsam instituendi gymnasij; alijsque quamplurimis priuilegijs decorauit.

MVTINENSIA.

IN MVTINAM IVL. CAES. SCALIGER.

Nescit quo potius tumeat Rangonia tellus:
Tot se fama noua vertit in ora vetus.
Fama vetus, tot fama recens se vertit in ora:
Vt tituli numeros nesciat ipsa sui.
Mars catus inuictis admiscet viribus artem:
Ardua sic gemino nomine bella docet.
At Venus ætherias cùm finxerit aurea formas:
Verborum adiunxit pondera picta modis.
Inde triplex liquidos animos inspirat Apollo:
Inde triplex nitida gratia iuncta manu.

Nulla deest Erato: capiet te candida Pitho,
Vt mox oblitus tu videare tui.
Nescit, quo potius tumeat Rangonia tellus,
Ergo nec dignum, velle tumere, putat.

IN CATHEDRALI AEDE.

FRANCISCI CASTALDI corpus hîc iacet, cui exultanti, quoniam afflictæ bello Patriæ cum lectissima manu militum opem attulit, iure Patria fuit restituta. Sed fata caueri nequeunt, eum namque nocte quadam domum redeuntem, plures, & armati, solum, & inermem adorti multis vulneribus confectum trucidarunt.

BARTHOLOMAEI PRIGNANI.

Callimachum facili vicit qui Pindarum & ore,
Cognitus & pleni cui situs orbis erat,
Bartholomaeus in hac Prignanus clauditur vrna,
Qui tamen in vita morte superstes erit.

ANNAE COLVMBAE.

Animi candore & coniugij fide, Matronæ liberali forma modestiss. moribus, & Christiana pietate ornatæ, IOAN. BAPT. MOLZA coniugi opt. dulciss. cum qua vixit annos XX. M. II. D. VI. concordissimè, mœrenti animo. Decessit XVII. Kal. April. M.D.LVIII.

Viuit adhuc, niueis volitatq; per aëra pennis
Clara pudicitiæ fama, Columba, tuæ.

IBIDEM.

Si animarum auctio fieret, FRANCISCVM MOLZAM licitarêtur virtutes, Patria & Catharina eius vxor, quæ illi, & sibi hoc POS.

AD

AD CARMELITAS.

LVCRETIAE PARMENSI, Bergontiorum familiæ, splendore formæ, ac venustatis decore clarissimæ; verùm pietate, & morum probitate, reique familiaris cura, quàm longiss. clariori: Iacobus Molza coniugi amabilissimæ, cum qua per annos XXVI. coniunctissimè vixit, mœstissimè pos. Vixit ann. XXXIX. Obijt Non. Cal. Maias M. D. LXXII.

Quà mortalis eram, hic iaceo, atque nescia mortis
In prole & claro sum rediuiua viro.

Si nullæ adfuissent delitiæ; nullæ adessent miseriæ.

Quia delitiæ miserijs; miseriæ delitijs commutantur.

IN AEDE S. DOMINICI.

GASPAR PETRAZANVS, Petra Petri Gratiani & Geminiani Pontifex, pro tẽplis, cum templis, in templis, natus, educatus, exercitatus, vixit, egit, cecidit. Si patriam cernis, huic diuersos decreuit honores. M. D. IC VIII. Cal. Decembr.

Flamma sacri Iuris, Flamen Iouis, optimus ossa
Petrazanus habet Gaspar in hoc tumulo.
Mactabat superis; cecidit mactatus ad aras,
Vt cecidit pro dijs, stat Deus ante deos.

IN D. AVGVSTINI.

SMERALDA MATETA, quæ virum habuit Ioannem Sadoletum, Iacobi amplissimi Cardinalis ex fratre nepotem, cum quo vixit annos

XV. Menſ. VI. & cum matrimonij nobilitate formam, cum forma pudicitiam, difficilima omnium ſocietate coniunctam, virilemque rerum aduerſarum tum in coniugio, tum poſt coniugium tolerantiam conſtantiſſimè ſeruauit, & aduerſus primarios ciuitatis competitores viduitatem: hic ſita eſt, poſt annos ætat. XXXVI. Viduitatis III. VII. Cal. Sextil. ex teſtamento.

D. IMM. S.

IOAN. SADOLETO Ia. Fr. Iuris vtriuſque ſcientia omnibus planè antecellenti, memoria incomparabili, ingenio præſtantiſſ. Fide, Religione, temperantia ſupra vel eximiam laudem, ad vſque dies extremos, incolumitate perpetua & integra prouecto: Iac. Sadoletus, ob pietatem & reuerentiam, quòd ex eo nihil vnquam aſpexit, quod imitando non opt. & temperatiſsimè ſe gereret: caro apud ciues, memorato apud exteros; opt. patri vita functo, benemerenti: & Franciſcæ Machiauellæ eius vnicæ vxori, matri ſuæ cariſſimę viuenti, & ſibi fecit. Vixit pater annos LXXI. & obijt anno M. D. XI.

Locus decreto Collegij ſacerdotum datus, Senatus Populoque Mutinenſi procurante.

Huic monumento præter tres hoſce inferatur nemo.

IN AEDE D. PETRI.

NICOLAI MACHELLAE
monumentum.

Medicorum ſcientiâ, bonorum probitate omnium ſui temporis præſtantiſſimi; quorum vtris longiore

glore spatio antecelleret, dubium semper extitit. Vixit annos LX.

Alta cadunt vitijs, virtutibus infima surgunt.

IMOLAE.

ANDREAE FERRI ossa hic recondi, sat tibi, viator, dixisse; si, vt medicorũ optimus, ita & philosophorum primus vndique nomen protulerit, hic inquam, puluis: Nam quod reliquum est in homine diuinitatis, cœlo residet. felix iam viue, & vale. XII. Kal. Octob. M. D. XLV.

FAVENTINA.

IN FAVENTIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Pars magna Italiæ dura discrimine rerum,
Clara Fauentino milite sceptra capit.
Quod meruit decus inuictis Heluetius armis:
Quod conducta ferox Brennus ad arma fuit:
Hoc sumus: hoc fortis meruit vis ignea dextræ,
Arbitrio cuius numina regna parant.

AD S. ANTONIVM.

CAROLI TRAVERSARII Canonici Fauent. ac huius Ecclesiæ Rectoris: nec non Rotæ Su. Palat. Apostolici causarum Notarij: & istius societatis sacratiss. corporis Christi institut. ac benefactoris corpus hîc insta iacet; anima verò eius in pace requiescat. Amen.

Vixit annos LX. diuersis & quamplurimis tribulationibus & persecutionibus semper laborãs,

tandem & eius vitæ finem imposuit, dicens in vltimo clarè & altè, versus infra scriptos.

Inueni portum spes & fortuna valete,
Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.

M. D. XXXXVIII.

ANTE HOSPITALE ORPHANORVM.

Quos parentum paupertas, pudorúe repulit, pietas hujus loci recipit.

IN PALATIO GVBERNATORIS GVIDONI FERRERIO.

S. R. E. Cardinali amplissimo, totius AEmiliæ, & Exarchatus Rauennæ iustissimo atque prudentissimo de latere legato. S. P. Q. F. grati & deuoti animi ergò.

Iustitia & pietate regit, non vincitur auro.

ANTE HORTVM CVIVSDAM EQVITIS MELITENSIS.

Satis diues, qui non indiget pane. Satis potens, qui non cogitur seruire. Ciuiles curæ procul hinc abite. Sabbas. Cast. Solitarius, seipso cōtentus, hos securos incolit hortulos. pauper an diues, si cordatus es, cogita: Vale.

VOLATERRAE.

IN S. LINO.

ΑΠΝΟΟΣ CHRISTO SERVATORI. ΠΝΟΩ.

RAPHAELI MAFFAEO Gerardi Maffæi F. doctrina, pietate, ac sanctitate cum quouis anti-

antiquo comparando, vt eius indicant opera egregia, testantur miracula. Vixit annos LXX. mens. XI. d. VIII. Obijt anno salutis M. D. XXI. VIII. Calend. Feb. Marius Maffæus Episcopus Cauallirensis, fratri S. Pos. Sic itur ad astra.

VITERBII.

IN PORTA VALLIS.

EX auctoritate ALEXANDRI FARNESII Cardin. Leg. perpet. Populus Viterb. Portam Farnesium aperuit, Valliam minus commodo loco positam clusit, Anno M. D. LXIX.

IN PORTA SIXTI.

ALEXANDRO FARNESIO Cardin. amplis. Legat. Perpet. quod prouinciam summa in tranquillitate constituerit, & Viterbium quotidie augeat, atque ornet S. C.

SENENSIA.

IN SENAM IVL CAES. SCALIGER.

CVm premere inuictis vicinas viribus vrbes
Martius imperij sollicitaret amor;
Abstinui, & iustam colui sub pace quietem:
Summaque iudicij maxima, nolle, fuit.
Quot nam oblita sui, quæ regna aliena petebant?
Vt mea sim, pro me sit, potuisse, satis.

INSCRIPTIONES
IN LITHOSTROTO SUMMI TEMPLI imagines Sybillarum posita, an. 1482.

I. SYBILLA.
ALBUNEA, seu Tiburtina, quòd Tiburi pro Dea coleretur.

Nascetur Christus in Bethlehem, annunciabitur in Nazareth, regnante Tauro Pacifico, fundatore quietis. O felix mater cuius vbera ipsum lactabunt!

II. SAMIA, de qua loquitur Eratosthenes.

Tu enim stulta Iudæa, DEUM tuum non cognouisti, ludentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti, horridumque fel miscuisti.

III. PHRYGIA, quæ Ancyræ vaticinata est.

Tuba de cælo luctuosam emittet vocem: tartareum chaos ostendet dehiscens terra; venient ad tribunal DEI reges omnes: DEUS ipse iudicans pios simul & impios, tum demum impios in ignem & tenebras mittet; qui autem pietatem tenent, iterum viuent.

IV. HELLESPONTICA, in agro Troiano nata, quam scribit Heraclides tempore Cyri fuisse.

In cibum fel, in potum acetum dederunt; hanc inhospitalitatis monstrabunt mensam. Templi verò scindetur velum, & medio die nox erit tenebrosa tribus horis.

V. LIBYCA, cuius meminit Euripides.

In manus iniquas veniet: dabunt DEO alapas manibus incestis: miserabilis & ignominiosus, miserabilibus spem præbebit.

VI. CI-

VI. CYMEA, quam Piso in annalibus nominat.

Et mortis fatum finiet, somno trium dierum suscepto; tunc à mortuis regressus in lucem veniet, primus resurrectionis initium ostendens.

VII. DELPHICA, de qua Chrysippus.

Ipse tuum cognosce DEVM, qui DEI est filius.

VIII. CVMANA, cuius meminit Virgilius.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

IX. ERYTHRAEA, quam Apollodorus suam ait esse ciuem.

De excelso cælorum habitaculo prospexit Dominus humiles seruos, & nascetur in diebus nouissimis de virgine Ebræa in cunabulis terræ.

X. PERSICA, cuius meminit Nicanor.

Panibus simul quinque, & piscibus duobus hominum millia quinque in eremo satiabit, & reliquias tollens duodecim cophinos implebit, in spem multorum.

IN AEDE SVMMA B. VIRGINIS.

IOANNES VGVRGERIVS decreto publico heic situs est. Decessit montis aperti clade an. sal. 1260. Is adeò auri abundans fuisse fertur, vt necessitatis tempore vltrò reipubl. duos currus auro refertos Reip. obtulerit, tantundem, aut plus etiam, sibi in ædibus reseruans. Ob id etiam ædes in foro reliquis omnibus prominentiores ædificare concessum est illi. Item, vt primus ciuium in summo hoc templo sepeliretur.

D. O. M.

D. O. M.

CAMPANVS iacet hîc nostri clarum decus æui,
Eloquio resonans, carmine, & historia.
Nec tamen hîc totus. sola hîc sunt ossa, petiuit
Cœlum anima, ast orbem gloria, corpus humum.
Interijt corpus: viuit sed gloria: viuit
Spiritus. in solo corpore mors patuit.

ANGELI POLITIANI.

Ille ego, laurigeros cui cinxit & infula crines,
CAMPANVS, Romæ delicium, hîc iaceo.
Mî ioca dictarunt charites; nigro sale Momus;
Mercurius niueo, tinxit vtroque Venus:
Mî ioca, mî risus placuit, mihi vterque cupido:
Si me fles, procul hinc quæso, viator, abi.

IBIDEM.

Humanis nulla est rebus fortuna perennis;
His mundi vicibus denique finis erit.
Ne querere afflictus, neu tu confide secundis;
Omnia sub paruo dispereunt tumulo.
Sed venerare Deum, si mox cupis esse beatus.
In cæca heu transfert tartara nos vitium.

IBIDEM.

Illustri IOANNI BENTIVOLO II. cuius si virtutem spectes, satis vixit; si ætatem, parum. Is cùm exercitu Henrici II. Franc. regis alæ equitum magna cum laude præesset; ad paludem Clauis à copijs Florentiæ Ducis oppressus, in bello quod pro euertenda Senen. libertate gerebat, maluit in prælio fortiter occumbendo egregiam sui memoriam linquere, quàm fugiendo turpiter animæ glo-

tæ gloriæ deesse. Cornelius Bentiuolus, & Anton. Gal. fratres mœstiss. P. P. An. Dn. 1554. Vix. ann. XX.

IN S. DOMINICO.

Vina dedere neci Germanum, vina sepulcro
Funde, sitim nondum finijt atra dies.

ITEM.

Nemo me lacrymis ploret, nam mortua non sum.
Viuo sed in superis læta beata locis.
Marmore tu cinerem claudis Hieronyme coniux,
Ipsa sed ante Deum supplico vt astra petas.

Montanimæ Laurentij Boninsignij Equitis F. gratia & decore supra cæteras insigni. quæ vix. an. 25. cum viro 9. trib. liberis superstitibus decessit. Hieron. Petruccius vxori honestiss. & concordiali B. M.

Cur turbata fremit Pallas? cur Delia clamat?
Cur lacerat sæuo nunc Venus vngue genas?
Occubuit quoniam sapientia, forma, pudorque,
Cuncta puellari corpore iuncta simul.
Proh mala sors hominũ! nã quæ preciosa supersunt,
Continuò properat impia mors rapere.

D. O. M.

ANGELO PLACITO iuueni Græcæ, Latinæque linguæ peritiss. mira animi, generis & corporis nobilitate clariss. sexta ætatis suæ Olympiade defuncto, cuius mores, virtutesque omnes, intuentes Parcæ, senem putauere: Ioan. Bapt. pater omnium infelicisss. æternum lacrymans B. M. P. An. sal. 1522.

IN

IN S. AVGVSTINO.

HELEONORAE Piccolmineæ Hieron. F. pudicitia inenarrabili, egregiaque forma præditæ; prudentia verò plus quàm fœminæ, diem suum obeunti, Augustus Chisæus vxori carissimæ suauissimæque P. C. Ob. 3. Id. Febr. 1561.

SERVATORI DEO PACIS CVSTODI.

Genio, Manibus & vmbræ GEORG. ECKARD. ciuis Inspruchensis: Erasmi Mani de Fuchstadt; Germanicæ cohortis præfecti primipili subcenturionis; qui illustris. Ioan. Baptista Archij Comite Proprætore, Tribuno, Senensi bello, Cæsaris secutus militiam, clarissimum decus sibi suisque peperit. Prælio verò quod apud Marcianum depugnatum est, pro sua virili Germanum nomen insigni gloria præstitit inuiolatum. Decessit ann. sal. 1556. prid. Kal. August. æt. suæ an. 30. d. 7. flentes P. P. commilitones.

IBIDEM.

LACTANTIVS LVCARINVS causid. Senensis, spiritum Deo, prolem Naturæ, labores Forti, probitatem Famæ, nefas Erebo, ossaque sepulcro. sibi viuens ac posteris D. an. sal. 1558.

IBIDEM.

Non ita multum curandum est eis, qui necessariò morituri sunt, quid accidat, vt moriantur: sed moriendo quò ire cogantur. Christophorus Franciscionius, hoc sibi & posteris dicauit monimentum.

IBIDEM.

MARGARITAE GRIFFOLAE incomp. prudent. integrit.q; matronæ, coniugi cariss. qua cum 2.& 20. ann. coniunctiss. amantiss.q; vixerat: filiosque 20. ex ea suscep. Scipio Verdellus, non tam senio quàm mœrore confectus, P. C. Vixit ann.66. Obijt Kal. Iulij 1563.

IBIDEM.

EVFRASIAE ex Illiceor. Comitum gente, Claudio Socino iuueni nobiliss. desponsatæ, quæ egregiam teneris in annis corporis pulcritudinem senili prudentia superabat. Hanc; dum illi Hymenæus lætus frequenti pompa iam iam nuptiales tædas accenderet, inuida Mors atras faces præferens, in quarto decimo heu nefas ætatis suæ anno extinxit. Achilles Illiceus Comes, & Catharina Burghesia parentes mœstiss. P. P. III. Non Mart. 1554.

IBIDEM.

PORTIAE SARACENAE Iul. F. prole ac virtute fœcundæ. 7. superstitib. lib. diem pudiciss. functæ, Virginia mater domo eius penitus destituta, & Claud. Ptolemæus coniunx, omnium mœstiss. piè P. P. Vixit annos 32. m. 4. d. 7. Ob. prid. Kal. Iul. 1553.

Vixit tanquam moritura.
Mortua est tanquam victura.

POTATORIS.

Vina dabunt vitam; mortem mihi vina dedêre;
Sobrius auroram cernere non potui.

Ossa

Ossa merum sitiunt: vino consperge sepulcrum,
Et calice epoto, care viator abi.

VALETE POTATORES.

AVRELIAE PETRVCCIAE Burghesij filiæ, cui nihil defuit quod fas esset optare, post annum alterum & 30. quàm terris ostensa est, cœlo redditæ, Camillus coniunx lacrymans P. 4. Non. Nouemb. an. Dn. 1542.

IBIDEM.

HONORATA VRSINA Puellarum decus, matronarum splendor, coniugum honos, pudicitiæ iubar, sanctimoniæ templum, virtutum & formæ cumulus, hoc breui conditur sarcophago.

IN AMBITV.

Hic lapis excultos cineres, & membra coërcet
BAPTISTAE, tumulo qui tacet exiguo.
Dum puer insudat studijs, iuuenilibus annis,
Soluitur, ac votis fallitur ipse suis.
Spargite humū iuuenes, lacrymis rorate sepulcrum,
Vt cinis, atque vmbra terra sit ipsa leuis.

IN MONASTERIO S. SPIRITVS.

Hic Americus humor; sed quis sim nosce viator:
Puluis, humus, tellus, Putrida terra, cinis.
Exposita semper fuerat mea vita labori
Dum vixi, placida est nunc mihi data quies:
Octuaginta fluens mundus mihi præstitit annos:
In vita humanus, sanctus in interitu.
Si quæris, quis me hic intrusit, siste, docebo.
Filius ornauit hæc monumenta meus.

IN

IN S. FRANCISCI.

D. O. M.

Quisquis es, si pius es, ne parcito lacrymis HIERONYMVS SARACAENVS hoc paruo contegor tumulo, qui dum ab hostibus obsessam patriam liberarem, pectus clypeum pro ciuibus offerens, victoriam & immortalem mortem reportaui, quæ superis, naturæ, patriæ, amicis, parentibus debui, persolui, si piè patriam amas, quæso, ne inuideas. In acerbissimam pietatem mœstiss. Parentes PP. quarta olympiade nondum peractâ, anno 1526. M. Quinct. D. 27.

IBIDEM.

CAMILLO SARACAENO Indolis ingenijque egregij puello, vnico amplarum fortunarum hæredi, ex ponticulo à Parietum structoribus malè fulcito delapso, & exanimato, Virginea mater nunc vidua & infausta fecit, cuius orbitate luctum nunquam finiendum, puerique casum lector condoleas. Vixit ann. 9. M. 3. D. 8. & 20.

IBIDEM. D. O. M.

NANNEM MARSILIVM, ne immortalis fieret, (id enim de se promittebat) in XII. ætatis suæ anno immatura mors extinxit; præclara camilla, illa inquam Marsilij coniunx, delitias suas hîc posuit, quæ generosæ prolis studiosa, dum mortalis immortaleis NANNEM & Mutium filios faceret, quod Dijs proprium; humano inuidens ingenio, mors præripuit. Anno 1533. D. 11. Nouemb.

SYLVII PII II. PONT. MAX. PATRIS.

Syluius hic iaceo: Coniunx Victoria mecum est.
Filius hoc clausit marmore Papa Pius.

ALIBI.

Domenico da Siena, testa matta
E qui sepolto, vn huom senza vergongna,
Nacque, visse, & mori contanta rogna,
Che cosi morto, morto ancor si gratta.

AD S. BERNARDINVM *extra muros.*

PAVLO VITELLIO, à quibus non debuit iniustè confosso, post condonatam, vt Christianum decet, iniuriam religiosissimè mortuo, Anton. filius pijss. patri benemerenti. Vix. ann. LXII. mens. VIII.

IBIDEM IN CELLA.

Grata domus, genitor, frater, cariquè sodales,
Et quondam preciosa mihi terrena valete.
Sat me lethifera mundus dulcedine lusit,
Sat tenuit me falsus amor, discedo solutus
His laqueis, secura iuuat iam claustra subire.
Nudus ab hoc pelago veniens ad littus amœnum,
Te bone Christe sequor; solus mihi sufficis vnus.

IN PRAETORIO AD IMAGINES C. IVLII CAES. ET CN. Pompeij.

Hos pietate viros animis insigite ciues,

Publi-

Publica concordi dum sunt bona corde secuti;
Maiestas Romana Duces tremefecit, & orbem.
Ambitio sed cæca duos vbi traxit ad arma;
Libertas Romana ruit, scissóque senatu,
(Heu) licet & puero caput alta ascendere Romæ.

AD PORTAM PISANAM.

Cæs. Fridericum III. Imperat. & Leonoram sponsam Portugal. Regis F. hoc se primum salutasse loco, lætisque inter sese consultasse auspicijs marmoreum posteris indicat monumentum. An. Domini 1451. 7. Kal. Mart.

IN ARCE NOVA.

COSMVS MEDICES, Dux Florentiæ & Senarum, Arcem, & vnà Senensium quietem, & securitatem fundauit. Anno M.D.LXI.

PISANA.

IN PISAS IVL. CAES. SCALIGER.

PISA vetus, victi spolijs Orientis onusta,
Inuidiæ armauit liuida tela trucis,
Sic nocuit vicisse! alijs sic vicimus ergò!
Sic res est humili tutior arcta loco!
Mortales, sperate vices, nec credite fatis.
Nam quod nos alijs, illa dedere mihi.

IN TEMPLO SVMMO.
HENRICI VII. IMPERAT. DVCIS
Lucemburgi.

Hoc in sarcophago non quidem spernendo, Henrici olim Lucenburgensis Comitis, & post hæc septimi eius nominis Rom. Imper. ossa continentur, quæ secundo post eius fatum anno, videlicet 1315. die verò 25. Sextil. Pisas translata, summo cum honore fuere, hoc in fano ad hanc vsque diem collocata permansêre.

Quidquid facimus, venit ex alto.

STEPHANI COLVMNAE PRAENESTINOR. DOMINI. Obijt anno ætatis suæ XLVIII. M. D. XLIII. XIII. Kal. Apriles.

Hac STEPHANVM tegit vrna: Parens mæstissima Roma
Optaret Patrio contumulare sinu.
Omne solum patria est, inquit, fortißimus heros,
Defendi & patriam, sim licet hospes humo.
Ne lacruma, externum cernis quicunque sepulcrum
Indigetem cæli me patria vna tenet.

IVLIVS ROSCINVS P.

IN CAMPO SANCTO.

PHILIPPVS DECIVS, siue de DEXIO Mediolanensis I. C. celebri fama notiss. cum primum locum studij in iure Canonico & Ciuili tenuisset, Pisis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ & demum vltra montes in Gallia, reuocatus in Italiam ab excelsa Florentinorum Republic. posteaquam stipendium 1500. aureorum in auro pro lectura consecutus fuisset; de morte cogitans, hoc sepulcrum sibi fabricari curauit, ne posteris crederet.

IBI-

IBIDEM.

MATTH. CVRTIO Ticinensi, qui Hippocratis Galenique vindex, salutis augurium egit, medicinamque exercendo & docendo, ipse valens semper, excoluit; monumentum hoc amplius quàm F. F. T. P. I. Cosmus Med. Florentiæ Dux II. ære suo P. C. An. 1564. Vix. ann. LXX.

Ἀγαθῇ ὑγιείᾳ ἀλεξινόσῳ. Ἱερὸν καὶ καθάρσιον πῦρ.

ANONYMI.

Dum parat hic studijs Astræam inducere mundo,
Astrææ infertur raptus amore polo.

D. O. M.

FRANCISCVS Illustriss. gentis, nomine olim SANSEVERINVS, posteaquam eius maiores stuprum per vim oblatum vlti, occiso Regis filio, Neapoli Pisas migrarunt, ex fuga, Martius Iureconsult. Canonicus Pisanus, Eques pius, gentis suæ solus superstes S. P. Kalend. Mart. M. D. LXIX.

GREGORIVS XIII. Pontif. Opt. Max. Patria Bononien. antea vocatus Vgo de Boncampagnis, Pontificij & Cæsarei Iurisconsultiss. in cathedra interpres eximius: in foro Iudex integerrimus: in Synodo Tridentina Catholicæ fidei Præsul studiosiss. in Senatu Cardinalis grauiss. in omni vitæ gradu eodem tenore probitatis, prudentiæ, & humanitatis, nec non constantis & moderati animi fama præclarus: Ioanni de Boncampagnis fratri patrueli I. C. præstantiss. probatiss.

moribus, eximia pietate, omnibus denique animi dotibus ornatiss. Pisis cùm primo loco max. celebritate Ius interpretaretur, an. ætat. suæ XLI. Sal. hu. 1544. exstincto, hoc ad retinendum iucundiss. agnationis memoriam, fieri mandauit. An. sal. 1575. Pontific. III.

IN S. DOMINICO.

En Catacusinus iacet hic Demetrius heros,
Martis honos, Graij gloria magna soli.
Æacides alius, Pylius quoque & alter Vlysses,
Florentinorum præsidiumque ducis.

IN SANCTA CRVCE EXTRA PORTAM.

NICOLAO TIGNOSIO Fulginati, Medico insigni, omniumque sui temporis Philosophorum inter rarissimos numerando, ac multorum Aristotelis librorum commentator acutiss. CVRIVS MARIVS F. Patri opt. & suis miris virtutibus ciuitate Aretina donato Pos. Vixit ann. LXXII. M.V.D.XV. decessit cum Pisis legeret XVIII. kalend. Octob. M.CCCC.LXXIIII.

IN AEDIBVS MILITIAE S. STEPHANI.

COSMVS MEDICES Flor. & Sen. Dux II. sacram D. Stephani militiam, Christianæ pietatis, & virtutis bellicæ domicilium fundauit. Anno Christi M.D.LXI.

PROPE PISAS VIA FLORENTINA IN PONTE.

Siccitati paludum, agrorum cultui, cæli salubri-

lubritati consulens Cosmus Medices, Florentiæ & Senarum Dux, à partu virg. Anno 1558. Calend. Nouemb.

LVCENSIA.

IN LVCAM IVL. CAES. SCALIGER.

Thusci delitium, Thusci laus inclyta cœli,
Iustitiæ illæso robore Luca potens,
Luca potens opibus, felix concordibus armis,
Cui veneranda fides, mens pia, pura manus.

IN S. SALVATORE.

Accipe chare pater, quæ natus munera tradit,
Munera si cineri sunt bene grata tuo.
Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores.
Heu, Heu! quàm dispar gratia nostra tuæ est!

IN D. MARTINI.

MONVMENTVM DVCIS ADELBERTI anno 1006.

Hic populi leges saxi sub mole sepultæ,
Hic ius, paxque iacent, hic patriæ auxilium.
Pes claudi, vestis nudi, solamen egeni,
Noster Adelbertus Dux bonus atque pius.
Gentib. externis timor & pauor, vnica tandem
Militibus proprijs gloria summa suis.
Quàm fortis fuerit, nouerunt vltima terræ,
Quâ bonitate fuit, dicere lingua nequit.

In sexto decimo Septembre notante Calendas
Membra sua hic posuit funereo gemitu.
Quisquis adis tumulum, culparum facta tuarum
Ante Deum recita, cum precibusque iuua.

IN DIVI FRANCISCI.

Augustinus ego Chiuizaneus hic requiesco
Nemo mori nescit; viuere disce, vale.

IN S. IOANNE.

HIERONYMI VELLVTELLI.

Hic dum vexillum gerit, & te Luca gubernat,
A coniuratis vulnera saua tulit.
Felix ille nimis, qui dum cadit Ense, peritque,
Et seruat patriam, de nece victor ouat.
Anno Domini M. D. XXII. Mens.
Iulio. Gerardus F. par. opt. Pos.

IN AEDE SERVORVM.

IANO GRILLO patricio Genuensi patri opt. ac B. M. Lucas Filius Pos.

Qui legis, an censes Ianum periisse bifrontem?
Qui ventura videt, lapsaque, non mortem.

IN PALATIO.

Perlege, quisquis ades, libertatis fautor, & scias, qualis fuerit in Republic. nostra Podiorum familia. Horum opera Petrus Cenarius, vnus ex Antianis, anno 1436. interemptus est. Eius socij deinde ann. 1522. libertatis opprimendæ animo Hieronymum Vellutellum vexilliferum Iustitiæ fœdissimè trucidarunt. Tota verò ciuitate arma contra eos capiente, parricidæ ausu-

aufugerunt. Rebelles facti côſcij, capite ſunt mulctati, In alios eiuſdem domus multa extant decreta. Deo agantur gratiæ, & hæc obliuioni non tradantur.

FLORENTINA.

IN FLORENTIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Parua fluentiſonis aggeſta Fluentia ripis
Mollia de nitido nomina Flore capit.
Fæſula regnabat: verùm meliora ſequutus
Martius antiquas detulit amnis opes:
Diuitias Hera: Mercurius diſcrimina linguæ:
Mercurius varias ire redire vias:
Ambitioſa, ferox, bellacia, flammea, Mauors
Pectora, magnificam docta Minerua manum
Iuppiter oſtendit cæleſtes mentibus aulas:
Sirenum tribuit dulcis Apollo ſonum.
Vera vetus Romæ ſoboles, aliena requiris:
Mutua quæ proprias vertis ad arma manus.

IN PORTA CIVITATIS.

Carolvs V. Caes. Auguſt, cùm inſigni omnium Chriſtianorum beneficio immanem archipiratam regno Tunetano pepuliſſet fugaſſetque; Siculo, Neapolitano ſuis regnis conſtitutis; Romà profectus Florentiam, hanc portam cum magna pompa ingreſſus, populo cuncto præ lætitia geſtiente, ab Alexádro Medices ciuitatis Duce, cui Margaritam filiam deſponderat, illuſtri apparatu, Regali-

gali hospitio Mediceas in ædes acceptus est. Anno Domini M. D. XXXV. Id. Maij.

SVPRA PORTAM MAGNAM AD SPONSAM AVSTRIACAM.

Ingredere opt. auspicijs fortunatas ędes tuas, augusta Virgo, & pręstantiss. spõsi amore, clarissimiq; Ducis sapientia cũ bonis omnibus delicijsq; summa animi securitate diu felix & læta fruere, & diuinæ tuæ virtutis, suauitatis, fœcũditatis fructibus publicam hilaritatem confirma.

IN PALATII VESTIBVLO.

Ingressa auspicijs hanc vrbem, dijsq; secundis,
Cæsaris inuicti Augusti pulcherrima proles:
Nunc ijsdem subeas hæc limina & aurea tecta.
Aduentu ecce tuo lætantur, & omnia rident.
Heic redimita oleæ crines pax alma corona,
Et secura quies, & cætera numina læto
Te vultu accipiunt venientem, & fronte serena.
Omnes & votis optant, & voce precantur,
Sis felix, adsisq; tuo cum coniuge virgo:
AEternum imperium vigeat, nomenq; decusq;.

IN ARCV TRIVMPHALI AD IMVM ARNI PONTEM.

Qua tam præclara nascetur stirpe parentum
Inclyta progenies digna atauisq; suis.
Hetrusca attollet quantis se gloria rebus,
Coniugio Austriaca Mediceaq; domus.

Viuite

Viuite felices, non est spes irrita. namq;
Diuina Charites talia voce canunt.

ANTE PORTAM ARCIS.

Quod faustum felixq; sit: Carolus V. Rom. Imp. ex Africa rediens, cùm Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, generum suum, extructa iam reliqua arce, turris huius fundamenta locantē reperisset, primū victrici manu lapidem ponere non dedignatus est. Anno 1536.

AD PORTICVM MERCATORVM.

COSMVS MEDICES Florentinæ Dux, publicæ magnificentiæ, & salubritatis ergò, porticum transuerso columnarum ordine, vndique permeabilem, aduersus cœli contumeliam negotiantibus in foro ciuibus suis extruxit, Anno M. D. XLVIII.

IN AVLA MAGNA PALATII.

Has ædes, atque aulam hanc, tecto elatiori, aditu, luminibus, picturis, ornatuq; augustiori, in ampliorem formam decoratam, dedit Cosmus Medices illustriss. Florent. & Senar. Dux, ex descriptione, atq; artificio Georgij Vasarij Aretini pictoris, atque architecti 1565.

IN S. MARIAE REPARATAE.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Generali Concil. Florentiæ celebrato, post longas disputationes, vnio Græcorū facta est in hac ipsa Ecclesia, die VI. Iulij, anno 1430. præsidente eidem Concilio Eugenio P. P. IIII. cum Latinis Episcopis & Prælatis, & Imp. Constantinopolitano, cū Episcopis, & Prælatis, ac Proceribus Græcorum

rum in copioso numero, sublatisque erroribus, in vnam eandemque rectam fidem, quam Romana tenet Ecclesia, consenserunt.

IBIDEM.

Multum profectò debet Musica Antonio Squarcialupo Organistæ. Is enim ita arti gratiam adiunxit, vt quartam sibi viderentur Charites Musicam adsciuisse sororem. Florentina ciuitas grati animi officiũ rata, eius memoriam propagare, cuius manus sæpè mortales in dulcem admirationem duxerat, Ciui suo M.P.

IOTTI PICTORIS, QVI TVRRIM AEDIFICAVIT.

Ille ego sum, per quem pictura extincta reuixit,
Cui quàm recta manus tam fuit & facilis.
Natura deerat nostra quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere nec melius.
Miraris turrim egregiam sacro ære sonantem,
Hæc quoq; de modulo creuit ad astra meo.
Deniq; sum Iottus, quid opus fuit ista referre?
Hoc nomen longi carminis instar erat.

AD DANTIS EFFIGIEM.

Quod cœlum cecinit, mediumq; imumq; tribunal,
Lustrauitq; animo cuncta Poëta suo.
Doctus adest Dantes, sua quem Florentia sæpe
Sensit consiliјs, ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors sæua nocere poëtæ,
Quem viuum virtus, carmen, imago facit.

SEVR-

SEVERINI NORBII EQVITIS AVRATI DANI.

Oceanum hostili toties qui sanguine tinxit
A gelida Thyles littore ad vsque Cronum,
Quem non immeritò Sclaui, Suediq; Gothiq;,
Vandaliaq; vrbes extimuere ducem:
Norbius Etrusco iacet hic Seuerinus in antro,
A Florentina missus ad astra pila.
Barbarus ille nequit captiuum extinguere Moscus,
Mergere non medijs Ennosigæus aquis.
Debuit in Latio, velut orbis in arce perire,
Tanta viri vt virtus vndiq; nota foret.

MARSILII FICINI.

En hospes, hic est MARSILIVS Sophiæ pater,
Platonicum qui dogma, culpa temporum
Situ obrutum, illustrans, & Atticum decus
Seruans, Latio dedit fores primus sacras,
Diuinæ aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus ante Cosmæ munere,
Lauriq; Medicis: nunc reuixit publico.
Viuitur ingenio; viuit, quem rère sepultum:
Mors abolet tanti non monumenta viri.

EIVSDEM.

Mores, ingenium, Musæ Sophiaq; sepulta est
Laus hic, cum magni corpore MARSILII.

EIVSDEM.

Mores, Ingenium, Musas, Sophiamq; supremam
Vis vno dicam nomine? MARSILIVS.
Ang. Politianus faciebat.

IBIDEM.

Quantum PHILIPPVS DE BVRNEBESCO Architectus arte Dædalea valuerit, cùm huius celeberrimi mira testudo templi, tum plures machinę diuino ingenio ab eo adinuentæ documenta esse possunt: Quapropter ob eximias animi sui dotes, singularesque virtutes, XV. Calen. Maias anno 1444. eius B.M. corpus in hac humo, superstita grata patria sepeliri iussit.

IBIDEM.

SYLVESTER MEDICES H. A. D. Q. qui ita de republ. domi forisque meritus est, vt equestri ordine, & amplissimis donis; & loco sepulturæ, maximo consensu ciuitatis, decoratus sit; Anno salutis M. CCC. LXXXVIII. Vixit ann. LXII. M. VIII. D. XII.

IBIDEM.

VERIVS MEDICES, Eques opibus & gentis nobilitate clarus, sed & probitate & publicæ quietis studio clarior, hac quiescit humo. Locus meriti honoris ergò vni, & viuenti datus opt. ciui. Vixit annos LXXII. M. 8. D. 20. Obijt anno salutis M. CCC VC.

IN S. MARIA ANNVNCIATA.

BERNARDINVS LEONCINIVS Thomæ F. Bernardi N. sciens per mortem non esse negligendum, quod per resurrectionem est immortale, sibi & posteris suis POS. anno salutis M. D. LXXVIII.

IBIDEM.

ANGELVS MARTIVS Assisiensis Episcopus, ac I. C. à secretis Augustæ Medicū Domus, illiusque alumnus,& in eam ob probitatem fidemq; adscitus,hoc sibi viuens sepulchrum confecit,defunctus vt sibi viuat, cùm ante mortē amicis vixisset, Anno 76. ☉. anno Domini 1546.

IN D. LAVRENTII.

Si merita in patriam,si gloria,sanguis, in omni
Larga manus,nigra libera morte forent:
Viueret heu patria casta cum coniuge felix,
Auxilium miseris,portus & aura, suis.
Omnia sed quando superantur morte;Ioannes
Hoc mausoleo, tuq; Picarda iaces.
Ergo senex mæret,iuuenis,puer, omnis & ætas,
Orba parente suo patria mœsta gemit.

IBIDEM.

COSMVS DE MEDICIS hic situs est, decreto publico pater patriæ. Vixit ann. LXXV. M. III. D. XX.

IOAN. AVSTRIACAE MAGNAE DVCISSAE HETRVRIAE.

Hoc tumulo deposita sunt ossa Serenissimæ IOANNAE AVSTRIACAE, Francisci Medices Magni Etruriæ Ducis vxoris, cum tribus filiabus, iniquo fato ante omnia peremptis,cum filiolo,qui prius mortuus erat, cum illa quondam vitales auras caperet,mœrens ad tempus posuit.

PAV-

PAVLI IOVII

Nouocomensis, Episcopi Nucerini, historiarum scriptoris celeberrimi, hic deposita sunt ossa, donec eximia eius virtute dignum erigatur sepulcrum. Vixit annos LXVIII. M. VII. D. XXIII. Obijt 3. Id. Decemb. anno XXXII.

Hic iacet heu IOVIVS, Romanæ gloria linguæ,
Par cui non Crispus, non Patauinus erat.

IBIDEM HODIE LEGITVR.

PAVLO IOVIO Nouocomens. Episcopo Nucerino, historiarum sui temporis scriptori, sepulcrum, quod sibi testamẽto decreuerat, posteri eius integra fide posuerunt, indulgentia maxx. Ducum Cosmi & Francisci Hetruriæ Ducum. Anno 1574.

STEPHANVS PASCHASIVS POETA HOC DISTICHON IN IOVIVM lusit.

Venalis cui penna fuit, cui gloria flocci,
Vix quid, vt ille, fide scripserit historica.

D. O. M.

ANTONII CIOFII imago hæc est, Iurisconsulti celeberrimi, atque omni polita doctrina exculti. vtrumque Ius spacio 30. annorum Pisis voce subtiliter interpretatus est, quod etiã scriptis suis acuminis & elegantiæ plenis illustrauit. Immatura viri subitaque mors ingentem dolorem attulit familiaribus & studiosis scientiæ Legum, orbatis repentè & recondita magni Doctoris eruditione, & morum suauitate singulari.

Iulia-

Iulianus frater monumentum hoc, loco impetrato à Magno Duce Fräcisco, summo amatore ipsius, honoris causa extruendum curauit. Vixit annos 55. Mens. 10. Dies 3. Obijt Pisis 6. Cal. Ianu. 1575.

IN AEDE S. MARCI.

IOAN. PICI MIRANDVLAE.

IOANNES iacet hic MIRANDVLA: cetera norũt
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

Obijt anno salut. M.CCCC. XCIIII. Vixit ann. XXXII. Hieronymus Beneuenius, ne disiunctus post mortem locus ossa separaret, quorum animos in vita coniunxit amor, hac humo supposita P. C. anno salut. M. D. XLII. Vixit ann. LXXXIX. M. VI.

Hic situs est PICVS, cuius si cuncta perissent,
Virtutum septem vix sat erant tumuli.

HERCVLES STROZA amico POS.

D. O. M.

ANTONIO VIDOTTO, ob pacem inter Anglor. & Francor. Reges confectam, ab Edoardo VI. equestrẽ gradum, ab vtrisq; insignia munera consecuto, in patria ab optimo Duce Cosmo in 48. virorum numerũ cooptato, Volaterris demum præturâ & vita functa, gentiles eius, absentibus filijs P.P. Θ. 4. Kalend. Decemb. anno 1555. Vixit annos 63. Mens. 6.

IBIDEM.

IOA. MARIA PANLOTIVS heîc situs est, domo Eugubia. I. C. celeberrimus, qui cum operam diu nauasset Duci Vrbinati Principi suo, & in alijs

Italiæ vrbibus plurimorum controuersias summa cum laude dijudicasset : accersitus postremum à Cosmo Medice Duce Florentinorũ & Senens. primum in IV. Rotæ Iudicibus fuit: deinde causis audiendis præpositus, eo in munere cum valde probatus foret omnibus, vitam amisit. Antonia Berna mœrens, coniugi cariss. POS. 4. Kal. Ianu. anno Domini 1565. Vixit ann. 62. M. 2. D. 20.

ANGELI POLITIANI.

POLITIANVS in hoc tumulo iacet ANGELVS, vnum
Qui caput, & linguas, res noua, tres habuit.

Obijt anno M. CCCC. XCIIX. Septemb. XXIV. Aetat. XLIV.

PAVLVS CRINITVS amico pos.

Hic hic viator, paululum gradum siste:
Vatem potentis spiritus vides clarum:
Qui mente promptus acri, & arduum spirans,
Ac summa quæq; & alta consequi suetus:
Is ille ego ANGELVS POLITIANVS sum.
Fouit benigno me sinu Flora, & illic
Infata cessi: Parthenopæos Reges
Quum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu vale, & hoc sis meriti memor nostri.

AD MARIAE NOVELLAE SVB HOROLOGIO.

Sic fluit occultè, sic multos decipit ætas,
Sic venit ad finem, quicquid in orbe manet.
Heu, heu, præteritum non est reuocabile tempus,
Heu propius tacito mors venit ipsa pede!

IBI-

IBIDEM.

Ecclesiæ antistes fueram qui magnus Eoæ,
Hic iaceo magnus relligione Ioseph.
Hoc vnum optabam miro inflammatus amore,
Vnus vt Europæ cultus & vna fides.
Italiam petij, fœdus percußimus vnum:
Iunctaq́ Romanæ est, me duce, Graia fides.
Nec mora, decubui, nunc me Florentia seruat,
Qua tunc concilium floruit vrbe sacrum.
Felix qui tanto donarer munere viuens,
Qui morerer voti compos & ipse mei.

PARICAE MEDICEAE,

Pudicitiâ atque prudentia non minus, quàm sanguine claræ, incomparabili coniugi, Philippus Strozzius mœrens, decem liberis collacrymantibus, pro tempore pos. Vixit ann. XXVIII. Mens. VIII.

NICOLAO GADDIO

Thadæi F. S. R. E. Cardinali, de Republ. Christiana opt. merito, sepulcrum hoc tãto patruo deberi Nicolaus Gaddius censuit, anno salut. M. D. LXXVIII. Vixit ann. LXI. M. VIII. D. XX. Obijt M. D. LII.

HIERONYMI MIRANDAE.

Mercator pietate, fide, cultuq́ Deorum,
Nec minus insignis nobilitate fui.
Humanis igitur spolijs MIRANDA relictis;
Contemplor superum numina sacra Deûm.

Hieronymus MIRANDA Franc. F. Hispan. Vixit annos XXXV. Obijt M. D. LXI. V. Idus Februar.

D. O. M. S.

ALBERTVS iacet hic LEO: Leonem
Quem Florentia iure nuncupauit:
Quod Princeps fuit eruditiorum,
Princeps vt leo solus est ferarum.

IOANNIS BOCCATII.

Hac sub mole iacent cineres atq; ossa IOANNIS,
Mens sedet ante Deum meritis ornata laborum.
Mortalis vitae genitor BOCCATIVS illi,
Patria Certaldum, studium fuit alma Poësis.

Obijt anno Domini M. CCC. LXXIII. Vixit ann. LXII.

ITEM.

Egregius natus latijs BOCCATIVS oris,
Figmentis patrio raptus in orbe iacet.

PROPE TEMPLVM S. CRVCIS.

HENRICVS IV. Roma rediens coronatus, infestus Florentinis, quòd coronationi suæ obstitissent, rogatus ab exulibus, quorum princeps erat Dantes Poeta, vrbem obsedit, ab ea parte quæ est ad septentrionem: atque cùm vidisset ædificijs intentam ciuitatem (præcipuè autem testatur id palatium Cocchiorum, quod noctu etiam struebatur funalibus accensis) post quadragesimum diem soluta obsidione discessit M. CCC. XIII. Kalen. Octobr.

IN

IN S. CRVCIS AEDE.

MICHAELI ANGELO BONAROTIO, è vetuſta Simoniorũ familia : ſculptori, pictori, & architecto: fama omnib. notiſſimo, Leonhardus patruo amantiſſ. deqne ſe opt. merito, translatis Roma eius oſſibus, atque in hoc templo maior. ſuorũ ſepulcro conditis: cohortante ſereniſſ. Coſmo Medices magno Hetruriæ Duce, P. C. Anno ſalutis 1570. Vixit ann. 88. M. 11. D. 15.

LEONARDI ARETINI.

Poſtquam LEONARDVS *è vita migrauit,*
Hiſtoria luget, Eloquentia muta eſt,
Fertur'q́; Muſas tum Græcas, tum Latinas
Lacrymas tenere non potuiſſe.
Obijt M. CCCC. XL. ætat. LXXIV.

CAROLI POETAE.

Siſte: vides magnum quæ ſeruant marmora vatem,
Ingenio cuius non ſatis orbis erat?
Quæ natura, Polus, quæ mos ferat, omnia nouit:
Carolus ætatis gloria magna ſuæ.
Auſoniæ, & Graiæ crines nunc ſoluite Muſæ,
Occidit heu veſtri fama decusq́; chori.

AD CARMELITAS.

IVLIANO PISTORIO PRATENSI, Carmelitæ, ſuo Prouinciali optimè merito, lugentes poſuere. Qui quantũ in Phyſica ac mathematicis diſciplinis omnib', præcipuè in Aſtrologia valuerit; non Senæ, Piſa, aut Florentia tantùm, vbi annis non minus 22. profeſſus eſt; verùm totus terrarum

orbis agnouit. Vixit ann. 64. Mens. 5. Dies 11. ●. ✠. Xbr. 1556.

APVD S. MINIATVM ORD. S. BENEDICTI.

Regia stirps, IACOBVS nomen, Lusitana propago,
Insignis forma, summa pudicitia.
Cardineus titulus, morum nitor, optima vita,
Ista fuêre mihi, mors iuuenem rapuit.
Obijt anno M. CCCC. XIX. XVI. Kal. Maij.

NE SE POLLVERET, MALVIT ILLE MORI.

Hic cum graui morbo detineretur, medicíq; suaderent, posse vitam sperare, si rem cum muliere haberet; mortem maluit expectare, quàm peccare.

Nota lector: *Egregium Castitatis exemplum.*

IN HOSPITALI AD SCALAS.

AD EFFIGIEM MONSTRI NATI IN agro Florentino.

Hac PETRVS Paulúsq; vno sub corpore bini,
Fabrica naturæ mira, iacemus humo.
Cuiq; suum fuit & manuum fuit oris opúsq;
Vesica, ast vnum fluxile ventris opus.
Iunxêre extremæ partes nos corporis ambos,
Quas neuter simul & dicat vterq; suas.
Neutra ex parte pedes, capita ex vtraq; fuerunt
Bina, sed è medio corpore planta fuit.
Bina fuit medio quæ corpore planta, deorsum
Pendebat: sursum quinta erat vna manus.
Non verò nobis vnus somnúsq; cibúsq;,

Nec

Nec risus nobis, fletus & vnus erat.
Somno membra dabat vnus, ridebat at alter,
Surgebatq; vnus, flens quoque & alter erat.
In Florentina natos nos fluminis Arni
Valle dedit patria nos pia cura patris.
Inde alti, & sacro pariter de fonte leuati,
Viximus ambo decem bis totidemq; dies.
Quid nunc Neptunū, quid nunc Ianumq; bifrontem
Miraris? stygij terna quid ora canis?
Et quid Geryonis tria corpora? scilicet vnum
Nos corpus, binas nos animasq; lege.

AD CARTHVSIANOS.

DONATVS nomen, patria est Florētia, gens mi
Acciaiola domus, clarus eram eloquio.
Francorum ad Regem patriæ dum orator abirem,
In Ducis Anguigeri mœnibus occubui.
Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum
Inter maiorum nunc cineres sepelit.

EPIGRAMMA BIBLIOTHECAE MEDICEAE.

DEO, præsidib. familiæ, D. CLEMENS VII. Medices P. M. libris opt. studio maiorum, & suo vndique conquisitis, bibliothecam ad ornamentum Patriæ, ciuiumque suorum vtilitatem d. d.

Hanc Bibliothecam Cosmus Medices Tuscorum magnus Dux perficiundam curauit. Anno Domini M. D. LXXI. III. Idus Iulij.

ITEM.

Cosmus in has ædes meliora volumina κόσμου
Transtulit, & primas, quas habet orbis opes.
Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus,
Rem sibi tum mundo cœlitibusq; parem.

BONONIENSIA.

IN BONONIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Post diras rerum clades, Fatiq; superba
Imperia & Martis quæ fera iussa tuli,
Hic primùm meq; atq; alios cognoscere cœpi:
Deposuiq; animi barbara sceptra mali;
Et didici, quàm non fueram, quàm deinde futurus:
Quem bona abortiuum sic tuerere parens.
Quæ causas, quæ cunctarum primordia rerum,
Quæ diuini operis prima elementa doces.
Cœlestesq; plagas, & sanctæ commoda vitæ,
Et si quà è numeris nata figura latet.
Cùm reliquas superes diuinis legibus vrbes:
Non sulci omnigeno germine cedit honos.
Arma viris connata: animus conterminus astris:
Atq; ardens vitæ stat melioris amor.
Si ciues dederas, si magna Hetruria leges:
Accipe, quæ possis dicere: reddo libens.

IN D. PETRI.

BASIANI, PRAECEPTORIS AZONIS.

Hoc tumulata iacent BASIANI membra lapillo.

Quis

Quis sit, metra docent quæ subscribuntur in illo.
Huic legum latis patuit victoria castris,
Nunc cedens fatis socialibus insidet astris.
Canonicæ coluit scripturæ plenius ortum,
Qua duce promeruit cælestem cernere portum.
Hic erat Italiæ sydus, reuerentia fratrum,
Flos roseus patriæ, decus orbis, gloria patrum,
Obsequijs promptus, humilis, iocundus, apertus.
Si tres excipias annos de mille ducentis,
Terminus occurret, quo mortis iura subiuit.

M. C. XCVII.

IN EODEM LAPIDE.

Inuidus è medio Basianum finis ademit,
Cuius membra breuis hic sita petra premit.
Summus in alterutro Doctoris Iure peregit
Hactenus officium, quem lapis iste tegit.
Iura duo potuit naturæ ius superare,
Hæc duo de proprio mors fugat vna lare.
Istius meruere sinu duo iura locari,
Solus in Italia qui fuit absque pari.
Non sibi sed vitæ moritur fons iuris, & aret,
Non is eâ, sed eo vita moderna caret.
Quisquis in istius cathedram succedere quærit,
Fontis respectu riuus ineptus erit.
Hunc sociat summis Pauli conuersio turmis.

IBIDEM.

Viator si cupis scire qui sim? Iohannes Plateus Ciuilis Pontificijque Iuris cultor & scriptor. Monumentum enim vetustate corruptum destructumque, renouatum decreto Cardinalis

IN S. PETRONIO.

THEODOSI CAES. PRIVILEGIVM.

Ne bonæ artes, cunctaque disciplinarum dogmata depereant; cùm mores, sanitas, iudicia, cæteraque id genus optimis doctrinis gubernentur: NOS THEODOSIVS Dei gratia Rom. Imperat. Augustus, commoditate & fertilitate loci capti, v. ac xx. mensium pensitato consilio, in dignitatis nostræ solio sedentes, generali Christianorum conuocato concilio, summo Pontifice Cœlestino, Cardinalibus XII. Archiepiscopis Episcopisque innumeris, alijsque in varijs dignitatibus constitutis Principibus ac Ducibus Christianis, Balduino quoque Flandren. ac Gualterio Pictauien. Comitibus legatis, quorum alter Ludouici Franciæ, alter Philippi Angliæ regum, illis arduis negotijs addictis vicem gessêre, sedente etiam centum Senatorum collegio, BONONIAM omnium scientiarum fontem, arcanorum nostrorum armarium, perennem studij sedem fore, hac inuiolabili indulgentia decernimus, volentes insuper, vt omnes sententiæ, à iudicibus, qui in alma hac ciuitate per quinquennium saltem non studuerint, latæ, nullæ penitus existant: & si quis ad magistratus promotus dignitatem, ab alio quàm ab Archidiacono Bononiensi librun magistralem susceperit; quanquam id quarumlibet facultatum periti præstiterint, approbauerintque; eum auctoritate nostra omni dignitate priuamus. Si quis verò Scholasticos ad studium hoc euntes abeuntesve ausu temerario offenderit; capite puniatur. Hoc ni Præses exequatur, eâdem il-

lum

teras Parmæ, Lutetiæ, atque in patria summa cum ingenij laude atque audientium admiratione professo, Phil. & Vinc. F. F. hæredes ex testamento P. P.

I nunc, & vigila, noctesque absume legendo.
O hominum cura, cœptaque vana nimis!

Vixit ann. LI. M. VIII. Obijt an. M. D. IIII.

O literæ, ô cantus, ô Apollines: vobis in posterum (heu!) quid fiet?

IN S. FRANCISCO.

ALEXANDRI CAPRARIAE

Ossa hîc conduntur, qui agens LVIIII. annum, migrauit eò, vnde discessit, vt ibi perpetuo quiescat. Hieron. Patri B. M. P. anno M. D. LVII.

IBIDEM.

POMPEIO PEREGRINO Artium & Medicinæ Doctori, & Equiti. Vixit ann. XLVIII. M. III. Obijt anno M. D. XLII. Prid. Kal. Martij.

Qualis erat bello Pompeius, corpore, & astu,
Talis erat studio, viribus ingenij:
Intima naturæ merito scrutatus, at illa
Huius cognomen par dedit ingenio.

FRANCISCI GISLERI.

Franciscus iacet hoc Gislerus marmore, cuius
Nulla vnquam in sanctis lis perijt manibus.
Perdidit hanc litem tantum, quam ferrea mouit
Atropos, ast extra lis fuit ista forum.

IBIDEM.

BONAPARTES GISLERVS Georgij F. Senatus Bonon. Scriba ISOTAE CALDERINAE, cum

qua

qua vixit XLV. annis sine iurgio, & sibi & suis, posterisque eorum, pietatis, naturæ, legum atque officij memor Pos. anno à partu virginis M. D. XXVII. Vixit illa ann. LXIIII.

Hominum luxus, fastus, delitiæ, quæ vitam vitalem esse non sinunt, heu quò redeunt!

MARSILII, S. SOPHIAE MEDICI.

Viuat vt æternum, vitæ iam munere functus,
Hoc præstat virtus, quæ facit vna Deos.
Sic inuecta polo supera mens regnat in aula,
Vndique per terras inclyta fama viget,
Quæ mortalis erat, iacet hic pars condita, magni
Exuuias animi colligit vrna breuis.
Quumque procul latè resonet sua gloria, saxum
Accipit exiguis nomina magna notis.
Marsilius Patauus, cui dat gens alma Sophiæ,
Bononiæ Medicus, dum docet, occubuit.

ANONYMI.

Non potuit Medicus, medico præstare salutem,
Sis ergo Medico, tu medicina Deus.

D. O. M.

Frater ALOYSIUS PUTEUS Burgon. ex Minoribus Obseruantibus hic situs est, quem omnes, qui aliquam eruditionis, administrationisque famam in familiam suam attulerunt, Magistrum, qui Rempublic. Franciscanam administrarunt, exemplum sibi adsciuerunt. Qui verò in Concilio Tridentino interfuerunt, quò ille à Pio IV. Pontif. Max. missus adfuit, vtramque doctrinæ & sapientiæ laudem mirificè comprobarunt.

runt. Qui Prouincialia & Generalia munera tamdiu exercuit, tot Italiæ ſuggeſtus concionibus celebrauit, Scotum tantâ diligentiâ, & voce, & ſcriptis explicuit, vt vix vllam horam vacuam aut meditando, cum aſſiduè ageret; aut agendo, cum perpetuò meditaretur, habuiſſe videatur. Demum ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus, ſtudijs magis, quàm ætate, confectus, grauibus Apoplexiæ, per IIII. annos incommodis diuexatus, Chriſtianæ patientiæ nobile nobis exemplum reliquit. Obijt IX. Nouemb. M. D. LXXX. AEtatis ſuæ LXXIII. Tanto viro B. M. frater Hieronymus Imolenſis M. H. D.C.

IN S. SERVATII.

TRINITATI SACR.

AZONI Iuriſconſultorum numini, Anno gratiæ M.CC. hîc tumulato, in ſepulcro vetuſtate collapſo, ac inter rudera vix agnito, Ioan. Franciſcus Aldrouandus Dictator & Coſs. Bononienſis, pub. impenſa conciui ſuo B. M. memoriam poſuit. Anno ſal. 1496. v. Id. Octob.

AD S. DOMINICI.

IN BIBLIOTHECA.

Dicta fui Bologna prius: nunc Iulia dicor
Bibliotheca, ſacris ædibus hîc poſita.
Maximus huc veniens paſtorum, Maximus ille
Iulius, hoc nomen præbuit ipſe mihi.

IN TABVLA AENEA.

Viator, quiſquis es, ſiſte gradum, & quod ſcriptum eſt perlege: vbi perlegeris; penſita. Hoc is cuius cauſa ſcriptum eſt, fieri rogat.

Orto

Orto inter Bononienses & Mutinenses bello, Cæsar Fridericus II. Rom. Imperat. filium Hentium Sardiniæ & Carsicæ insularum regem, Mutinensibus suppetias ferre mandauit, qui inito apud D. Ambrosij pontem certamine, à Bononiensibus capitur, nullaque re, vt dimittatur, impetrat, cùm pater minis, dein precibus & precio deprecatoribus vteretur; cùm tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda sufficeret; sic captiuus XXII. annos, menses IX. dies XVI. tenetur, aliturque regio more, publica Bononiensium impensa. sic defunctus magnificentiss. ac pientiss. funeratus hîc tumulatur. Præterea simulacrum hoc in perpetuum, & hosti, & captiuo monimentum S. P. Q. B. posuit. Anno salut. M. CC. LXXII. II. Id. Martij. Hoc volebam vt scires. abi & vale.

Positum ære pub. Ioan. Francisco Aldrouando Dictatore.

D. O. S.

IOANNIS DE IMOLA, Pontif. Cæs.q; I. C. ossa, in supposito Gerisendorum sepulcro requiescunt. MINVS GERISENDVS L. L. & ipse interpres amico suo coniunctiss. F.

BARTHOLOMAEI SALICETI I. C.

Hoc tumulo legalis apex, dulcißimus ore,
Et patriæ lux alma suæ, pietatis amator,
Iustitiæque sacræ clypeus, baculusque cadentum,
Qui iuuenis multoque etiam venerabilis æuo
Edocuit, superauit eum nec pœna laboris
Scribendo & pariter Iuris nucleando tenebras,

De Sa-

De Saliceto requiescit Bartholomæus.

Obijt 1412. die 25. mens. Decemb. Vixit ann. LXXVII. D. X.

IBIDEM.

CAESAR NAPAEVS Matthæi F. viuens sibi, posterisque suis, & coniugi Fec. Anno M. CD. XCIV. Kal. Iul.

Peto, ne quis nos inquietet, aliterve ponat, neve commutet, neve etiam alius inferatur, vt die Censoria hic vnà resurgamus. quid ad vos?

IBIDEM.

Hic sita sunt ossa MARCI ANTONII FLAMINII Forocorneliensis, de vtraque lingua B. M. Anno M. D. XXXVI. XV. Kal. Iunij.

VVENCESLAI BORGARDI.

Incomparabile, ô viator exemplum, constantiæ atque continentiæ sanctâ integritate & inclyta fide illustre, bonarum & artium, cippus en aspice vt paruus tegit. Quid hoc quæris? VVenceslaus Borgardus Olmonte ortus (Morauiæ ea vrbs est, Iulium montem vocant Latini) is vnicus patri, nuper Bononiæ vnico vnicè salutem optans adferre amico, peste mortuus occumbit. Plura iste non capit lapis. Vale igitur, atque his pia ossibus dic verba, si es pius. Vixit annos XXVIII. menses X. Obijt M. D. XVII.

ALIVD.

MARTINI SVLIMANNI, cuius præclara in Iure extant opera, humana hic ossa quiescunt. Lapidea hæc memoria illi posita est, anno salut. M. D. XXVII.

IBIDEM.

Hîc ossa AVGVSTINI CIANZON Corsici Sardiniensis quiescunt, qui ob armorum tumultus in foro Bononiensi excitatos, ex lege viuere desijt. Tibi pax viator. M.D.XVII.

IN AMBITV MONASTERII GERMANORVM.

Siste gradum, specta monumētum hoc, quaeso, viator,
Quod pia, quod cultrix legum Germana Iuuentus
Condidit, vt genti pateat commune sepulcrum,
Vt Germanorum manes post fata quiescant,
Sacra parentali capientes annua ritu.

M. D. I.

O quam fragilis, (ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ) ruit voluptas,

IOANNIS VOLZII.

Tu quicunque sagax veterum monumenta reuoluis,
Te si fortè mei nominis ardor habet;
Hac lege: Ianus eram dictus cognomine Volsus,
Arctooque meum claruit orbe genus.
Limpergo fueram, quod Chiron iustus Achilli,
Et quod Pellaeo Stagiritanus erat.
Ad Romam admissa dum fortè piacula labis
Accepturus eo, contegor hoc tumulo.

Georg. Limperger, Dei gratia Episcopus Bambergensis, Ioanni Voltz praeceptori suo hoc sepulcrum posuit.

HIERONYMI BORAGINEI.

Me Lubeca tulit, docuit Germania linguas,
Ad studia huc missum mors truculenta rapit.

Non

Non ferrum, non vlla Venus, Bacchusq́ue peremit,
Sed studij nimius proh dolor hausit amor.
Nam dum Phœbe tuas æstiuis solibus herbas
Persequor, inuasit pectora sæua febris.
Iam ter fortè nouem, studio quæ vita peracta est,
Annos attigeram, cùm rapit hora nocens:
Ah tua, qui fueras medicus, vestigia frustra
Insequor, ô genitor, cùm necer ante diem.
O patria, ô germana vale soror vna relicta
Quæ fueras: hac me mors tumulauit humo.
An. sal. M. D. XXXV. d. 27. Aug.

IBIDEM.

Hoc situs in tumulo est Gulielmus gloria gentis
Anglorum, quem mors traxit ad Elysios.
Nam modò festiuos dum spectat ludere bombos,
Bombarda fractus viribus occubuit.
Proh dolor ergò homini quænam fiducia Mortis,
Si iugulant etiam quos putat ille iocos?

ARTVRO COO ANGLO.

Quid fles viator? an quod agnoscis tui
Ciuis sepulcrum patrio procul solo?
Nil nostrum ob hoc malignius fatum fuit:
Eadem vndecunque prorsus in cælum est via.
III. Non. August. Anno Domini M. D. V.

IN S. MARTINI.
ALEXANDRI ACHILLINI BONON.

Hospes Achillinum tumulo qui quæris in isto,
Falleris: ille suo iunctus Aristoteli est;
Elysium colit, & quas rerum hic discere causas
Vix potuit, plenis nunc videt ipse oculis.

Tu modò, per campos dum nobilis vmbra beatos
Errat, dic longum perpetuumquè vale.

IVLIO BOCCHIO

Romæi F. ea pietate, fide, modestia, vt nec minui detractionibus, nec augeri laudibus possit. Vixit ann. LXVII. M. I. D. XXV. Obijt X. Kal. Septemb. M. D. XXV.

IN SERVORVM AEDE.

SCIPIONIS BARGELINI
Iurisconsult.

Mors dicam tibi veriora veris:
Nunc quanquam tumulo cadauer hocce
Claudis, id nihil, id nihil putamus:
Virtus, fama, scientia huius, & spes
Non possunt tumulo profano claudi.
Quid mors ergo tenes? quid assequuta es?

AD D. PROCVLI.

Si procul à Proclo Proculi Campana fuisset,
Tunc procul à Proclo Proculus ipse foret.

GASPARIS CONTARENI
CARD.

CONTARENE *tibi pietas dum dia parentat,*
Et queritur longo amissum Resp. luctu:
Ite, ait, illustres animæ, vitalia secla
Heroum, & vestro Athleta exornate sepulcrum
Floribus: hic veris docuit rationibus esse
Immortalem animam, summa de mente creatam.

Obijt nondum sexagenarius An. M. D. XLII.
IANVS VITALIS amico Pos.

AD

AD S. MARIAE ANNVNCIATAE.

Parma parens, primos Mirandula cessit honores,
Declarat ciuem me Imola grata suum.
Ad se docta vocat me tandem Felsina; deflent
Artes me Medica, doctaque cohorsque virûm.
Deflent mœsta vrbeis ipsa, ciuemque reposcunt
Imola, Mirandla, Felsina, Parma parens.

Ioanni Baptistæ Theodosio Medico F. F. pientissimi P. P. Vixit annos LXIII. Obijt M. D. XXXVIII. mens. Septemb.

ALOYNO GEORGIRIO

Epidauro ex Dalmatia, viro tum Philosophiæ, tum Medicinæ scientia eximiè ornato, atque etiam historiarum, Astrologiæ, imprimisque Cosmographiæ ac Geographiæ, quas non tam ex libris, quàm ex diuturna terrarum, perlustratione sibi asciuerat, cæterarumque Mathematicarum artium omnium cognitione clarissimo, amico & ciui opt. merito BONIFACIVS A STEPHANIS Episcopus Stagninus mœstiss. pos. Obijt anno M. D. LXV.

AD S. VICTOREM EXTRA *vrbem.*

VGOLINI DE FONTANA LL. gloss.

Transiit vt viuat mundana legis alumnus,
Mors sit ei requies, vltima vita DEVS.
Vrbis honor, mundi speculum, iacet hîc Vgolinus;
Spiritus astra tenet, corpora signat humus.

Cui fortuna manum reuocans concessa tetendit,
Cui lex vberiùs vbera plena dedit,
Mens legum cecidit, reliqui latitant Pharisæi,
Christus qui nouit parcere, parcat ei.
Mens respondebat veraci consona linguæ,
Et par effectus cordis & oris erat.
Fraudis, nequitiæ, liuoris & ambitionis
Inter conciues vnicus hostis erat.
Mors voluit mundum sub certa lege teneri.
Nam cinis est hodie, qui fuit ignis heri.

An. Dn. M.C.LXVIII.

IN SCHOLA PVBLICA BONONIENSI.

GREGORIO XIII. Pont. Max. annuarum reuolutionum felicifs. restauratori.

Tempora qui seros Phœbi referentia gyros
Toto, sancte senex, orbe venire facis,
Scilicet vt redeat nunquam reuocabilis annus,
Atque suum teneant festa sacrata diem:
Næ tu cælicolis gratum, atque perutile nobis,
Immortale tibi conficis auctor opus.

Sub felicibus auspicijs magnificorum D. D. D. Ioannis Baptistæ Bergarotti Parmensis, & D. Viti Antonij, Horatij de Curtis Mursonensis, Vniuersitatis patronorum medicorumque priorum meritissimorum die XXX. mens. Decemb. Anno Domini M.D.LXXXII.

IN AVDITORIO MAGNO IVRISCONSVLTORVM.

Principem Gymnasij classem, vrbis ornamento, ciuitatis splendori, & posteris incitamento, con-

consiliarijs bene gestæ administrationis memoriæ relinquendæ, ac bene meritis se officijs deuinctos ostendendi studio; eorundem generis, nominis & honoris insignibus placuit exornari. Anno ab ortu Christi M. D. LXIX. Pij V. Pont. Max.

ITEM.

Vniuersitas Legum studiosa, veterem huius Auditorij dignitatem animo repetens, atque eidem in posterum, quoad possit, consulere cupiens; nouis his insignium suorum ornamentis cohonestandum curarunt, Annuente Dn. Ioanne Baptista Saluago Genuense Vniuersitatis Priore dignissimo. Anno à Christo nato M. D. LXXI. Gregor. XIII. Pont. Max.

IN AVDITORIO I.C. III.

Bonon. Gymnasij adolescentes nobiliss. vtramque Iuristarum Vniuersitatem consilij prudentia & fidelitate gubernantes, sui præceptoris nomen honorificè illustrare, harum ædium splendorem magnificentiùs augere, bene gestæ administrationis memoriam relinquere, ac eiusdem muneris vicarios ad honestam æmulationem excitare studentes, ad classem hanc publicam suæ familiæ ac nobilitatis imaginibus publicis exornandam, æs puplicum erogari iusserunt. An. Dom. M. D. LXXVII.

IN MEDICORVM AVDITORIO.

D. O. M.

Gaspari Talcacotio ciui Bononien. Philosopho ac Medico ætatis nostræ celeberrimo, cùm vniuersam humani corporis anatomen in doctissimor. virorum frequentiss. conuentu publicè administratam, facundiâ, methodo ac doctrina ad-

mirabili explicarit; eiusque incompertas adhuc partes in lucem prodiderit; animi grati & perpetuæ memoriæ ergò Lect. mediciqúe P. P. ordinariæ anatomes ab illo administratæ monumentum.

IN AVDITORIO INFERIORI.

SVMMA PRIVILEGII AB IMP. CAES. *Fl. Theodosio iuniore Aug. Gymnasio Bononiæ concessi.*

Qui Prætor, Iudexve quinquennio in Bononien. Gymnasio studiorum caussa non consumpto, ad iudicandum accesserit, eius decreta sententiave irrita sunto.

Qui Doctor in ordinem adscitus, libro à maioris Ecclesiæ Archidiacono non accepto, fuerit; eius dignitas, licet peritorum omnium suffragijs comprobata, prorsus nulla esto.

Qui Scholarem aliquem ad Gymnasium Bononiense pergentem manu verbove offenderit, capitis reus esto.

Qui Magistratus, prout Magistratus, iniuriam scholari illatam persequi prætermiserit, eâdem pœna tenetor. Anno Domini M.D.LXVII.

Qui honestissimi huius consilij participes erunt facti, inprimis operam dent, vt iura, instituta, mores, consuetudinesque omnes, quæ ad huius Scholæ commoda authoritatemque tuendam pertineant, summa cura custodiantur.

Rectori Scholæ maximus idemque meritus honos ab omnibus habeatur.

Legitimi publicarum professionum dies diligentissimè obeantur.

Pro-

Professorum ipsorum dignitas quam maximè obseruetur.

Inter scholasticorum nationes æterna piaq; pax concordiaque conseruetur.

Exornatus, ad vrbis & scholæ dignitatem, ex authoritate eorum, quorum insignia circumpicta sunt, & ex totius Consilij, locus esto. Anno Domini M.D.LXVIII.

IN ALIO AVDITORIO.

Este pares, & ob hoc concordes viuite, cùm vos
Et decor, & studium, & munus sociarit & ætas.

IN PORTICV INFERIORI.

Moderatoribus optimis assidua cogitatione curantibus, vt inclytæ huius Academiæ splendor & dignitas, ad vtilitatem iuuẽtutis, ex cunctis regionibus studiorum gratiâ confluentis, incrementum accipiat; Priorum, ac Consilij Vniuersitatis Philosophorum & Medicorum illis diutinam Maiestatis felicitatem, sibiquę patrocinium precati, exiguam hâc, sed quam præ imbecillitate sua possunt, maximam grati animi significationem memores officiorum p p.

Procurante hanc memoriam Magnifico ac generoso viro D. Iosepho Zacconio de Fano Priore dignissimo. Anno Domini M, D.LXXXIII. die XXIV. Decemb.

IN AVDITORIO INFERIORI.

I.

Magister esto diligens, doctus, vigil,
Veriq; amator, & alieni commodi:

Auditor at tu sis laboris appetens,
Magistri amator, & imitator sedulus.

II.

Consultor hic, vtcumq; tempus postulat,
Adesto. semper publicum negotium
Curato; agendum quid sit in præsentia,
Videto; longè prouidens in posterum
Caueto; partes sic tuas tuebere.

IN SCHOLA HISPANORVM.

AEGIDIVS ALBERNOTIVS S. R. E. Card. Primas Hisp. totius Italiæ Legatus, qui Sedem Romanam diu Auenione exulantem Italiæ restituit, hasce ædes publicæ iuuentutis Hispaniæ cõmodo construi iussit, quas Ferdinandus Hispalensis Præsul à fundamentis refecit, ann. post Christum Nat. M. CCC. LXV.

IBIDEM.

AEGIDIVS Card. crucis spectabili virtute, B. Petri patrimonium tyrannica sæuitia rabiente, varijs turbinibus agitatum, recuperata pristina libertate Reip. in tuta pace quiescit. Anno M. CCC. LXIIII.

IN PALATIO BONONIENSI.

CLEMENTIS VII. PONT. MAX. ET CAROLI V. *Cæsaris Imper. vnanimitas, stabile firmamentum.*

CLEMENS VII. Pont. Max. vt Christianæ Reip. statum reformaret, cum Carolo V. Cæs. Imper. Bononiæ congressus est. In hanc vrbem Cæsar Non. Nouemb. anno Domini 1529. introijt, pro templi

templi foribus, de more, Pontificem M. adorauit: eius authoritate & consilio, cùm restituto in auitum regnum Francisco Sfortia, ac Venetis pace data, cunctæ Italiæ otium ac tranquillitatem diu optatam reddidisset, Imperij coronam hoc pompæ ordine accepit. Fenestra hæc ad dextram fuit porta prætoria, ea ingressus Cæsar per ponte sublicium, in ædem D. Petronij deductus, sacris ritè peractis, à Pont. Max. auream coronam, & imperij cætera insignia accepit. Inde cum eo triumphans, exercitu ornatissimo præeũte, vrbem perlustrauit, cùm ambo in eodem prætorio, totam hyemem coniunctissimè de summa rerum deliberantes, egissent. Cæsar post suum aduentum mense v. in Germaniam, ad tumultus impiorum ciuium sedãdos, & bellum Turcicum cum Ferdinando fratre Pannoniæ rege apparandum, profectus est. Huius rei monumentum hoc, Innocentio Cibo Cardinale legato auctore, Vberto Gambara vrbis præfecto, referente S. P. Q. B. extare voluit. Non. Nouemb. 1530.

LEGES VILLICAE SEV GENIALES PROPE BONONIAM IN AMOENISSIMO *prædio foribus inscriptæ.*

Hanc Villulam, atque hunc agellum, qui animi aut valetudinis caussa inuiserint, ne voluptas valetudinem, corporisve curatio voluptatem corrumpat; neuè locus, quà sacer est, violetur, aut quà cultus est, deseratur; hasce obseruanto leges.

Deum Opt. Max. proxima in æde primùm venerantor. Quiduis postea lustrando, se vbiuis exercento, vbiuis quiescunto: sed hoc citra languorem,

rem,cis sudorem illud. Seruorum greges importunorum non modò à pomarijs, sed procul ab vtroque pomœrio interea excluduntor. Si quos tamen ministerij caussa voluerint, paucos & modestos introducunto, qui nec hilum attingunto, inconsulto villico. Eis abeuntibus, pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, pro cuiusque persona, flores, frondes, ramusculos, poma, olera, viritim villicus distribuito. Quos ruris dominus ad prandium cœnamve inuitarit, curæ, mœrores, tristitiæ in vrbem remittuntor: voluptates honestæ, iocus, hilaritas remanento. Mensæ eleganter & splendidè sine luxu ac pompa, aprico opacoúe loco pro anni tempore parantor. Dapes solito lautiùs ac copiosius, sed ad vitam viuendam, non ad mortem maturandam, apponuntor. Pocula, quæ sitim pellant, non quæ hospitem obruant, potantor. Interim auium concentu & aquarum murmure se oblectanto, Iis silentibus, Iopæ, Amphiones, Orphei, loquaces compescendo; aureis mulcento. Remotis mensis atque arbitris suis, cuique conuiuarum mores paulo liberius pati, seni, iuueni, faceto, dicaci vel ad ineptias vsque, fas esto. Si qua licentius poti dixerint, fecerint; ea in vrbe alijs narrare, aut omninò in memoria habere fas non esto. Scorta, scurræ, parasiti, præstigiatores, arioli, ac eiusmodi impurum & profanum genus procul arcentor. Aleis, latrunculis, scrupulis, talis, si qui se oblectare maluerint; nemini tunc vitio dator, modò fiat modicè, ne fortè iacturæ dolor in gaudij, cui hic locus à maioribus dicatus est, sedes mœrorem induxerit. Hisce actis, in eodem sacello Deo item Opt. Maxi. gratias agunto. In vrbem læti ludibundique abeunto.

IBI-

IBIDEM.

Gaudentum locus hic; procul hinc discedite tristes.

FERRARIENSIA.

IN FERRARIAM IVL. CAES. SCALIGER.

INclyta quæ patulo fruitur Ferraria cœlo,
Reginas rerum lumine ditat aquas.
Aurea nobilitas: studiorum nobilis oti
Ingenia: audaci pectore prompta manus:
Magnanimiq; duces, genus alto à sanguine diuûm:
Perfugium profugis mœnia sancta viris.
Vos me luctificæ redeuntem è stragis aceruis,
Quos vetus ex ima sede Rauenna gemit,
Germano in pugna amisso fortiq; parente,
Quo matri victæ vita dolore fugit,
Ornatum elogijs, decoratum nomine regum,
Auctum Felsineæ restituistis ope.
Saluete heroës, & quæ sanctißima tellus,
Fratrisq; ac matris, & patris ossa tegis.

IN ASYLO.

MEMORIAE D. HERCVLIS ESTENSIS *Ducis II.*

Hic Alphonso Neapolitanorum regi, ob egregiam indolem, charissimus, cum Galeatio Pandono viro illustri ac fortissimo, vixdum adolescens, non sine maxima laude singulari certamine depugnauit: ad Molinellam Venetorum exercitum hostili

ſtili impetu grauiter laborantem virtute ſua conſeruauit:neq; prius acriter pugnare deſtitit,quàm repulſis hoſtibus, plumbea glande dextrum pedē ſauci', ex prælio diſcedere coactus eſt. Multa, imperiū adeptus, ad vrbis ornatum excogitauit perfecitque. Aulam regiam commodiorem pulchrioremq; reddidit:innumeras domos, noua fora, publicas porticus marmoreis columnis inſignes, caſtelli veteris molem iampridem inchoatam celeriter & exactè conſummauit. Belliguardi palatiū auxit atq; exornauit.Belflorem incēdio conſumptum reſtituit:arcē nouam ad Eridanū poſitam meliori ſtructura & amęnis hortis additis, multo decentiorem refecit;aqua ex Padi alueo plumbeis fiſtulis in vrbē traducta, perennes fontes inſtituit. Templis ferme omnibus inſtauratis, atq; ad ampliorem & auguſtiorē formam redactis, noua poſuit:& ea omnia præclaris muneribus ditauit. Paluſtres agros ad culturam redegit: antiquorū Comœdias, ac veteris ſcenæ modos actuſque retulit: plurimaq; ad ſpectatorum hilaritatem, inuſitato ſumptuoſoque paratu,actibus interpoſuit. Hunc nouum vrbis ambitum in ſeptentrionem vergentem,antiquæ vrbi addidit: crebriſq; propugnaculis turritis,& inexpugnabilibus muris, lata ac pręcipiti foſſa, lateritijs pontibus ſuper conſtructis, celerrimè communiuit. Tot magnificis operibus breui perfectis, tot publicè priuatimque collatis beneficijs,tot clariſſ. virtutum ratione habita, Auguſti & P.P. nomen merenti, S. P. Q. Ferrarienſis, hanc equeſtrem ſtatuam viuenti poſuere. ad quam ſi quis intra ambitum X X. P. confugientibus vim attulerit,ſe læſæ maieſtatis crimen incurriſſe non ignoret.

CLE-

CLEMENTI OCTAVO
Pontifici maximo, Principi optimo,
patri patriæ,
Domino nostro beneficentiss.
Qui Ferrariam, Petri Card. Aldobrandini
fratris F. Pōtificij exercitus moderatoris,
virtute receptam,
sui & sacri Senatus aduentu, decorauit.
Vectigalia à Ducibus quondam imposita,
aut sustulit, aut imminuit.
Centumuirale consilium, ac decemuiralem
Magistratum annuo censu
ad tuendam dignitatem,
& publicos sumptus faciendos attributo,
instituit.
Quinque virorum tribunal ad lites iustè
ac celeriter dirimendas,
stipendijs perscriptis erexit.
Nouam arcem præsidio ciuitatis exædificauit.
Margaritam Austriam magnificentiss. exceptam,
Philippo III. Catholico regi coniugio iūxit.
Duobus maximis conciliatis regibus
Optatam Christianæ reip. pacem peperit.
Postremò vrbem repetens, apud Ferrariēses ciues,
de quibus optimè priuatim ac publicè
meruerat, ingens sui desideriū reliquit.
Ne tot tantorumq; beneficiorum
erga hanc ciuitatem
memoria obliuione intercidat,
FRANCISCVS ex Comitib. BLANDRATAE,
Et S. GeorgI Cardinalis, S. Clementis
Flaminiæ Legatus, eiusdemque Cardinalis
Aldobrandini Ferrariæ Collegatus,
poni mandauit. M.DC.II.

IN CA

IN CATHEDRALI.

Quid hospes astas? tymbium
Vides GIRALDI LILII,
Fortunæ vtramq́; paginam
Qui pertulit, sed pessima
Est vsu altera, nihil
Opis ferente Apolline.
Nil scire refert amplius,
Tua aut sua. in tuam rem abi.

LILIVS GYRALDVS Prot. Apost. mortalitatis memor, annum agens LXXII. V.S.P.C. Anno M. D. L.

HIERONYMVS RYNTIVS

Hoc sibi viuens monumentum P. suos optans manes in perpetua esse eius numinis fide, cui in Sacello dum viueret, piè semper operatus est. Anno Domini M. D. XLI.

IN D. STEPHANI.

DE RESTAVRATIONE ECCLESIAE.

Cùm anno M. D. LXX. die XVII. Nouemb. tertia noctis hora, quam maximus terræ motus hanc præclarissimã vrbem ita conquassasset, vt eius fortissima mœnia, munitissimas arces, alta palatia, religiosa templa, sacratas turres, omnesq́; ferè ædes omnino euertisset, & prostrasset, vnà cum maximo ciuium damno, atque acerba clade, adeò vt omnes maximo metu perterriti, relictis caris & ornatis domibus, cæterisque suis bonis, in lugubria cœmiteria, in lutosos hortos, atque demum, relicta ipsa vrbe in syluestres agros, in pauperibus tugurijs

gurijs atq; in humilibus tentorijs tota hyeme prægelida & aspera degentes, passim diffugerent: hoc sacrum Diui Stephani templum ipso terræmotu scissum, fractum, atque ferè collapsum, pijssimi Parochiani & Reuerendus Vinitius Segantus illius Rector, Dei & ipsius Diui Stephani protectoris auspicijs, in pristinum statum ipso etiam terræmotu nondum cessante, restitui curarunt, Anno M.D. LXXI. D. XVIII. Septembr.

DE HOC TERRAE MOTV ALOYSIVS LVSINVS ITA LVSIT.

Diluuium, terra motus, contagia, paßim
Bella, fames: mundi quid reliquum exitio est?
Ignis & ipse propè est, vnde hac? ex arce Tonantis.
Tot mala quid mundo congerit? impietas.
Anne salutis adhuc spes vlla est? vnica. Quisnam
Porriget hanc? Pietas. hac vbi? nullus habet.
Quid stas munde? rue, vt pietas est nulla. ruentem
Iam video: auxilium numina læsa negant.

CORNELII BRVNI.

Viator siste gradum, quid spectas?
Fui, & fueram, nunc sine vita
Excubias ago. idem tu, & alij. Benè vale.

IN AEDE D. DOMINICI SVPRA OSTIVM BIBLIOTHECAE IN SEPVLchro *Cælij Calcagnini.*

INGREDIENTIBVS.

COELIVS CALCAGNINVS Apost. S. Protonot. viuus sibi posuit. Hoc scilicet deerat temeri-

tati humanæ, vt eorum curám susciperet, quę neq; viuis, neque mortuis essent profutura.

EXEVNTIBVS.

Cùm CAELIVS CALCAGNINVS nihil magis optauerit, quã de omnibus, pro fortunæ captu, optimè mereri : decedens Bibliothecam, in qua multò maximam ætatis partem egit, in suorum ciuium gratiam publicauit, & in ea se condi mandauit. Tu quisquis es, rogo, vt hominis B. M. manibus Deum propicium preceris. Ex diuturno studio inprimis hoc didicit, MORTALIA CONTEMNERE: & IGNORANTIAM SVAM NON IGNORARE.

BEATRICIS IOCVLAE SALIMBENAE.

Tria cum maxima haberet BEATRIX IOCVLA clariss. Sigismundi Salimbeni filia; generosum spiritum: constantissimam fidem : & castiss. corpus: aliud in beatorum sedes; aliud in cari coniugis Albertini, ex nobili Ioculorum gente pectus migrauit: qui cum summo voluntatis & consiliorum tenore vixerat. quod tertium erat, hîc iacere vides, non sine magno omnium dolore & desiderio. vbi & amantiss. maritus, cùm superis visum fuerit, eximiæ beneuolentiæ gratia, conquiescit. Anno salut. human. M. D. XL.

D. O. M.

Progenite antiquis Mutinæ sub mœnibus altæ,
Marmoreo hoc tumulo BARTHOLOMAEE (iaces.
Diuini interpres iuris, quæsitor & huius
Relligionis eras, Philosophusq; grauis.
Non valet hoc animi virtutem abolere sepulcrum,

Quam-

Quamuis defunctum corpus & ossa tegat;
Nunc te delatum cælo Probitasq; Fidesq;
Seraphicos inter conserit alma choros.
An poterant maiora tibi contingere? cui laus,
Viuere magna fuit, gloria magna mori.
M. CCCC. XLVIII.

NICOLAI LEONICENI.

Nicolao Leoniceno Vicentino, qui sibi Ferrariã patriã maluit; vbi annos LX. Italos & prouinciales magna celebritate Græcè & Latinè instituit; continua serie apud principes Estenses magno in honore habitus; vnus omnium magis pectore, quã lingua Philosophiã professus; rerũ naturæ abditissimarum experientissimus. qui primus herbariam penè desitã, & syluã rei medicæ iniuria temporum negligenter habitã, in disquisitionem; magna spe mortalium, reuocauit: in barbaros cõditores pertinaciter stylũ perstrinxit: & studio veritatis cum omni antiquitate acerrimè depugnauit.

Annos natus VI. & XC. cùm iam æternis monumentis in arcem immortalitatis sibi gradum fecisset, homo esse desijt. Alfonsus Estensis Dux III. & S. P. Q. Fer. B. M. posuêre. 6. Id. Iun. anno 1524. Bonauentura Pistophilo grato ipsius discipulo procurante.

Cui neq; sat fuit, & terras euoluere, & vndas,
Quæq; arcana tenent flumina, terra, mare.
Dum rerum caussas latè vestigat, & agra
Morborum reuocat corpora colluuie.
Nunc LEONICENVS tegitur paruo aggere terræ,
Cuius vtramq; volat fama per Hesperiam.
PETRVS MYRTEVS POS.

DEO IMMORTALI MAX.

HVGONI BENCIO Senensi, Philosophorum omnium, ac Medicorum suę ætatis facilè Principi, parenti opt. ob excellentem doctrinam de vniuerso hominum genere B.M. filij poss. XI. Kalen. Decemb. anno M.CCCC. XLVIII.

DOMINICO ACCIO,

I. V. insignia vix adepto, suauiss. moribus optimisque litteris prædito, religione in Deum Opt. Maxi. ardentissimo, caritate in Patriã carissimam flagrantissimo, nihilominùs tamẽ immatura morte præuento, tumulum hunc CATHARINA filio dulciss. & Io. Iac. fratri suauissimo, non sine lacrumis P. C.

FRANCISCI SACRATI.

Hac Eques insignis tegeris, Francisce, sub vrnâ,
Sacratæ quondam firma columna Domus.
Morte tua doluit Princeps, Populusq; Patresq;,
Et pudor, & socia cum probitate fides.
Hoc memores nati clauserunt membra sepulcro,
At pia sidereas incolit vmbra domos.

HIERONYMI SAVANAROLAE.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, pascitur artus,
Relligio sanctas dilaniata comas
Fleuit, & (ô) dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.

M. ANT. FLAMINIVS POS.

DOMINICI BONDII,

Qui à prima adolescentia Græcis latinisque litte-

litteris peritissimè imbutus, ingenij atque industriæ laude semper claruit: Philosophiam verò Medicinamque Ferrariæ multos annos publicè profitendo, acutissimè, diligentissimè, atque integerrimè cum omnium fauore docuit, ac exercuit, de vniuersa autorum antiquitate, vt de sua ipsiusmet ætate, optimè meritus; nisi fortè nullo tantæ eruditionis superstite monumento, ambitionis etiam aliquid in molestissimo viro desiderare possit posteritas.

Mî domus hac requies curarum sola mearum,
Omnibus vna meis certa medela malis.

IBIDEM.

Cæsar, Alexander, tumulo Traianus in isto
Clauduntur, nec tres clausos tenet vrna, sed vnum,
Scilicet Estensem, sublatum in sidera Borsum,
Cuius erant mores tantorum in pectore regum.

IANI PANNONII, EPISCOPI QVINQ. ECCLESIENSIS, POETAE celeberrimi.

Hic situs est IANVS, patrium qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc saltem titulum, liuor permitte sepulto,
Inuidiæ non est in monumenta locus.

IBIDEM.

SEBASTIANO CLARIGNANO acerrimi ingenij viro, & in scena, siue risus vrbanos moueret, seu Tragico fletu pulpita quateret, Cynthius Ioannes Baptista Gyraldus amicus amico optimo

ac benè merenti posuit. Vixit annos LXIV. Mens. VIII. Obijt anno M. D. LI. III. Non. Sextilis.

Te, Rosci, extincto perijt res Comica, teq;,
AEsope, extincto, regia scena perit.
Ambas Monsfalcus Stygijs reuocarat ab vmbris,
Et dederat vita nobiliore frui.
Nunc ipso erepto, prorsus periere, nec vlla est
Spes reliqua, amissas demere posse neci.
Melpomene hinc tragico flet tristia fata boatu,
Et laniata sinus mœsta Thalia gemit.
Cynthius occasum veteris miseratus amici,
Supremos cineres condidit hoc tumulo.

APVD SERVOS.

PETRVS MONFERRATVS,

Honorariæ potestatis accensus, dum operam ciuibus pestilentia laborantibus præbet, noctu equi calce ictus in abdomine, magnum suæ sedulitatis desiderium populo, & decurionibus Ferrariensibus reliquit. Ioan. Hieronymus, parentē optimum lugens, pos. Anno salutis M. D. XXVIII.

PICTORIS CVIVSDAM.

Occubat hic proles pictoria: va tibi, mundum,
Et sua quisquis amas, huc nihil inde feres.
Huc nihil inde feres, guttam hic à paupere diues
Poscit aqua; mundum, va tibi, quisquis amas.

APVD CARMELITAS.

LVDOVICO ARIOSTO.

LVDOVICO ARIOSTO poëtæ, Patritio Ferrariensi,

rarienſi, Auguſtinus Muſtus tanto viro, ac de ſe bene merenti, tumulũ & effigiem Marmor. ære proprio P. C. Anno ſal. 1573. Alphonſo II. Duce. Vixit ann. LXIX. obijt anno 1533.

Heic ARIOSTVS eſt ſitus, qui Comico
Aureis theatri ſparſit vrbanas ſale:
Satyraq; mores ſtrinxit acer improbos.
Heroa culto qui furentem carmine,
Ducumq; curas cecinit atq; prælia.
Vates corona dignus vnus triplici.
Cui trina conſtant, quæ fuere vatibus
Graijs, Latinis, virq; Hetruſcis ſingula.

IBIDEM.

Ludouici Arioſti humantur oſſa
Sub hoc marmore, ſeu ſub hac humo, ſeu
Sub quicquid voluit benignus hæres,
Siue hærede benignior comes, ſeu
Opportunius incidens viator.
Nam ſcire haud potuit futura. ſed nec
Tanti erat vacuum ſibi cadauer,
Vt vrnam cuperet parare viuus.
Viuens iſta tamen ſibi parauit,
Quæ ſcribi voluit ſuo ſepulcro,
Olim ſi quod haberet is ſepulchrum.
Ne cùm ſpiritus, hoc breui peracto
Præſcripto ſpacio miſellus, artus
Quos ægrè antè reliquerat, repoſcet,
Hac & hac cinerem hunc & hunc refellens,
Dum noſcat proprium, diu vagetur.

Tu repetis cœlum; & terras, ARIOSTE, relinquis
Et loca iam meritis inferiora tuis.
Nos miseri, & curis longè mortalibus acti,
Non tibi, sed nobis fundimus has lacrymas.
Gloria te niueis subducit in æthera bigis;
Nos sine te luctu perpetuo opprimimur.
CAELIVS CALCAGNINVS POS.

ANGELI GAMBILIONIS de Aretio, perspicacium ingeniorum alumno, oriundi; perplexarum LL. enodatoris, interpretisque; fama noti super æthera; summis ac infimis gratissimi integritate; comitate graui; genere, diuitijs b. modo partis, numerosa, & ingenua liberorum sobole ornatiss. viridi senecta religiosissimè extincti, ossa hic molliter quiescunt.

IOANNI MANARDO FERRARIENSI, VIRO VNI OMNIVM INTEGERrimo, *ac sanctiss. Philosopho ac Medico doctiss.*

Qui annos P. M. LX. continenter tum docendo & scribendo, tum innocentissimè medendo, omnem medicinam ex arce bonarum literarũ foedè prolapsam, & in barbariæ potestatem ac ditionem redactam, prostratis ac profligatis hostiũ copijs, identidem vt Hydra renascentibus, in antiquum pristinumque statum ac nitorem restituit: lauream omnium bonorum consensu adeptus, IV. & LXX. annum agés, omnibus omnium ordinum sui desiderium relinquens, humili se hoc Sarcophago condi iussit, Iulia Manarda vxor, quod ab eo optabat, posuit.

Hæc

Hac breuis exuuias magni capit vrna Manardi:
Nam virtus latè docta per ora volat.
Mens pia cum superis cæli colit aurea templa,
Hinc hospes vitæ sint documenta tua.
Anno M.D.XXXVI. in Martio.

CYNTHIVS GYRALDVS.

Non hac, quā spectas, claudit breuis vrna Manardum
Claudere tam magnum nam breuis vrna nequit.
Est ipsi tumulus, quicquid sol lumine lustrat,
Est, quicquid magnus proluit Oceanus.

IN S. MARIAE.

Quis fuerim, quid egerim, qui monumentum posuerint, si tua scire refert viator, hanc ædem ingressus scito: manibus bona precare, sicque viue, vt &, cùm vixeris, viuas. Ex bonis defuncti positum, qui in interiori pariete sepultus est.

D. O. M.

IACOBO CAGNACINO I. C. qui post perfunctos in patria summa æquitate Magistratus, ad publiceque docendi munus, magna sui nominis gloria, doctrinæ ergò accersitus Ticinum, morte præuentus obijt, anno M.D.L. Amici B. M. F. curarunt.

IBIDEM.

Hic Baptista iacet Stabilinus marmore, viuus
Nunquam quieuit, at quiescit mortuus.
H. M. H. N. S.

HIERONYMI BELLACVMBAE.

Vale anima candidissima. vale tuorum paren-

cum, quos dolore & luctu conficis, æternum desiderium. Vale & huius patriæ, quam tua hinc migratione miserabiliter orbasti, & Musarum, & huius ætatis immortale decus. Vale animula blandula, & in numerum deorum tam breui vitæ spacio recepta. Vale rursus, & si animæ vllus est sensus; donec recto ordine te, sicut natura concedet, assequemur; nostri memor.

IN AEDE B. VIRGINIS DEL-
LA PORTA.

CATHARINA AVRICHALCA, nec mulier, nec vir, atandrogyna potius, quæ cùm ter modò mater esset, heic, ô rem miseram, iacet. cuius quidem nominis memoriam cupidus eius vir amplifs. monimentis consecrare, in sui nomine, suisque hæredibus, hoc commune statuit condi sepulcrum. XII. Kal. April. Anno 1550.

IN AEDE B. MARIAE ANGELORVM.
ALOYSII PANCRATII.

Quisquis adis magna templum venerabile Matris,
Ad noua ne pigeat sistere busta pedem.
Quid cupiam, nomenq́; meũ, Patriamq́; Domumq́;
Versibus his paucis verba notata docent.
Ille ego Campanis ALOYSIVS ortus in oris,
Vrbs cui natalis Parthenopea fuit:
Quem genuit claro Pancratia sanguine proles,
Cui decus eximium Martia dextra dedit.
Qui toties ausus forti certare duello,
Exuuias domito victor ab hoste tulit.
Gallia semper erit, semperque Britannia testis
Pugnarum, & multis parta trophæa locis:
Estensi tandem senio confectus in aula

Hic to-

Hic tegor. hæc de me sint tibi nota. VALE.

IBIDEM.

Herculis hic Stroſſa tumulus, quem condidit vxor
Mœrens, Taurella BARBARA gentis honos.
Plus dederit quamuis, non hæc, Mauſole, meretur
Plus tua: fortuna hæc non pietate minor.

ANT. TIBALDEO Auct.

Obijt an. ſalut. hum. M. D. IIX.

IN D. PAVLI.

Hunc tibi conſenſu tumulum Ferraria magno
Pro meritis poſuit, clare GVARINE, tuis.
Tu pater eloquij; gemina tu gloria linguæ;
Præcipuus iuuenum tu moderator eras.
Te duce, noſtra vigens ſtudijs florentibus ætas,
Pierio priſcis certat honore viris.
Ne Verona minus, tali ſe iactat alumno,
Quam veteres celebri nomine tollit auos?
Primus, & extremus te nouerat orbis, & vltra
Humanum virtus ſe tulit iſta gradum.
At nos hic ſenio reſolutos condimus artus,
Candida ſydereas incolit vmbra domos.

Obijt anno ſaluatoris M. CCCC. LXXI. die IIII. Decembris.

IOAN. MARIA VERRATVS

Ferrarienſis, Carmelita Theolog. poſt multos labores in ſacris Scripturis interpretandis, Populoque Chriſtiano publicè, ac pijs concionibus erudiendo, impiorumque dogmatibus cum ſcribendo, tum dicendo expellendis, Bibliothecam, collectis vndequaque omnibus omnium generum ac ordinum optimorum auctorum ſcriptis, ſuo ſum-

sumptu his in ædibus instruxit, hoc D. Iacobo sacellum erexit, honestoque reditu, pro studijs eorum, qui carmelit. familiæ addicti sunt, eruntque iuuandis, auxit, & eandem, mortalitatis suæ memor, hanc vrnam, quâ, cum fato functus fuerit, ossa sua tegerentur, sibi viuens P. C. Obijt an. M. D. LIII.

IN DIVI FRANCISCI.

RVBERTI TROILI.

Ille ego, qui nunquam, Mauors, tua signa reliqui,
Pro patria promptus fata subire mea.
Post varios tandem casus, vitaque labores,
Rubertus tegor hoc Troilus in tumulo.

M. D. XXX. Mense Iunio.

IBIDEM.

GILLINO Episcopo Comaclensi, vtriusque Iuris Doctori, Comiti Palatino, & Equestri Ordine insigni, amplissimis Germaniæ, Galliæ, & Romanæ curiæ Legationibus honorificè, & ad vota functo, & illustrissimis Atestinæ familiæ Ducibus præcipue carissimo: qui tanta liberalitate in pauperes opes suas effudit, vt in acquirendis moderatiórne fuerit, an in elargiendis intemperantior, difficile sit cognitu; & quem, annos natum LXXXII, vitam sanè, si ad labores, nimis diuturnam, si verò ad eius virtutem, & patriæ desiderium spectes, perbreuem, mors improba nobis eripuit; superstites pietatis ergô posuerunt. Obijt autem XII. Kalend. Ian. M. D. LIX.

D. O. M.

GERARDO SARRACENO Iurisconsulto, maxi-

maximâ apud Alfonsum Ferrariæ Ducem auctoritate, & Francisco eius filio, item Iurisconsulto, tanta in foro nominis celebritate, vt litigatores acrius de eo sibi patrono cooptando, quàm de caussa ipsa disceptarent. Vixit annos LVI. Gerardus & Opizzo fratres, Auo & Patri monumentum hoc, qualecumque est faciendum curauerunt; magnificentius curaturi, si eis suam ipsorum pietatem magis, quàm paternum testamentum exequi licuisset. Anno M. D. LVII. XIII. Cal. Apr.

AENEAE VICO

Nobili Parmensi, C.R. Alfonsi Ducis II. Ferrariæ antiquario, antiquaria in antiquario versanti, tumque ipsis versis ad humum verso tandemque collapso, & repentino obitu suffocato, imaginibus tamen penè spirantibus, scriptisque suis immortalibus subleuato, & vitam perpetuam respiranti CATHARINA vxor mœstissima posuit, Anno M.D.LXIII. Vixit ann. XLIIII.

FRATRIS AVGVSTINI RICHINI.

Flens veni in terras, & flens discedo, fuitque
Dum vixi, fletus, vita, dolor, gemitus.

PATAVINA.

IN PATAVIVM IVL. CAES. SCALIGER.

HVc antiqua Deûm Domus Ilium, & inclyta bello
Robora, Dardanios exposuere lares.

Dec-

Decepti patrias, non victi, amisimus oras.
Perpetuis, res est Græca, valere dolis.
Qui vicere, suos ideò amisere penates:
Ast noua sunt profugis regna parata viris.
Arma decent Teucros, vafros sapientia, Graios:
Victis Euganeis pectus vtrumque dedi:
Regna, vides, Veneto Phrygijs maiora ruinis,
Atticaqúe à Patauo pectore terra capit.

LVCIAE SOLIS.

Extinctum est Pataui lumen, nam Lucia Solis
Lux ipsa hinc lucem sustulit ad superos:
Inter & astra micat Veneris Comes, æmula Solis:
Non erat illa diu his digna manere locis.

LAZARVS BONAMICVS F.

In eandem HIERONYMVS PANICVS.

Solis honor, lucisqúe decus, benedictaqúe verè
Occidit; heu tristis Cypris Amorqúe dolent!
Dant gemitum Charites cineri, pia thura, Cupido,
Ex arcu & pharetra, constituitqúe Pyram,
Impositiqúe rogis, vna exarsere lepôres,
AEgra Venus cineres texit, & ossa cado.
Quisquis amat, largis conspergat fletibus vrnam,
Quâ tegitur, pulcri quicquid in orbe fuit.

D. M. SACR.

FRANCISCO ZABARELLIAE Florentiæ Archiepiscopo, viro optimo, vrbi atque orbi gratissimo, diuini humaniqúe Iuris interpreti præstantissimo: In Cardinalium Collegium, ob summam sapientiam, cooptato: ac eorundem animis

Pontifici propè Max. Ioan. XXIII. eius senatu abdicato, ante Martinum V. ob singularem probitatem, in Constantien. Concilio destinato: Ioannes Iacobi viri clarissimi filius id monimenti ponendum curauit. Vixit ann. 78. Obijt Constantiæ 1417.

IACOBI DONDI.

Ortus eram Pataui IACOBVS, terraque repondo,
Quod dedit, & calidos cineres breuis occulit vrna;
Vtilis officio patriæ, sat cognitus orbi.
Ars Medicina mihi, cælumque, & sydera nosse,
Quò nunc corporeo resolutus carcere pergo.
Vtraque nempè meis manet ars ornata libellis.
Quin procul excelsæ monitus de vertice turris,
Tempus, & instabiles numero quod colligis horas,
Inuentum cognosce meum, gratissime lector,
Et pacem mihi, vel veniam tacitusque precare.

MERCATELLORVM FRATRVM.

Siste gradum, viator, atque hæc pauca, si libet, lege.

AND. BARTHOL. NICOLAVS, fratres
MERCATELLI hîc siti sumus.
Posuere superstites HIER. BERNARD. nepotes,
De nobis fortassis alij alia: nos nihil aliud.

IN DIVI ANTONII.

SIMONI ARDEO, Minoritanæ Religionis splendori: qui dum ex Patauinis Athenis omnes terras illustrasset, Philosophorum & Christiano-

ſtianorum Theologiam ſumma cum laude omnium, inuidia ſuperata, profeſſus, viam tandem vniuerſæ carnis ingreſſus, dormiuit in Domino. F. Bernardinus alumnus rerum & cognominis hæres non ingratus Pos. Obijt anno M.D. XXXVI. ætat. ſuæ LXV. III. Cal. Maij.

AD PETRI BEMBI IMAGINEM.

PETRI BEMBI Card. Imaginem Hieronymus Quirinus Iſmerij F. in publico ponendam curauit: vt, cuius ingenij monumenta æterna ſint, eius corporis quoque memoria ne à poſteris deſideretur. Vixit annos 76. M. 7. D. 29. Obijt 15. Calend. Februarij, anno 1547.

IN LAPIDE LYDIO.

Hanc ALEXANDRI CONTARENI, Venetæ claſſis, cum ſumma poteſtate fortiſſimi Legati, Diui Marci Procuratoris, quem nec venti in periculoſiſſimis Reipublic. temporibus retardarunt vnquam, & Hariadenus Barbaroſſa Othomanicæ claſſis Imperator potentiſs. ſæpe timuit: tam admirabili artificio ductam effigiem, magni indicem animi, præclaramque totius maritimæ diſciplinæ ſimulacrum, vt poſteritas haberet, quod inſtar immortalitatis ac gloriæ vnicè coleret, nec quicquam Patauino ſplendori deeſſet: Petrus & Randulphus frat. opt. P. Vixit an. LXVII. D. XIII. Obijt Cal. April. M.D.LIII.

GATTAMELATAE.

Dux bello inſignis, Dux & victricibus armis
Inclytus, atque animis GATTAMELATA fui.

Nar-

Narnia me genuit, media de gente, meoque
Imperio, Venetûm sceptra superba tuli.
Munere me digno, & statua decorauit equestri
Ordo senatorum, nostraque pura fides.

CORRADI SALAE.

SALA fuit genti cognomen, sal neque menti
Defuit: heu, fato minuuntur cuncta parato!
Corda duo gessi CORRADVS, inertia pressi.
Me fidei meritum lustrauit gloria legum:
Nec solum per sto hic, DANIEL mihi filius esto
Conclusus, totidem fultus virtutibus idem.

ALIVD.

NICOLAVS CATARVS vir optimus, in amicos officiosissimus, rei bellicæ ita peritus, vt exemplum desit, & in Rempublic. Venetam adeò fidelis, vt parem fortassis aliquem, superiorem verò habuerit neminem. Is Veneto Senatui, sub cuius Imperio per XL. annos militauit, adeò carus fuit, vt nec pace, nec bello ab expeditione vnquam vacuus fuerit: & vbi maius periculum instaret, ibi fuit præsidio: Cùm summis militaribus honoribus functus esset, obijt à Christi natali die M. D. XL. ætatis autem suæ LXXVII.

BRIXIAE OPPIDO.

Huius cineres, & ossa, hunc in locum ab Antonio filio Iureconsulto relata.

IBIDEM.

ROLANDO, & AYCARDAE indolis optimæ, ROLANDINVS PLACIOLA filijs sarcophagum.

Præter amare Deum, cum cetera deleat ætas:
Hîc sere, quod plena post modò falce metas.

ANTONIO TVBETAE

Paduano, Athenien. Antistiti: qui publicè Metaphysica annos II. & XL. professus est, D. Antonij Prouinciæ annos super XX. præfuit, pluraque edidit anno ætatis altero & LXXX. naturæ cessit, hospitium ad hoc nunquam reuersurus. M. D.XVIII.

Orphea fama refert pisces, volucresque, ferasque,
Infernumque canem conciliasse lyrâ.
Prisca fides iaceat. raptus super æthera præsul
Id tulit eloquio, quod tulit ille lyra.
Expulit hic sophia sordes, tenebrasque fugauit:
Extant ingenij plurima scripta sui.
Vnica seu Phœnix, vitam sibi morte nouauit.
Dic (rogo) perpetuum, qui legis ista, vale.

RAPHAELIS FVLGOSI.

FVLGOSVS RAPHAEL *virtutum iaspis, vtroque*
Iure stupor, tantus qui fama, quantus & orbis,
Scriptis morte vacat, tam paruo clauditur antro.

EIDEM.

Emerita prædigna gerens cognomina laudis
Fulgosus Raphael conditur hoc tumulo.
Consuluit nemo meliùs, fulsitque docendo
Cæsareas Leges, Iuraque Pontificum.
Claruit eloquio, quem blanda Placentia forma,
Et genere insignem, mente piumque dedit.
Cuius anima in pace quiescat.

ALVA-

ALVATORVM MONVMENTVM.

Amice, qui istac transis, etsi properas, lapis hic te rogat, vt paulisper inhæreas, & hæc scripta legas. Hac in Basilica Beati Ioan. Baptistæ sunt Iacobi Aluarotti insita ossa. qui dum vixit suo studio & doctrina post susceptas doctrinales infulas, commentarios vtiles, cum Repertorio, in Ius Feudale formauit, eosque venerandæ vniuersitati Iuristarum donauit. Volui vt ista non ignores, & pro anima ipsius ores.

ø. 18. Iulij M. CCCC. LIII.

D. O. M.

ERASMO A KRETCHOVV, Polono Palitinidæ Brzesten. Castellano Gnesnen. Pisdren. &c. Qui ann. ætatis suæ quinquag. obijt Patauij, die Maij XVI. M. D. LIIX. Amici P.P.

Hic te Cretcoui mors & tua fata manebant;
Cùm terras omnes, & cùm maria omnia circum
Lustrares, nullo defessus membra labore.
Te rapidus Ganges, gelidæque Borysthenis vnda,
Te Tagus & Rhenus, te ripa binominis Istri,
Et septemgemini nouerunt ostia Nili.
Nunc concessisti magnum visurus Olympum,
AEthereasque domos, vbi Dijs immistus inanes
Et curas, & spes hominum, lamentaque rides.

Et hoc de consensu nobilium de Lanzarotis, & ex eorum liberalitate.

IACOBO ROSEO

Theologo Minoritæ, patria Dandaco, natione Siculo, animi candore, Christianæ religio-

nis studio, morum integritate, doctrina, prudentia, & charitate insigni, qui varijs laboribus, ærumnis, & morbis in Concilio Tridentino confectus, hîc tandem, quod semper optauerat, obdormiuit in Domino. Cornelius Mussus Placentinus, Episcopus Bitontinus, illi vni proximè & secundum Deum, virtutes, honores, fortunas, omniaque denique accepta referens, tanquam patri de se optimè merito, perpetuum sanctissimæ educationis monumentum posuit.

Mortali optasset tecum Cornelius vnà
Carcere ad ætherias Rosa redire domos:
Non licuit. quando ergo tibi summa omnia debet,
Formasti enixu quem pater ipse pio.
Cùm nunquam posset meritas tibi reddere grates,
Virtutis tantæ tempus in omne memor:
Hunc tumulũ extruxit, morientem fleuit, acerbum
Vulnus adhuc animo nocte dieque gerit.

Vixit annos LXXV. M. X. Obijt anno Domini M.D.XLVII. Calend. Iunij.

IBIDEM.

HENRICO A CRAM, Germano, Saxoni, ex nobili familia, summæ pietatis, raræque modestiæ adolescenti continentissimo, ingenio humano erga omnes, & præcipuè pauperes liberali, optimarum artium cognitione, & Iuris Ciuilis scientia ita instructo, vt suis magno decori esset, Reipublic. ornamento maximo futurus. Postquam absoluto penè studiorum cursu, in ipso reditu ad suos, acerbissima febri oppressus, animam Deo, corpus terræ, amicis summo sui desiderio relicto reddidisset; Ascanius frater pientissimus, cum

cum sorore mœstissima posuêre. Obijt anno M. D. XLV. Octob. XXXIX. Vixit annos XX. Procurabant Bartholdus à Mandeslo, Conr. Filius, & Nævius.

O spes fallaces, curæ vaniqúe labores!
Omnia mors abolet, anxia vita nihil.
Disce mori, nec te ludat spes vana iuuenta.
Nam nescis statuant quem tibi fata diem.

IOANNIS DRENCVVARDO.

Quis hic, viator, conditus iaceat, rogas?
Est IANVS, è Drencvvardiorum familia
Natus Batauia nobili, in quem cum parens
Natura rerum cunctas animi & corporis
Dotes benignè contulisset, inuida
Mors, verita, ne immortalitate eum quoque
Viuum bearet, gloria hac, ait, mihi
Propria dicabitur: neque mora, manum inijcit,
Primoqúe in aui flore præceptum, vbi piæ
Animæ Deo fruuntur, in superûm plagas,
Sedesqúe transtulit beatas ætheris.

Vixit annos XXV. Obijt M. D. LI.
Idibus Augusti.

ERASMO DELPHIO.

Belgæ, Antuerpiensi, summæ virtutis & nobilitatis viro, qui, procul à patriâ, magno cum dolore omnium, ex deplorata valetudinis infirmitate extinctus est, amici mœsti B. M. posuit.

Τῷδε τάφῳ πατρίδος μέγα φῶς ἀνακεῖται Ἔρασμος
Δέλφιος, ὃς μνήμῃ ἔξοχος ἦν ἀρετῇ.
Ὃν διὰ τὴν παντὸς λίαν εὐσέβειαν φίλοι ἄνδρες
Θαύμασαν, ἀλλ᾽ αὐτοῖς ἄλγεα θῆκε θανών.
Τῷδ᾽ ἐπὶ κὴρ γήραι στυγερὸν ῥα φθόνησε μέλαινα
Αὐτὰρ ἐς οὐρανίους νῦν ἀνέβησε θεούς.
Ὅστις εἶ, ὃς σεμνοῦ ξένε τοῦτ᾽ ἐπὶ σῆμα παρέλθεις,
Ἡσυχίην ψυχῇ εὔχεο πολλὰ φίλῃ.

Quod est:

In hoc ſepulcro magnum lumẽ patriæ iacet Eraſmus
Delphius, qui virtute per quã memorabili clarus
Hoc ob facilẽ in omnibꝰ pietatẽ amici homines (fuit.
Admirati ſunt, ſed eos moriens dolore affecit.
Huic parca in triſti ſenectute inuidit funeſtã,
Attamen ad cæleſtes aſcendit Deos.
Quicumque es hoſpes, qui prope huius præclari viri ſepulcrum tranſis,
Tranquillitatem animæ precare multum gratæ.

Vixit ann. XXXVI. M. XI. D. VII.
Obijt VI. Kalend. April. M.D.XL.

IOAN. BAPTISTAE AMYCO

Conſentino, qui cùm omnes omnium liberalium artium diſciplinas miro ingenio, ſolerti induſtria, incredibili ſtudio, Latinè, Græcè atque Hebraicè feliciter percurriſſet; ipſo adoleſcentiæ, ſuorumque laborum & vigiliarum curſu penè confecto, à ſicario ignoto, literarum, vt putatur, virtutiſque inuidia interfectus eſt. N. F. amico opt. ſtudioſs. omnibus, totaque ciuitate Patauina mœrente, triſtiſs. P. Anno M. D. XXXVIII.

Præ-

Præmia, quæ referunt alijs, vitamq́ue perennem,
Virtutes; vni huic caussa fuere necis.

GABRIELIS FALLOPII MVTINENSIS.

FALLOPI, hoc tumulo solus non conderis; vnà
Est pariter tecum nostra sepulta Domus.

ANTONIAE FABRICIAE.

Siste gradum: iacet hîc ANTONIA, sanguine creta
Fabricio, terræ mortua, viua polo,
Hanc gemit ablatam mundo probitasq́ue decorq́ue,
Atque fides, paßis immaculata comis.

PIERIO VALERIANO.

Bellunensi, Poetæ, Rhetoriq́ue amplissimo, cuius pia vmbra non pœnitendum hîc tumulum sortita est. Nam vt optabilis in patria, ita speciosius Patauij supremi officij decus fato amissum, virtute recuperauit. Petrus Carrarius, ac Ioannes Baptista Rota, Patauini, vnanimes, grato hospiti Pos.

Pieridas dum PIERIVS sectatur, & Orci
Nil timet insidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem, æternæ ostentant hæ munera vitæ,
Hinc medius vitæ PIERIVS QVE neci.
Abstulit hæc annos tristes: at præmia laudum
Atque animam hæ seruant, inuida mors moritur.

D. O. M.

FRANCISCO ROBORTELLO Vtinensi, Rhethoricæ artis, moralisq́ue Philosophiæ Professori clarissimo, qui in florentissimis quibusque Italiæ Gymnasijs magna famæ celebritate triginta

totos annos publicè docuit. Natio Germanica præceptori bene merito, in perpetuam grati animi memoriam vnanimis P. Vixit annos L. menses VI. dies IX. Obijt XV. Kal. April. M. D. LXVII.

Consiliario Carolo Frolich à Frolichsberg.
Procuratoribus Georgio Rotmairo, &
Hugone Iacobi Roterdamo.

S. D. C.

Non sum Vlysses VENTVRIVS, sed fui, & ero. Nec Senæ amplius, nec Roma, sed cœlum patria est. Eques fui D. Pauli, in equitem nunc Christi commutatus. Quos non conspecturus in terris dereliqui mœstissimos, expectabo conspecturus in cœlis lætissimos. Iure Cæsareo supra ætatem fui ornatissimus: cupiensque eius scrutari originem, ad naturam accessi, primamque eius impleui legem: Orta moriantur: idque feci: Anno salut. M. D. LXX. AEtatis verò XXIII.

D. O. M.

Ianua gloriæ virtus est; per hanc ingressus Io. PAVLVS CONRADVS ætate adolescens, morum integritate & studiorum maturitate senex, citò eam assecutus est. Propterea Talleacotio sui generis patria derelicto, Patauium studiorum sibi similium patriam attingens, in eoque impurum, non nisi purum repetiturus, exuens, in patriam æternæ gloriæ euolauit. Præcox ingenium præcocia cuncta sunt subsecuta. Diuturniorem tamen hanc in terris memoriam fieri M. Propertius mœstissimus curauit. Sexto Kalend. Octobr. hora XXIII. satisfecit naturæ M. D. LXX.

IBIDEM.

ALEXANDRO SIRENAE Fulginati, generis nobilitate,& morum elegantia,ac probitate ornatissimo,aliarumque bonarum artium,ac potissimũ Latinæ, Hetruscæque Poeticæ peritissimo. Cùm quo totius Sirenæ familiæ, cuius vnicum erat germẽ,spes omnis extincta est,Baptista Sirena, & Columna Pontana parentes mœstiss.turbato, heu,naturæ ordine,filio optimo, & dulcissimo P. C. Vixit annos XXV.M.V. D. XXIV. Obijt III. Non. Febr. M. D. LXIV.

Lactantius Brunas, & Io.Bapt.Elmus procurabant.

IN D. AVGVSTINI.

Hæc magno domus arcta viro sub marmore paruo,
Heu! Pater hic patriæ,spesq́; salusq́; iacent.
Quisquis ad hoc saxum conuertis lumina,lector,
Publica damna legens, iunge preces lacrymis.
Illum flere nefas,sua quem super æthera virtus
Sustulit,humano si qua fides merito.
Flere grauem patriæ casum,fractamq́; bonorum
Spem licet,& subitis ingemuisse malis.
Quem Populo,Patribusq́; Ducem Carraria nuper
Alma dedit Patauo,mers inimica tulit.
Nullus amicitias coluit dulcedine tanta,
Cùm foret horrendus hostibus ille suis.
Optimus,inq́; bonis semper studiosus amandis,
Nescius inuidiæ,conspicuusq́; fide.
Ergò memor IACOBI speciosum credula nomen,
Nominibus raris insere, Posteritas.
M. CCC. LX. IX. Decemb.

BLANCAE BORROMEAE.

CANDIDA honor Pataui, immatura morte per-
Vt rosa vix florens vngue recisa, cadit. (empta,
Tecum omnis virtus, tecum omnis forma recessit:
AEterni meritò te voluere Dei.

Obijt anno M.D.LVIII.

IN DIVAE IVSTINAE.

IOANNI AQVILAE Patri pientiss. dolentes filij POSS.

Hic cineres; adijt melior pars astra IOANNIS.
Mirum, qui potuit? sed Iouis ales erat.

IN IMAGINEM SCIPIONIS ET BENEDICTI.

SCIPIO quid meruit? laurum. BENEDICTVS? Olympum.
Munus habent dispar; magnus vterq; labor.

IN AEDE SERVORVM MARIAE.

PAVLVS DE CASTRO I.C. disertiss. maximæ authoritatis apud omnes habitus; quod Florentia testatur, cuius ius municipale innouauit, & in ea coniugatus Petræ vxori, Vicariatus officium in spiritualibus Rom. Pontif. decreto exercuit, vbi etiam in Bononiensi & Patauino Gymnasijs publicè profitendo floruit, æternamque sibi gloriam comparauit, relinquens consiliorum & in Iure volumina plurima edita, quæ inter manus versantur, & ipsius Angelus filius, clarus ingenio, amborum Iurium tenens fastigia, XL. annos Patauij Iura docuit, eoque Nicolaus Canonicus Paduanus,

nus, qui ab his processit, vtramque & ipse parentum virtutem adeptus, hoc immortalitatis opus ipsis
Consecrauit anno M. CCCC. XCII.
Paulo de Castro auo, & Angelo patri,
Nicolaus suo ære donauit. 1499.

IN BASILICA D. IOANNIS PRAECVRSORIS IN VIridario.

LAZARI BONAMICI.

Quantũ ager Arpinas Ciceroni, atq; inclyta quantũ
Palladis vrbs debet Socratis ingenio:
Bassani, & Pataui debent tibi mœnia tantum,
LAZARE, quando illis vnus vtrumq; refers.

LAZARI BONAMICI, Catharinæque vxoris carissimæ in secundum Redemptoris aduenuentum quietis sedes. D. H. M. D. M. A. Obijt M. D. LII. ætat. LXX.

IBIDEM.

LAZARO BONAMICO Bassanensi, in quo vuo totius antiquitatis memoriam, eruditionem, iudicium, & eloquentium sibi redditam putans Europa, per annos XX. & I. Patauij admirata est, Catharina coniunx, & Lucretia Senis animula, benemerenti posuêre. Vixit ann. LXXIII. Obijt III. Id. Febr. M. D. LII.

HECTORIS PYRGOTELI.

Virtuti æquales annos quia Parca putauit,
Te rapuit iuuenem, dum putat esse Senem.

Pectora

Pectore seruabas memori, crinitus Apollo,
Ad medicam quicquid contulit vnus opem.
Sed quia temporibus superis neq; subdita virtus;
Hector eris, donec lumina solis erunt.

IN D. FRANCISCI.

HIERONYMO CAGNOLO Vercellensi, viro opt. & in Iuris Ciuilis scientia inter nostræ ætatis Doctores eminentiss. & propterea Taurini primũ, deinde Patauij, maiori stipendio, quàm quisquam alius, Ius Ciuile magna cum laude atque omnium admiratione professo, nob. gen. illust. Ducis Sabaudiæ munere Senatorio & Equestri dignitate perfuncto. fil. summa erga talem patrem pietate hoc mon. pos. Vixit ann. LIX. Obijt Kalen. Februarij M. D. LI.

D. O. M.

CHRISTOPHORO LONGOLIO Romanam ciuitatem propter insignem in studijs literarum præstantiam adepto, summo ingenio, incredibili industria, omnibus bonis artibus prædito, supra iuuentę annos: in qua extinctus est magno cum Italiæ dolore, cui ingentem spem sui nominis excitauerat.

P. Bembus, amico atque hospiti POS.

Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cùm scirent moriturum tempore nullo,
LONGOLI, tibi si canos, seniumq; dedissent.

ITEM.

LONGOLIVM insano Ciceronis amore flagrantem,
Mercurius nobis abstulit ante diem.

Scili-

Scilicet, ille sibi ne lingua auferret honores.
Heu! Diuos etiam liuor acerbè petit?

D. O. M.

LEONICO THOMAEO Veneto, mitioribus in litteris, Pangendisq; carminibus, ingenio amabili, Philosophię verò in studijs, & Academica Peripateticaque doctrina pręstanti. Nam & Aristotelicos libros Græco sermone Patauij primus omnium docuit publicè, Scholamque illam à Latinis interpretibus inculcatam, perpoliuit: & Platonis maiestatē nostris hominibus, iam propè abditam, restituit: multaq; præterea scripsit, multa interpretatus est, multos claros viros erudijt. Præter virtutem bonasque artes, tota in vita nullius rei appetens. Vixit autem annos LXXV. M. I. D. XVII.

P. Bembus amico incomparabili P. C. adscripto carmine, quod sibi viuus fecerat.

Νῦν ὄντως ἄδεις χ̔ ἀλλαις ὑπὸ πλάκι τῇδε
Ὕπνον ἐκοιμήθην πᾶσιν ὀφειλόμενον.

IOANNES LATOMVS.

Precare sacra verba, viator;
Nam THOMAEVS hic sepultus est.
Dulci fruitur memoria
Integritatis illibata,
Partaq; litterarum gloria.
Funde, puer, dulce merum,
Odoros sparge flosculos,
Spiret vt bustum, madeatq; tellus:
Illaq; sancta, & candida animula
Se totam nostra gratitudine inebriet.
Addemus titulum sepulcro & istum,

Barba-

Barbarus vt ne quis violet.

HIC IACET VIR VNVS OMNIVM DOCTISSIMVS, PIISSIMVS.

IBIDEM.

FRANCISCO CVRTIO Ticinensi, solius temporis honesta auaritia extincto. Vixit ann. LXX. Ius professus Patauij & Ticini.

IN BASILICA EREMITARVM.

DVORVM IVVENVM, GALLI, ET Poloni.

Siste, legas iuuenum crudelia fata duorum:
Alter aqua perijt turpiter, alter equo.

IN COMMVNI GERMANORVM SEPVLCRO.

Ne plores hic amissos, Germania, natos,
Tempore quemq; suo fata, locusq; manent.
Felices, ne conspiciant incendia mundi,
Ante mori summum qui potuere diem.
Cum nutante breui cœlum dabit axe ruinam:
Et tandem falsum non sinet esse Deum.

Anno Domin M. D. LXI.

Consiliario Nicolao Ribeysen, Procuratoribus Melchiore Haintzel, & Carolo Bambergo.

BEATRICI TVRRIANAE

Veronens. vxori incomparabili, VII. natorum matri, medio æuo part⁹ difficultate præreptæ, Hieronymus Turrianus Veronens. Medicus, viduati thori mœrore, dolēs maritus superstes, P. H. M. H. S.

D. O. M.

D. O. M.

THEODORO MOLLER, nobili Germano, ex Gambriuijs oriundo. Qui summa ingenij felicitate, doctrinarũ orbe ante annos absoluto, cũ Iurisprudẽtiæ sacris initiatus, magna Germaniç & Galliæ parte peragrata, excellẽtis doctrinæ & singularis iudicij rectitudine, viros principes in sui amorem & beneuolentiam certatim adduxisset; in Italiam profectus, dum indefesso conatu studiorũ metam consequi properat, immatura morte præuentus, ingenti patriæ, familiæ & amicis sui desiderio relicto, feliciter decedit. IOACHIMVS I. C. EBERHARDVS Reip. Gambr. Cos. Heinricus D. & Ioannes VV. Ampliss. FRS. Germani, desideratiss. FRI. hoc amoris & pietatis extremum officium exoluerunt. Vixit ann. XXIIX. M. II. D. XXIV. Moritur ann. nouiss. temp. M. IƆ. LXII V. Consobrino S. B. merito Eberhard. Tvvestrengh. procur. M. IƆ. LXXV.

IN AEDE CARMELITARVM.

NALDVS ego hic iaceo, monumentum, & gloria belli,
Non leuis Ausonios inter habenda Duces.
Assuetus bis centum equites & in omne periclum
Bis ternas peditum ducere Centurias.
Flamminiam medio furibundi ardore Gradiui
Ingenio rexi, seruoq; ab hoste manu.
Anglum dum premerẽ, ac intus premerentur Iberi,
Transfixit pectus plumbea massa meum.
Vixi lustra nouem, genuitq; Fauentia mater:
Vrbs Pataui sepelit, me gemit Italia.

Anno M. D. XXVIII.

IN S. LEONARDO.

Hac octo iacui iam lustra, vel amplius vrna,
Laeserunt tanta nec mea membra mora.
At dum, nescio quis, mihi nunc adiungitur alter,
Saucior, & lacero corpore damna fero.
Quisquis es, aut vita debebas parcere functo,
Aut dare, qui medica me modò sanet ope.
Accidit anno CIↃ. IↃ. LXII.

IN S. LVCIAE.

Lucida lucessis lucenti LVCIA luce:
Mens mea lucescat, LVCIA, mente tua.

IN AEDE S. SOPHIAE.

Insigni probitate iaces fidissima coniux,
Elisabetha mea maxima pars animae.
Mors tulit vna duos: te prima parte iuuentae,
Et nondum natum morte necat puerum.
Quid moror infelix? cur non & vestra secutus
Fata cado, eheu bis virq́;, paterq́; miser?
Bonfius extremum vobis hac munera tristis,
Et pater & coniux reddit Aloysius.

IBIDEM.

Epitaphium honorarium, auct. Iul. Caes. Scaligero.

Hic situs est FRACATORIVS HIERONYMVS: vrna
Quem capit, hic cepit pectore cuncta suo.
Sidera digessit, reuocauit funera, rerum
Naturae, imperij conscius, atq; Dei.
Aut Heliconiadum fontem sibi sustulit omnem,

Aut

Aut tumulus, vertex hic Heliconis, erit.
Obijt M. D. LIII.

IN TVMBA ANTENORIS.

Inclytus ANTENOR, *post diruta mœnia Troia,*
Transtulit huc Enetûm, Dardanidumq́; fugas.
Expulit Euganeos, Patauinam condidit vrbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

T. LVPATI PADVANI, MILITIS, IVDICIS, ET POETAE. OBIIT anno M. CCC. XCIX.

Id quod es, antè fui; quid sim post fata, requiris?
Quod sum, (quicquid id est) tu quoque lector eris.
Ignea pars cœlo, cæsa pars ossea rupi,
Lectori cessit nomen inane LVPI.

IN S. MARIAE DE AVANZO.

FRANCISCI CASSANI MEDICI.

Hic dedit antiquæ quòd erat mortale parenti,
Cassanus medicæ maximus artis honor.
Is pedemontanæ tantum decus atttulit oræ,
Quantum olim Cois ciuibus Hippocrates.
Esse senescenti inferior, sed magnus Apollo
Dum timet, heu cœlo maluit esse parem.
Conditur hic corpus, terreno carcere liber
Spiritus astra colit, fama per ora volat.
Obijt anno M. D. XLI. XX. Octob.

CASSANVS *liquit corpus mortale sepulcro,*
At laus præstantis non peritura viri est.

IN AEDE D. PETRI.

ISABELLAE RAVIGNANAE PVELlæ agreſtis.

Euganeas inter præſtans virtute puellas
Hic iaceo, indigno condita virgo viro:
Nam cùm me peteret laſciuum miles ad vſum,
Munera poſſe mori, magna fuere mihi.
Diſce, age, ſit quanti, virgo, ſeruare pudorem,
Pro quo nil timui perdere corpus aquis.

MONTERTONAE PROPE APONVM.

Triſtis eram, longo tenuit me Gallia bello;
Nulla erat in medico, ſpes neq; multa Deo.
Corripuit cuſtos audacter me meus. heus tu
Conſule te, & mentem volue nefande tuam.
Virgo tuis poterit ſuccurrere maxima votis.
Cur dubitas teneras ſoluere dure preces?
Filia ſponſa patris, mater ſpes vnica noſtra,
Oranti priſcam reſtituet faciem.
Tunc ego ſingultu & lacrymis pia vota reſolui.
Suſcepit voces diua Virago meas.
Lætus ago ingentes pro tanto munere grates
Virgo tibi, vitæ ſola medela meæ.

IN PALATIO PATAVINO.

SVB VETERI STATVA IN ANTIQVO lapide.

Oſſa, tuumq; caput ciues tibi, maxime LIVI,
Prompto animo hîc omnes compoſuere tui.
Tu famam æternam Romæ patriæq; dediſti,

Huic

Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hac, & si maiora liceret,
Hoc totus stares aureus ipse loco.

TITVS LIVIVS, IV. Imp. Tib. Cæsaris anno vita excessit, ætatis verò suæ LXXVI.

PRAETOR IVST. EQ. PRAET. OPT.

IBIDEM.

Inclyto ALPHONSO Arragonum regi, studiorum fautori, Reip. Venetæ fœderato, Antonio Panormita Poeta, legato suo orante, & Matthæo Victurio, huius vrbis prætore constantissimo intercedente, ex historiarum parentis T. Liuij ossibus, quæ hoc tumulo cōduntur, Brachium Pataui ciues in munus concessere, anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. XIV. Kal. Septemb.

IN GLOBO ALICVBI DEPENDENTE.

Maxilla & lingua T. LIVII in hoc globo continentur.

IBIDEM.

Ossa TITI LIVII Patauini, vnius omnium mortalium iudicio digni, cuius propè inuicto calamo, inuicti Popul. Roman. res gestæ conscriberentur.

SVB NOVA TITI LIVII IMAGINE HOC ELOGIVM EST.

TITVS LIVIVS Patauinus, historicorum Latini nominis facilè princeps, cuius lacteam eloquentiam ætas illa, quæ virtute pariter ac erudi-

tione florebat, adeò admirata est, vt multi Romā non vt vrbem rerum pulcherrimam, aut vrbis & orbis dominum Octauianum; sed vt hunc vnum inuiserent, audirentque, à Gadibus profecti sint. Hic res omnes, quas populus Romanus pace belloque gessit, quatuordecim Decadibus, mira styli facilitate complexus, sibi ac patriæ gloriam peperit sempiternam.

LIBRO, QVEM IN MANV TENET LIVIVS, INSCRIPTVM EST.

Paruus ignis, magnum sæpè suscitat incendium.

IBIDEM.

Pavlvs Patavinvs, Iurisconsultorum clarissimus, huius vrbis decus æternum, Alexandri Mammeæ temporibus floruit, ad præturam, præfecturam, consulatumque euectus. Cuiusque sapientiam tanti fecit Iustinianus Imperator, vt nulla Ciuilis Iuris particula huius legibus non decoretur, qui splendore famæ immortalis, oculis posteritatis admirandus, insigni imagine hac meritò decoratur.

IN PRAETORIO PATAVINO, SVB IMAGINE C. VALErij *Flacci.*

Caivs Valerivs Flaccvs, Patauinus, carmine heroico labores Argonautarum decantauit; quod opus fato præuĕtus imperfectū, inemendatumque reliquit, cum sui magno desiderio illorum temporum studiosis, imò vel testimonio Fabij Quintiliani, conquerentis, nuper in Valerio Flacco

Flacco multum amiſſum eſſe. nec tacuit M. Valerius Martialis, Tellurem Aponam non minus gaudere Stella & Flacco, quàm ſuo Liuio. ad quem etiam ſcribẽs, alumnum, & ſpem laris Atenoreï eum appellat. Floruit ſub Veſpaſiano & Tito, peruenit ad imperium Domitiani; eo genere carminis, ætatis ſuæ nemini ſecundus.

IBIDEM.

Q. ASCONIVS PAEDIANVS Patauinus, Orator, in M. T. Ciceronis orationes ſcriptor egregius, quem Laurentius Valla, Aul. Gellio doctiorem dicere non dubitauit. Plæraque alia ſcripſit, ex teſtimonio virorum doctorum, quæ à ſtudioſis linguæ Latinæ deſiderantur.

ASINIVS STELLA

Patauinus, columbam in delicijs amicæ Iantidis, elegiaco verſu deſfleuit. quo genere carminis adeò excelluit, vt M. Valerius Martialis, ipſum Val. Catullo anteferre ſit auſus, ſuo Epigrammate affirmans Stellam tanto maiorem Catullo, quãto paſſere maior eſt columba. Papinius etiam Statius iure ſodalitij ſibi iunctus, elegantiſſimo Epithalamio ſuas cum Violantilla nuptias celebrauit, quibus nouem Muſæ cum Elegia non abfuerunt. Opus Elegiarum, fatorum inuidia deſideratur. Floruit temporibus Domitiani, nec de ipſo aliud compertum haberi poteſt.

IBIDEM.

PETRVS APONVS Patauinus, Philoſophiæ Medicinæque ſcientiſſimus, ob idq; Conciliatoris nomen adeptus: aſtrologiæ verò adeò peritus, vt

in magiæ suspicionem inciderit, falsoque de hæresi postulatus, absolutus fuerit.

SVPRA FORES PRAETORII.

Dant, BERNARDE, tibi duo munera Teutones; illud
Quod patet, è saxo: quod latet, ex animo est.
Mors veniet saxis, animis haud. ergo fatiscat
Hæc nota; mens semper grata superstes erit.
Germanica natio anno M. D. LXXXIV. pos.

Maximum malorum est, si vitam diligit is, qui vita dignum nescit aliquid agere.

IN VICINIA PATAVII.

IN PAGO ARQVATO VISITVR FRANcisci Petrachæ marmoreum sepulcrum, cum hac inscriptione.

Frigida FRANCISCI *lapis hic tegit ossa* PETRARCHAE.
Suscipe virgo parens animam, sate Virgine parce,
Fessaq; iam terris, cæli requiescat in arce.
Moritur anno M. CCC. LXXIV.
XIX. Iulij.

Viro insigni FRANCISCO PETRARCHAE, Poëtæ Laureato, Franciscolus de Borsano, Mediolanensis genere, indiuidua conuersatione, amore, propinquitate, & successione, mem.

AD TVMVLVM PETRARCHAE.

Dij tenuem tibi terram, & in vrna perpetuum ver:
Ardoris nostri, magne poëta, iaces.
IANVS LERNVTIVS pos.

IBIDEM.

IBIDEM.

DANTI ALDIGERIO, FRANC. PETRARCHAE, & Ioãni Boccatio, viris ingenio, eloquentiaq; clarissimis, Italicæ linguę parentibus, vt quorum corpora mors & fortuna seiunxerat, nomina saltem simul collecta permanerent: Ioannes Bseuius Canonicus Cenetensis, huius Basilicæ rector, in sui erga eos amoris obseruantiæque testimonium posuit. M. D. XXIV.

IBIDEM IN ADITV HORTI.

Impunè hinc Cererem sumas, impunè Lyæum,
Intactas habeat dum mea laurus opes.

INSCRIPTIO FONTIS.

Fonti nomen inest, hospes venerare liquorem,
Vnde bibens cecinit digna Petrarcha Deis.

IN HORTI MEDICI VE*stibulo.*

I. Portam hanc decumanã ne pulsato ante diem Marci Euangelistæ, nec ante horam XXII.

II. Per decumanam ingressus, extra decumanam ne declinato.

III. In viridario scapum ne confringito, neúe florem decerpito, ne semen fructumúe sustollito, radicem ne effodito.

IV. Stirpem pusillam, succrescentemq; ne attrectato: neúe areolas conculcato.

V. Viridarij iniuria ne afficiuntor.

VI. Nihil inuito præfecto attentato.

VII. Qui secus faxit, ære, carcere, exsilio mulctator.

TRIDENTINA.

IN TRIDENTVM IVL. CAES. SCALIGER.

Nobilis Italico qua prima vrbs imminet orbi,
Ausonijs miscet Norica verba sonis.
Romanum ingenium est, animus Germanus, acerba
Vltio, si obducta est nube serena fides.
Accipere à Veneto, cuius pars, milite leges
Hac potuit; si non, & valet ipsa dare.

AD S. MARCVM.

DOROTHEAE TONNAE,

Pudicitia, prudentia, venustate, atque moribus insigni, vxori cariss. & bene meritæ Andræas Burgius Cremonen. eques, & Cæsar. Consiliarius, maritus mœstiss. pos. Vixit ann. XXX. M. II. D. III. Obijt die decimo Octob. M. D. XX.

Quid gemis, heu, tanto felicia funera luctu?
Turbantur lacrumis gaudia nostra tuis.
Parce, precor, tristes questus effundere; vixi,
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura per I; sed tu diuturnior annos
Viue meos, coniux optime, viue tuos.

IBIDEM.

HIERONYMO SERIPANDO Card. Concil. Tridentini Legato, Christophorus Patauinus, Sodalitij Eremit. Magister POS.

Vixit ann. LXX. M. V. D. XI.

Si quis

Si quis honos tumuli quantum sol lampade lustrat
Terrarum, cœliqúe tuum est, SERIPANDE, *sepulcrum.*

D. O. M. S.

Siste gradum, & tumulo flores insperge, viator,
Faustaqúe ter cineri verba precare sacro.
Tridentum Grudijs à Cæsare missus Athenis,
Hic procul à patria conditus HASSELIVS.
Ah, fera mors! reducem potiùs strauisse decebat,
Aut prius Alpinus quàm peteretur apex.
Diem, & locum, & natalem scimus:
fatalem nescimus.

IN S. SIMONE MARTYRE.

Forma, iuuenta, animus, vegetoq; in corpore virtus,
Spem dederant, longas viuere posse dies.
At nimis infausti rapior dum sidere fati,
Heu periere simul, forma, iuuenta, animus.
Sic solet exiguam spes vana eludere vitam;
Est aliquid, viuos sic meminisse mori.

GEORGII FRONSBERGII
TVMVLVS.

Ad eum modum armatus prælium conciuit ante Papiam, Gallos cecidit, castra cepit, obsessos extrema patientes seruauit.

MEMORIAE DEFVNCT. S.

GEORGIO FRONSBERGO Imper. decretis Germanici exercitus Duci, qui per Tirolim defectionem colonorum compressit: per Liguriam & regionem Transpadanam Italiæ vrbes, populos

 rebel-

rebelles perdomuit: ad paludes Venetas & turrim vsque Mergeram victor accessit: ferro, & igni vrbem terruit: socias ciuitates oppugnatas, exercitumque ad loca iniqua delapsum, ex hoste confertiss. obsidione quartùm & quintùm liberauit. vicies, plus minus, signis collatis pugnauit: fortitudine, celeritate, animo consilioque rebus inclinatis præsentissimum se & inuictum præstitit. post ingentia facta vita perfuncto patri opt. Gasperius F. pientiss. gemens illachrymansque mon. more maiorum religiosè P. An. Christiano 1528. mens. Aug. 20. obijt diem. Vixit an. 54.

IN ZACYNTHO.

M. TVLLI CICERO HAVE, ET TV TERTIA ANTONIA.

F. Desiderius Lignamineus Patauinus scribit, se reperisse hoc Ciceronis Epitaphium, idque circa annum Christi M. D. XLIIII. Adamus Tesellenius Louaniensis in suo itinerario M. S. scribit, se contrectasse in Zacyntho, anno Christianæ salutis CIƆ. IƆ. L. ipsius CICERONIS ossa, legisseque hoc Epitaphium:

Ille Oratorum Princeps, & gloria linguæ
Romanæ, iacet hac cum coniuge TVLLIVS vrnâ;
TVLLIVS ille inquam, de se qui scripserat olim,
O fortunatam natam me Consule Romam!

IN TEMPLO D. MARIAE.

ANDREAE VESALII Bruxellensis tumulus, qui

qui obijt anno M.D.LXIV.Idib. Octob. ætatis verò suæ LVIII.cum Hierosolymis redijsset.

TERGESTAE IN ISTRIA.

EPITAPHIVM PVERI.

ME longè effigie venustiorem
Narcisci vel Apollinis comati
Parcarum Lachesis soror seuera
Isti Quinterinem dedit sepulcro.
Cur non flosculus exeam requiris,
Cùm tantùm fuerim puer decorus?
Hac tellus nimis arida est viator,
Nostri facta perustione amoris.
Nam terram quoque læsimus decore.
Quòd si lacrymulis tuis madescet;
Forsan flos nouus ibit è sepulcro.

POLAE IN DALMATIA.

VIatores, ciues optimi, vel aduenæ, siue bini, siue singuli inceditis, siue turmatim, quod magis erit gratiæ, obfirmate gressum, nec miremini, si moramini aliquantisper. Dicaculus equidem fui; succinctus sermo dari vobis non potest: & iuuat vobiscum esse, vt iuuit semper, & quiui ab ore meo pendulos detinere. Saxum hoc vos vocat. Quid inquam? vt viuus

assue-

assueui, prudens, imprudens, mortuus item vos fallo. Nam non vos vocat, quod vacat ore. Verùm is, quoius cinis hic latet, olim quomodo potuit, nunc huc vos vocari voluit, valuitque. Hæc olim sua voluntas volentis vos legere hoc scriptum; (vah! quid loquor?) immò sculptum. Quàm ægrè Veritas adhuc se mecum conciliat! nam neque hic atramentum, vel papyrus, aut membrana vlla, sed malleolo & celte literatus silex, silens adhuc, quia hic lateat, quod ego efferre, & effari gestio.

SERGIVS Polensis parasitus, histrio vester festiuissimus hîc cubo. Hoc vnum quidem tandem sponte dictum verum est. Si quis dubitat, hanc olfaciat humum: olet enim temetum, & florem vini veteris, quo satur satis viuens vixi. At si vixi vitam, tam vobis gratam, quam notam vrbi & orbi, non minus munus à vobis impetrem, oportet. adeste mihi, & fauete, edictoque huic vos subscribite, & obsignate.

Adfuistis, fauistis, obsignastis; video iam vos risum dare. Sitio hui? Sentio: dictum volui esse. Quid hoc est, quod tam faciliter istuc procedit veritas? hac profectò contagione mei sitit ipsa, & mihi ipsi supparasitatur, cum vltrò potum inuocata aduenit. nunc, si vrbani perhiberi vultis, & veritati supparasitanti, & arenti meo cineri cantharo piaculum vinarium festinate; post valete. Abite in rem vestram viatores optimi: his nugis, trufis, ambagibusque meis condonate posthumis.

HISPANICA.

HISPALENSIA.

ANTI

ANTE PORTAM, vulgò DE LA CARNE.

Condidit Alcides, Renouauit Iulius vrbem:
Restituit Christo Fernandus tertius heros.

IN CATHEDRALI.

Reuerendissimo atque Illustrissimo DIDACO HVRTADO DE MENDOZA; quem clarissimum genus, insignis litterarum scientia, inuiolata in suos Reges fides sanctissima, æquitas in omnes, regalis munificentia in amicos & pauperes, atque ingens animi magnitudo & temperantia, celeberrimum reddiderunt; nec non Relligio & pietas in Deum Opt. Max. Hispalensem Archiepiscopum, Alexandrinum Patriarcham, & Hispaniæ Cardinalem extulerunt INACHVS LOPEZ DE MENDOZA, Tendillæ Comes, Germanus natu maior, Generalis Granatensis Capitaneus, ac Iliberitanorum arcis primus Præfectus, hunc fratri marmoreum tumulum, maiora merito Pos. Vixit ann. LVIII. Obijt XIIII. Octob. M.D.II.

AD PRAEDICATORES.

In Sacello D. THOMAE AQVIN.

PIETATI, ET POSTERITATI.

IOANNES SVVEERTIVS FRANC. F.
Belga Antuerpiensis,
honesti animi candore,
probitatis insigni cum laude
apud suos vixit, exterosque:
Sed apud hos, & in hac vrbe,
immaturum rapuit fatum,
Anno Christiano CIↃ. IↃCIV. id. Octob.
AEtatis XXX. Mens. X.
Et sacri loci commune hoc conditorium

vt pri-

vt primum cepit,
ita plures capiet.
MISERATOR DEVS MISERERE.

IBIDEM.
PIAE MEMORIAE SACR.
FRANCISCAE FLORIDAE.
mulieri incomp.
matrimonio iunctæ IOANNI DANIELI,
quicum annos III. vixit,
quæque ætatis suæ XIX. deuixit
à Natali Christi CIƆ. IƆ. CV.
XIII. Octobris,
Primaque sui sexus hoc monumento conditur.
IOANNES FLORIDVS Brugensis
Pater filiæ cariss. H. M. P. C.
Viator adsta comprecans benigniter,
mortisque viuito memor.

TOLETANA.

D. O. M.
ALVARVS COMESIVS CASTER fui.
Dixeram de mea vita satis,
sed adsta paululum.
Nemini vnquam sciens nocui:
Prodesse quamplurimis curaui.
Viris placui bonis, quos
potui fallere.
Verum quod nondum nosti,
de me iam fecit iudicium
iustus Iudex,
postea de omnibus palàm facturus.

Tu im-

Tu interim me postula
reatibus exolui.
Vale.

Obijt XV. Kal. Octob. M.D.LXX. an. agens LXVI.

IBIDEM.

BERNARDINO SANDOVALI Toletano, Ecclesiæ eius vrbis Scholastico & Canonico, atque Academiæ ibidem, à maioribus suis erectę ornatæque Cancellario, Nobilitate, moribus, literis, & pietate erga pauperes singulari, GEORGIVS FONSECA fratri opt. & B. M. Pos. Obijt V. Non. Maij, anno M.D.LXXII. ætat. verò XL. facultatibus suis pauperibus, dum viueret distributis, partim testamento relictis.

IBIDEM.

IOAN. VERGARA Doct. Theolog. Canonicus Tolet. vir prudentia incomparab. Græca & Latina literatura nulli secundus: quo quidem solo, si exteras nationes doctissimorum hominum altrices, Hispania in certamen vocet, ingeniorum palmam feret. H.S.E. Vixit ann. LXIIII. M. V. Dies scit nemo. Obijt XX. Feb. M.D.LVIII.

Ne propera, viator, expecta parumper, & hæc ossa aliquando spera tecum victura. Dixi, abi.

ALIVD.

IOAN. VERGARAE, DOCT. THEOLOGIAE, HVIVSCE TEMPLI CANON.

Viro in omni disciplinarum genere eximio: quo viuente, Natura declarauit, se adhuc minimè effœtam esse ad prꝑstantissimos viros producendos. Canonici Toletani sodali B.M. Pos.

ANTE

ANTE PORTAM IN NITIDO MARMORE.

Erexit factore Deo Rex inclytus vrbem
BEMBA, suæ celebrem protendens gentis honorem.

IBIDEM.

Vos Domini sancti, quorum hic præsentia fulget,
Hanc vrbem, & plebem solito seruate fauore.

CORDVBAE.

AD S. HIERONYMI.

DEO OPT. MAX. SACR.

ANTONIVS MORALES Corduben. honesto & vndequaque probatiss. genere ortus, Medicinæ Doctor præstantiss. quem plangunt pauperes, inclamant diuites, & tota penè Bætica ademptum luget H. S. E. Obijt anno salutis M. D. XXXV. AEtatis suæ LXVI.

Hoc tibi, care pater, natus cum carmine Saxum
Dat, cæca obscurus ne tegereris humo.
Nil maius potuit pietas, perculsa dolore,
Quod dedit hæc meritis inferiora tuis.

AMBROSIVS MORALES Parenti opt. P.

COMPLVTI.

FRANCISCI XIMENI S. R. E. CARD.
Per Ioannem Vergaram Can. Toletanum.

Condideram Musis FRANCISCVS grande Lycæum,

Condor

Condor in exiguo nunc ego sarcophago:
Pretextam iunxi sacco, galeamq; galero,
Frater, Dux, Præsul, Cardineusq; Pater.
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,
Cùm mihi regnanti paruit Hesperia.
Obijt VI. Id. Nouemb. CIↃ. IↃ. XVI. ætatis fermè LXXX.

BVRGIS.

D. O. M.
LOYSAE SIGAEAE
fœminæ incomparabili:
cuius pudicitia cum eruditione linguarr.
quæ in ea ad miraculum vsque fuit,
ex æquo certabat,
FRANCISCVS CVEVAS
mœrentiss. coniugi B. M. P.
Vale beata animula,
coniugi dum viuet, perpetuæ lacrumæ.

ALIVD.
LOYSAE SIGAEAE TOLETANAE,
sui seculi Mineruæ.
Docta SIGAEA iacet gelido hoc sub marmore, cuius
Ob mortem mœrens, heu! gemit Hesperia:
Et meritò, quoniam Hebræa, Græca atq; Latina,
Non secus ac patria voce perita loqui.
Tot linguas huius rapuit mors sæua puellæ,
In tenera admirans accumulata simul.
O mors in vanum liuor, diffusa per orbem
Fama volat. sanctam non capit vrna animam.
IOAN. MERVLVS Tolet. pos.

Toletum nascentem excepit,
Lusitania honores & diuitias dedit,
Burgi maritum vnicamq; filiam,
& proh dolor ante diem
sepulchrum:
Anno sal. CIↃ.IↃ.LX. Octob. die XIII.

CAESARAVGVSTAE.

HIERONYMO SVRITAE.
Michaelis F. Gabrielis N. Cæsaraugustano,
historiæ Arragoniæ
diligentiss. atque electo scriptori,
Patri B. M. Hieronym. F. P O S.
Vixit annos LVII. Mens. XI.
Obijt Cæsaraugustæ,
III. Non. Nouemb. CIↃ.IↃ.LXXX.

MARTINI AZAGRIAE ARRAGONENS.

Dum Salo, dum Sicoris, dum Cinga augebit Iberi,
Dum maris augebit magnus Iberus aquas.
Post cineres, manesq; tuos, heu magne SVRITA,
Semper erit maius nomen in orbe tuum;
Annalesq; tui tantarum pondere rerum
AEterni, æternum te sine morte dabunt.

IACOBI FALCONIS EQ. VALENTINI, POETAE ET MATHEMATICI summi carmen retrogradum.

Ingenium & candor SVRITAE viuet, opinor,
Viuet dum mundo Carmen & Historia.

MON-

MONTILLAE.

IN COLLEGIO SOC. IESV

MAG. IOAN. AVILAE PATRI OPT.
Viro integerr. Deique amantiss.
Filij eius in Christo Poss.

Magni AVILAE cineres, Venerabilis ossa Magistri
Saluete, extremum condita ad vsq; diem.
Salue Diue Pater, pleno cui flumine cælum
Affluxit, largo cui pluit imbre Deus.
Cæli rore satur, quæ mens tua seuerat intus,
Mille duplo retulit fœnore pinguis ager.
Quas Tagus ac Bætis, quas Singylis alluit oras,
Ore tuo Christum buccina personuit.
Te patrij ciues, te consulturus adibat
Aduena, tu terris Numinis instar eras.
Quantum nitebaris humi reptare pusillus,
Tantum prouexit te Deus astra super.

IPSE LECTORI.

AVILA mî nomen, terra hospita, patria cælum:
Quæris quo functus munere? messor eram.
Venerat ad canos falx indefessa seniles,
Qua Christo segetes messuit innumeras.

VALLIS-OLETI.

EPITAPHIVM, QVOD SIBI IPSE SCRIPSIT ANTONIVS DE Gueuara.

Obijt anno M. D. XLIV. X. Aprilis,
ipso cœnæ Domini die,
sepultus in D. FRANCISCI.

CAROLO V. Hispp. Rege Imperante,
Illustris Dominus D. frater ANTONIVS DE GVEVARA,
Fide Christianus, natione Hispanus,
Patria Alauensis, genere de GVEVARA,
Religione S. FRANCISCI, habitu hui' cõuentus,
Professione Theologus, officio Prædicator & Chronista Cæsari,
Dignitate Episcopus Mendonensis, fecit anno Domini M. D. XLII.

Posui finem curis, spes & fortuna valete.
Orate Deum pro anima huius digniss. Episcopi.

SALMANTICAE.

ANNO Domini M. CC. Aldephonsus VIII. Castellæ Rex Pallentiæ vniuersitatem erexit, cuius æmulatione Alfonsus IX. legionis Rex, Salmãticæ itidem Academiam constituit, illa defecit deficientibus stipendijs, hæc verò indies floruit, fauente præcipuè Alfonso Rege.

THEOLOGIAE SACR.

Qua rerum diuinarũ cognitione hominũ mentes imbutæ terrena despiciant, cęlum votis petant, beatamque iam nunc incipiant viuere vitam.

IVRI CIVILI.

Quo possint Principes Remp. bene gerere, & curas hominum rectè componere, sitq; omnibus cordi Pax

di Pax & Iustitia. Prudentiam maiorum hoc loco Senatus docendam curauit.

MEDICINAE SERVATRICI.

Corpori vt anima inhabitet suauius, & vita tot periculis obnoxia cõstet, Senatus cõsuluit, & Philosophiâ & Astronomiâ.

IBIDEM IN PICTVRAM PALLADIS, quæ nascitur ex cerebro Iouis.

Non aliud capite ex tanto prodire decebat,
Non aliunde dari virgo Sophia potis.
Quid salit armata? vt pugnet inuicta profanis,
Defendat populos, regnaq; tuta regat.

IBIDEM.

Ad fortunam, & Occasionem.

Artis opisq; potens occasio rapta beabit;
Aggerat, ah! lacrymas cum fugitiua volat.

MICHAELIS VERINI POETAE Epitaphium, incertæ positionis.

Regia Pyramidum cedant monumenta, viator,
Huic lapidi, quanquam marmora nulla vides.
VERINVS MICHAEL decus immortale pudoris
Clauditur hoc saxo, siste parumper iter.
Quod latet ingenij sidus? quæ gloria Phœbi?
Delicias orbis quàm breuis vrna capit?
Disticha composuit grauibus distincta figuris,
Quæ possint sacris æquiparare libris.
Est breuis, argutus, facilis, sine felle pudicus:
Littera plus nerui, quam sua carnis habet.

LVSITANICA.

IN AEDIBVS RESENDIANIS EXTANT DVO CIPPI CVM HIS IN-*scriptionibus.*

IVLIANVS famulus Christi, Episcopus Ecclesię Eborensis, hic situs est. Vixit ann. plus minus LXX. Requieuit in pace, Kalend. Decemb. anno Natal. Domini 566. Era DC.IV.

ALTER EST HVIVSMODI.

Depositio PAVLI, Famulus Dei. Vixit ann. LI. Requieuit in pace Domini III. Id. Mart. Anno salut. 544. Era D.LXXXII.

EBORAE.

DIuo ANTONIO AEGYPTIO, sanctissimo Monachorum Archimandritæ sacrũ, HENRICVS Diui Emmanuelis, Lusitaniæ Regis, pij, felicis, inuicti filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, primus Eborensis Archiepiscopus priore diruto, nouum hoc structura, formaque augustiore religionis ergò erexit.

Diuo ANTONIO ARCHIMANDRITAE sanctiss. sacrum.

VLYSSIBONAE.

IN S. CRVCIS ECCLESIA.

Ossa MICHAELIS *sunt hic tumulata* CABEDI,
Quem legum & iuris docta caterua gemit.

Floren-

Florentem studijs, genere, haud ætate labantem
Mors tulit humanis inuidiosa bonis.
Causarum iudex, inter quos regia honoras
Curia, præclarum nomen adeptus erat.
Cingebat gemina (quod rarum est) tempora lauro,
Inq; forum Phœbum, Castalidasq; tulit.
Gloria sed maior morum est & vita probata,
Quæ nunquam à recto deuia iure fuit.
Ergo cadauer humo requiescit, ad astra volauit
Mens iusta, & isti iudicis ora videt.
Obijt anno M. D. LXXVII.

D. O. M.

Epitaphium honorarium incertæ positionis.

Externis quicunq; venis peregrinus ab oris,
Auriferiq; intras ostia magna Tagi.
Siste ratem, mœstiq; vide monumenta doloris,
Si vacat, & nostris fletibus adde tuos.
Hic iacet ereptus primæuo in flore iuuentæ
IOANNES, regni cura dolorq; sui.
Si faciem & mores, si quis consideret annos,
Dignior æternum viuere nemo fuit.
Visum aliter superis, quos plus iuuat ardua semper
Casibus, & subitis implicuisse malis.
Si quid amas, nolis nimium placuisse, senectam
Vix vnquam summis fata dedere viris.

ALIVD.

Lusitanorum columen, nostræq; sepultam
Spem libertatis, continet hic tumulus.
Hic iacet egregij soboles præclara IOANNIS,
Ille nepos magni Cæsaris, atq; gener.

Vix decimum ætatis, sextumq; expleuerat annum,
Vix pubertatis tempora transierant.
Iniecit mors sæua manum, tantoq; repentè
Priuauit miseros Principe Lysiadas.

DE GYMNASIO IN PALATIO CONIMBRICAE.

Regum olim hæc fuerat, Musarum regia nunc est,
Esse vsquam melius non potuêre Deæ.

GERMANICA, ET FINITIMA.

VIENNENSIA.

IN VIENNAM IVL. CAES. SCALIGER.

ASpice barbaricis quæ propugnacula bellis;
Quæ stet fulmineis machina torua pilis:
Aduersus spurium, quæ fortia pectora, Turcam
Apparet intrepida Norica dextra fide.
Illa igitur validis assultibus irrita fudit
Prælia, quæ capto fecerat hostis agro.
Quin etiam patrij demissis turbine cæli
Auxilijs largo perpluit imbre polus.
Qualia regna putes, numen quibus excubat armis?
Nonne Dei est, pro quo pugnat & ipse Deus.

CHRISTO O. M. ET MEMORIAE AETERNAE.

D. N. FERDINANDO felici, pio Aug. Germ. Pannonico, Bohemicoq;, ꝙ is originis & principatus sui hãc Metropolim pręter arma cõsilijs & munimentis iuuerit, ac inter cætera hãc ingentis sumptus

ptus molē aduersus Solymannū Turcarum tyrannum cōmune illud & horrēdum Christiani orbis fulmē, opposuerit: NICOLAVS COMES à SALM militæ, CHRISTOPHORVS ab EITZING Baro, Senatus, & MARCVS BOECK à LEOPOLSDORF Scriniorum magistri, cæteriq; administrationis Austriacæ Senatores deuoti numini principis sui, de patria seq; optime merentis. V.S.L.L.M.
Anno Christi M.D.XLVI.

ARAE SEPVLCRALES INCLYTAE FAMILIAE SALMENSIS.

ARA I.

DIS MANIBVS SAC.

Incomparabilis heros, NICOLAVS à SALMIS, D. Ferdinādi Rō. Hung. ac Boemię Regis, Archiducis Austriæ ab arcanis cōsilijs, Cubicularius, & suprem⁹ prouinciarū Austriæ Capitaneus: Quum D. FRIDERICVS, Rom. Imp. D. SIGISMVNDVS, D. MAXIMILIANVS Rō. Imp. & FERDINANDVS Rom. Cæsar, Augusti fratres, rerū potirentur: eorū auspicijs, Reip. annis XLVI. fortem atque strenuā operam domi militiæq; nauauit. Anno porrò Domini M.D.XXIX. Solymanno Turcarum Tyranno Viennam obsessam atrociter oppugnante, dum dirutis mœnibus inuictum generosi animi robur pro muro hostium minis opponit, saxo percussus, lethale vulnus accepit. D. FERDINANDVS Pat. Patr. virtutis rerumque gestarum gloriæ ergò, hoc ei monumentum fieri cur. Moritur IV. die mensis Maij, anno Domini Iesu Seruatoris M.IↃ.XXX.

Virtutem posteri imitantor.

Quam meruit virtus, sequitur te gloria. Cæsar
Et tumulum, & lacrymas dedicat has tumulo.

ARA II.

D. O. M. S.

Nicolao IV. Salmæ & Neoburgi Comiti, Nicolai illius III. Salmæ Com. magnit. rer. gestar. suo seculo belli Ducis clariss. F.

D. Ferdinan. Rom. Regis supr. Cubiculario, omnibusque ipsius regnis ac ditionibus cum summo imperio Præposito:

A Ioanne Pannon. Rege, & Solyman. Turcar. Tyranno, ad quos ipsius Ferdinandi nomine legatus missus fuerat, ampliss. muneribus donato:

Ab illo atque etiam in fratrem cariss. admiratione virtutis adoptato:

A suo Principe Posonien. regionis iurium arcisque præfectura & Comitatu Neoburg. aucto ornatoque:

A Carolo V. Cæs. maxi. & feliciss. in ampliss. ordinem aurei velleris cooptato:

Qum Leuam, Chiabrachium, Zythnam, Muranum expugnasset, communemque pacem Regno Hungariæ reddidisset:

Paternam iam gloriam assecutus, decessit Agriç. XVI. Calend. Sept. anno Christi M. D. L. ætat.

Iulius Com. Salmæ & Neoburgi, D. Maxim. Rudolph. II. ab Imperialis aulæ consilijs, Filius mœrens Parenti sanctiss. atque opt. fecit. Anno Salut. Hum. M. D. XVIC.

Si vitam vitâ mihi compensare liceret
Magne parens, mea iam, iam tua vita foret.
Sed mea vita nihil: potior tua cœlica vita;
O liceat tecum viuere, sicq; mori.

ARA

ARA III.

Iehouæ Opt. Max.

CHRISTOPHORO COM. SALMIO

ET NEOBVRGIO:

Nicolai III. F. Nicol. II. N. Ioan. pron. præclaræ indolis, ac summæ spei adolescenti, qui in floridissima iam tum ætate, vita hîc laudatissimè peracta, maxima fidei constantia, fatis cessit, magno cum patriæ dolore ac desiderio.

Anno Salut. Hum.

AEt.

ARA IV.

CHRISTO S. SERV.

VVolfgango Nicol. F. Nic. Ioan. pron. Comiti Salmio & Neoburgio, Præsuli & Episcopo Pataauino: sinceræ Religionis, & æquitatis obseruantissimo: summo ingenio, eximia doctrina, rara eloquentia prædito:

Humanitate ac beneficentia domi forisque claro: Principi sanctissimo:

Musarum patrono incomparabili:

Bonorum omnium cum luctu,

Supremo die piè religiosèq; functo: Passauiæ, VI. Decemb. anno M. D. LV. AEt.

Munde vale: nulla hîc est constans patria: cælum
Per te Christe datur patria firma pijs.

ARA V.

D. O. M. S.

Eckio & Nicolao, Salmæ & Neoburgi Comitib. Nicol. IV. Com. Salm. & Neoburgi filijs:

Pose-

Posonien.regionis iurium, arcisque præff. ambobus viris ampliss. ac clariss.

Alter Iaurinen.præsidij Princeps,perterrefactâ Zygethana clade Pannoniam, re, fortuna, fide, sustinuit:

Summa vsus celerit. Hegettam,Tattam, & Vesprimium à Solyman.Turcar.Tyran. ereptas virtute sua recuperauit:

Liberalis,magnanimus,laborũ militar. patientiss.in omni belli munere ita egit,vt hosti celeberrimus simul & formidabilis haberetur.

Alter autem omni liberali doctrina perpolitus, Græcè Latinè aliquotq; aliar.exotic.linguar. exactè doctus, veram sapientiam ante canos comparasse visus est:

Primùm Imperialis,inde bellicus Senator, sub Ferd.Maximil.& Rudol.II. Remp.fideliss. & opt. consilijs semper rexit.

Machinamentis ad præsidia munienda,adq; hostium augendam incuriam inuentis,cum ijs quos mirata est antiquitas,comparandus.

Ille Iaurini in complexu milit.quibus apprimè carus semper fuerat, extremum vitæ spiritum edidit. Anno Salut. M. D. LXXIV. Non. Iul. AEtat.

Hic Canisæ,cui cum summa potestate præerat, postquam vixit x. mens.spatium excubias pro sal. patriæ egisset,vi repentinæ mortis sublatus est. 6. Cal.Decemb. AEt. S.anno XLIII. Christi XXC.

Iulius Com.Sal. Neob. D.Maximil. & Rudolp. II. ab Aulæ Imperialis consilijs, auitæ paternæq; virtutis æmulatoribus,germanis cariss. pos. Anno M. D. XVIC.

Acci-

*

Accipite ô animæ fortes, monimenta doloris,
Mixta pijs lacrymis hæc pia vota, mei.
O me fata darent vobiscum viuere: vita
Inuita, haud vita est, cui sua vita deest.

ARA VI.

P. M.

Illustr. at strenuo Heroi NICOLAO V.
Nicol. F. Eginonis & Iulij Com. à Salm. &
Neoburg. FR.
Senatu bellico Maximil. & Rudolph. II.
cognito,
Posonien. regionis Comiti, Canisiæque
præfecto:
Qui quum suæ custodiæ excubiarumque duûm
vix. mens. (quos anni multi haud emeti-
rentur) edidisset:
Siue fato, siue iniquorum maleficio impor-
tuniss. sublatus:
Iul. fratri Maximil. & Nicol. filijs filiabusque con-
iugique Iudithæ à Polhaim superstitibus mœro-
rem cunctis, dum cineres quiescunt, sui
desiderium relinquens:
M. H. M. H. S. E.
Vix. ann. XLIII. Obijt Canisiæ XXVI. anno
Salut. LXXX.

ARA VII.

D. O. M. S.

Elisabethæ Thurræ, Freistadij, Semphtæ, Riche-
nauiæ, & Themetuini Dominæ, fœminæ
lectissimæ,

Alexij

Alexij Thurri, viri summi, Pannoniæ Proregis æquiss. & sapientiss. filiæ;

Quæ sic semper vixit, vt seculum ipsa haud dignum videretur:

Ita diem extremum clausit, vt mors omni vitæ ipsius curriculo responderet:

Sed & AEmiliæ ac Iuliolo puellis bimulis:

Qui vtrum formosiores, an blandiores fuerint, dubium reliquerunt:

Qui quod voluit mater, semper fecerunt:

Alterum mî Elisabetha, alterum Anna-Maria Dietrichsteinia vxor superstes fidissima peperit:

Iulius Com. Salm. & Neoburg. Maximil. & Rudolph. II. ab Imperialis aulæ consilijs,
Maritus & parens, coniugi ac liberis dulcissimis,
Quòd cùm illis non sim, dolens feci.
Anno Sal. M. D. XXCIV.

Si dolor & lacrymæ possent vos reddere vitæ:
Reddiderint vitæ vos dolor & lacrymæ
Iamdudum. quid tum? dolor est & lacryma testis,
Gaudia vos vitæ sola fuisse meæ.

ARA VIII.

CHRISTO REDEMPT. S.
ANNAE-MARIAE DIETRICHSTEINIAE,
Sigism. F. Sigismundi N.
Liber Baron. ab Holleburg & Finckenstein, &c.

Quæ

Quæ matronal. virtutum omnium ac
laud. præclariss.
Summæ erga Deum religionis, erga
maritum fidei,
Amoris erga liberos, beneuolentiæ erga suos,
Benignitatis erga pauperes, erga omnes
humanitatis,
Morum denique ac vitæ perpet. sanctimoniæ,
castitatis; innocentiæ,
Viuens moriensque,
Singulari præluxit exemplo omnibus sui ordi-
nis & sex. hominib.
Coniugi incomparabili;
Quæ supra ætatem morbo varorum pa-
labundo infestata,
Partu heu immaturo nimis quintam
enixa sobolem;
Magno cum dolore ac labore:
Quam sacro fonte priùs renatam, & ex se
Annam-Mariolam cognominatam, secum in
cælum sublatam, Christo initiauit:
Inter amplexus coniugis, & liberor. aman-
tiss. piè sancteque expirauit,
Animulæ suæ carissimæ
Iulius Com. Salm. & Neoburg.
maritus infeliciss.
vberibus cum lacrymis pos.

*

Vita mea vita quondam, mea mellila coniunx,
Mors vita nunc es mortua nempe mea,
Soluar, & ò tecum Christo nunc deniq; viuam:
Si placeam: Christo viuere certa salus.
Obijt ann. ætat. XXVII. Sal. hum. 1517. Martij 5.

MICHAE.

MICHAELIS HELDINGI
THEOLOGI.

Infima tu iuuenis pueros elementa docebas,
Frena scholæ Magani summa moderatus in ade.
Mox verbi præco Diuini factus ibidem,
Præsulis officium mitra redimitus obibas.
Post paulò Cæsar laudum rumore tuarum
CAROLVS incensus, te fecit Episcopon esse
In Mersburgensi latè ditione patente.
Imperij Cameræ tibi committuntur habenæ.
Et mox Austriacam iussus concedis in aulam,
Concilia vt Præses, præsensq́; augusta gubernes.
Sed Deus exiguo passus te tempore talem
In terris agere, ad summum reuocauit Olympum.
Anno 1561. ætatis 55.

IBIDEM.

Imperator Cæs. MAXAEMILIANO, Pio, Felici, Augusto, Principi tum pacis, tum belli artibus, omnium ætatis suæ Regum longè clarissimo: sub cuius felici Imperio inclita Germania dulciss. ipsius patria, tam armis, quàm literarũ studijs plus quàm antehac florere, caputque super alias nationes extollere cœpit; cuius insignia facta Tabellis inferioribus, quamuis sub compendio, expressa conspiciuntur; Imperator Cæs. FERDINANDVS Pius, Felix, Augustus, auo paterno perquam colendo, ac benè merito pietatis ac gratitudinis ergò posuit.

Tabellæ, quarum mentionem facit, breuem rerum à Maxæmiliano gestarum epitomen continent.

MAXAE-

MAXAEMILIANVS
CAESAR SEMPER AVGVSTVS,
DEMISSVS CAELO,
REDDITVS CAELO,
NON OBIIT, SED ABIIT.

Petrus AEgidius S. P. Q. Antuerp. à secretis poneb.

FRIDERICI III. AVSTRIAE DVCIS.

Hæc Mausolæo moles æquata sepulchro
FRIDERICI Magni Cæsaris ossa tegit.
Qui Romanum orbem placidè sanctéq; quietus
Circiter vndenas rexit Olympiadas.
Largus opes & templa dedit, secla aurea fecit,
Hinc inter Diuos astraq; celsa micat.
Post domitos hostes, post prælia maxima, postquam
Accessit titulis Bœtica terra suis;
Filius Augustus referens bonitate parentem,
Dædaleum posuit MAXMILIANVS opus.
Amborum pietas manet, æternumq; manebit,
Pyramis hæc quando saxaq; puluis erunt.

IOANNIS SAMBVCI CAES. HISTORICI.

Epitaphium honorarium.

SAMBVCVS linguas coluit qui doctus, & artes,
Cui natale fuit Pannonis ora solum:
Cæsaris historicus præmissi temporis acta,
Et dignos scripsit cognitione libros.
Aonios inter meruit quoq; nomen olores,
Carmine iucundum qui cecinêre melos.

Ante diem quamuis, Musis plorantibus, ipsum
E medio tulerit mortis auara manus.
Ipse tamen superest, meliori parte superstes
In cœlis animâ, nomine clarus humo.
Nil in sollertes Musarum iuris alumnos
Mors habet: à Musis doctus obire nequit.
Obijt Id. Iunij M. D. XXCIV. Ætat. LIII.

IN COEMETERIO NOVO, (vt vocant) EXTRA PORTAM SCOTORVM.

D. O. M.

ET POSTERITATI.

Stirpis honor, flos, exemplumq; Rosina puderis
Eberstorferi nobilitata toro;
Et soror Anna, puellaris duo lumina sexus,
Huldendorferi Coniugis Anna decus.
Hic tumulis posuêre iuuentæ insignia iunctis,
Ante suum, Pietas, vtraq; rapta diem.
Tinxit humum lacrymis Eberstorferus, & optans
Dedicat huic ipsi seq; suosq; rogo.

ALIVD EODEM IN LOCO.

Fida hîc Penelope Lucretia casta, Minerua
Ingeniosa, Charis quarta sepulta iacet.
Cui Deus, & Coniunx, soboles, acus, ara, focusq;,
Fama, fides, virtus, maxima cura fuit.
Scilicet Haunolti dilecta Maria Mariti,
Antea mellitus, nunc peramarus amor.
Quæ ceu viua viro fuerat spes certa voluptas
Summa, animi requies, lux, columenq; tori.
Sic eadem viduo nunc est mors lenta dolorum
Fons, animi anxietas, vmbra, ruina domus.

Sponsa

Sponsa bis, & ter facta parens, semel orba, triginta
Nata annos, natam cùm peperisset, obit.
Heu dolor! Octobris matrem lux noua peremit,
Mox duodena infans vix triduana cadit.
Hic sancta ossa cubant; animæ super æthera viuunt,
Expectantq; patrem filiola, vxor herum.
Sic rosa manè viret, mox aret & interit, & sic,
Qui fuit ignis heri, cras cinis esse potest.

MAXIMO MIRABILIQVE MOTORI MOBILIS MAGNAEQVE MACHINAE *momentanei Mundi, mortaliumque moderatori mancipatum.*

Miraculum mulierum minimè malitiosarum, Matrona morigera, Mariti ministra, moderata, mâsueta, munifica, morata, modesta, mitis, materfamiliâs, Maria, Marita mea mellitissima, mero metu Medico malo morbo mederi metuente, meaq; Maria Magdalena mollicula, Mammæ, minus maturâ, moriuntur (miserandam) momento, manè morte minimè matura, mihiq; multũ molesta misero me marito, magno mœrore mœstitiaq; multum moto mutatoq;, mansione mœsta, mole molesta manente. Migrarunt mallem me mortuũ musso. Massas, Magnæ Matri, monumento muscoso, mandaui mœstus, mortuus, molliter, magnum mortalium motum, mortisque mortem moramini, memoria minimè mortalis, manebit manes merito.

Huic Epitaphio ex latere vno astat Pelicanus cum isthoc Pentham.

Vita sit vt pullis, morte fit, ecce, meâ.

Ex altero verò latere Phœnix cum tali Penth.

Vt iuuenes viuant, se cremat antè senex.

In dicto sepulchro hoc distichon legitur:

Heu tua vita breuis, breuia & tua gaudia tecum,
Et breuis hic lapis est, & breue carmen, AVE.

ALIVD LOCO DICTO.

Maritus ad vxorem.

Ossa iacent: mens astra colit: cum prolibus vxor
Cur defles Domini fata benigna tui?
Me non Orcus habet, nollem reuiuiscere, vel si
Fata velint: igitur desine flere, Vale.

Vxor ad Maritum.

Non deploro tuam, coniunx peramande, salutem,
In nos sed fidi pectoris acta fleo.
Quæ quoties recolo cum natis, fluminis instar
Ex oculis lacryma nocte dieq; fluunt.

ALIVD LOCO DICTO.

Artis erat medicæ quondam studiosus amator,
Blanditias optans pharmaca grata suas.
Res tamen vt dubiæ fragilis cùm vita laboret,
A rigido letho quis modò tutus erit?
Ars iuuat haud vllum, cunctos discrimine nullo
Mors aufert, gelida falce, cruenta, viros.
Serpentis suasu vestiunt tot crimina mundo;
At roseo ex Christi sanguine vera salus.
Non igitur dubito, placida quin morte quiescat
Grandæuus Sanger, vir pietate grauis.
Et benè ceu vixit, solida benè dormiat vrna:
Rex superum foueat spiritum in axe poli.

LOCO DICTO ALIVD LEGITVR.

Hîc situs est, medica vir præstantissimus arte

Qui

Qui fuit: & tantos mors rapit atra viros?
Vincere sic gestis? sed te victoria ludit,
Nam victo vita das meliore frui.
Stulta iubes parcas Aicholzi rumpere fila,
Nil agis: hic vixit iam satis ipse sibi.
At nos lugemus: nobis (mors improba!) longam
Nestoris ætatem viuere dignus erat.
Hunc sepelis? sed iam superauit spiritus astra,
Viuidiorq; hominum fama per ora volat.
Quis te autem? quis te tam dignis laudibus ornet
Aicholzi, quantas te meruisse liquet?
Scilicet alma Dei vis, atq; benigna potestas
Sæpè bonos terris datq;, deditq; viros.
Illa sed exemplum de te memorabile multis
Ante alios statuit; tot tibi dona dedit.
Felicem iussit rerum cognoscere caussas:
Hinc tot Pæonias linguis amicus opes.
Cumq; alijs linguis Latia tum deniq; Graia
Erudijt pectus Pallas amica tuum.
Ardor erat secli rimari corporis artus,
Morborum sedes sic patuere magis.
Herbarum genus omne simul tibi quærere cura:
Quoq; iuuent homines, quo noceantq; modo.
En te lugebunt teneræ in conuallibus herbæ,
Florum demittent germina triste caput.
Sacra tamen Laurus vireat Phœbea sepulchro,
Quo tua defuncti molliter ossa iacent.

Loco dicto hoc distichon legitur.

Vita parum dederat: sed mors dedit omnia felix,
Cui noua pro mortis fœnore vita datur.

ALIVD IN DICTO COEMETERIO.

Dum Patriæ triſtes ſatagis reparare ruinas,
Petre ruis, gelidæ victima opima necis.
Tecum quãta (eheu) ſpes, quantaq́; gaudia Nymphæ,
Quantaq́; Germano (proh) periere tuo!
Sic ſunt hæc humana, ruunt, rituraq́; in æuum,
Quippè ruinoſum, nil, niſi mundus habet.
Non ruitura tamen Pietas contermina cœlo,
Nixa illa in Chriſti ſanguine ſaluifico.
Rudera dia Fides neſcit, quam Petra ſalutis
Contra Erebi portas fortificata gerit.
Petre labaſcens enim hoc ſtabas, ſtabis Olympo
Fortis eques Chriſti morte necis domitor.
Viue Deo Rhenere: leuis tibi terra ſit, æther
Subleuet hos cineres, quos premit vrna vorax.

ALIVD IN COEMETERIO AD D. STEPHANVM.

Franciſcus medicâ felix Emericus in arte,
Ingenium ſpectes, ſiue operam, atque fidem.
Omnipotente Dei iuſſu iam morte ſolutus,
Plus fatum quauis arte valere monet.

ALIVD LOCO DICTO.

En iaceo generis columen laudabile noſtri,
En patriæ iaceo ſpes opulenta meæ.
Pannonis ora dedit, dulcem rapit Auſtria vitam,
Inq́; tuo tumulor, culta Vienna, ſolo.
Criminis innocuus, quod turpis fama notaret,
Exegi vitæ tempora pauca meæ.
A teneris Muſas vero ſectatus amore,

Salui-

Saluificam didici cum pietate fidem,
Consilioq; iuuans patriam, studioq; fideli,
Tranquillæ pacis suasor, & Author eram.
Ardua, præfectus, syncero munia corde
Sustinui, veræ dexteritatis amans.
Officiosus eram, nec mens mihi conscia fraudis,
Iustitiam colui, verbaq; sancta Dei.
Hinc vbi Legatum me Transyluania mittit,
Imponens humeris quæq; regenda meis.
Cæsaris Augusti genua ad diuina volutus
Defero commissæ pondera magna, rei.
Parua mora; (heu) tristis depascens viscera morbus,
Me grauis ardenti Febris ab igne necat.
Sic Fatis pereo, sic fatis viuo superstes,
Quod mihi terra dedit nomen, id ipsa tulit.
Tu mihi Christe faue, cuius me gratia cælum
Promissæ donat, regna beata domus.
Sparge salutifluo perfusum corpora fonte:
Mens Paradisiacos pura pererret agros.
Ossa tegit tumulus tenui mutata fauilla,
Sed subit æthereæ spiritus astra plagæ.

ALIVD LOCO DICTO.

Tres natos Bresla misit Faber vrbe Viennam;
Tempore non longo tres rapit vna dies.
Nomina Patris habens, Istri, Fridericus in alto
(Heu) Fratrum medius, gurgite primus obit.
Inde vbi tres ierant anni, tibi tristia Caspar
Fata etiam minimo pestilis aura parat.
Proximus at morbo Laurentius ictus eodem,
Lumina Dianæ post duo plena cadit.

Viuite tres animæ cælo feliciter alto,
Frigida dum tumulis molliter ossa cubant.

ALIVD.

Sunt dolor & lacrymæ lucis primordia nostræ,
Sunt medium, & finis: quid, nisi bulla sumus?

ALIVD.

Participem casus quem Cæsar habebat in omnes,
Quiq; Palatino fulsit honore Comes.
Mente tenax, virtute nitens, grauitate verendus,
Synceraq; colens iusq; piumq; fide.
Tumulo VVolfgange iaces, sed fama perennis
Viuit, & æthereo mens nitet alta polo.

ALIVD.

Quicquid habent Latiæ numerosa volumina linguæ,
Edidici; Sophiam, carmina sacra, Deum.
Virtutem adiunxi, reliquorum præmia tellus
Vana, Deus morum non peritura dedit.

ALIVD.

Imperator Cæsar Diuus Fridericus Tertius, pius, prosper, Augustus, Christianitatis supremus Princeps, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Stiriæ, Carynthiæ, & Carniolæ, Comes & Princeps in Habsburg, & Tirolis, Landgrauius Alsatiæ, Princeps Sueuiæ, Comes Phirretis, & in Kiburg. Dominus Marchiæ Sclauonicę, & Portus Naonis, & Princeps religiosissimus; qui sacrum Romanum Imperium iustitia, & virtute quinquaginta tribus annis sapienter & moderatè rexit; Quique filio suo Maxæmiliano Imperatori

tori glorioſiſſimo Sereniſſimam Dominã Mariam, vnicam Filiã, & Hæredem, Diui Caroli Ducis Burgundiæ Potentiſſimi, &c. legitimo toro copulauit: ex quo quidem feliciſſimo connubio omnes Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus, & Dominia, quæ præfatus Carolus Dux terra marique poſſedit, felici domui Auſtriæ, hæreditario iure perpetuo acceſſerunt: quæ & Imperator Maxæmilianus potenti manu & gladio conſeruauit. Ipſe Fridericus talibus, multisque alijs Imperatorijs virtutibus perpetuatis, naturæ debito perſoluto, celeberrimis famoſiſſimisq; exequijs deuotè celebratis, in hoc pretioſo monumento reconditus eſt. Hic Fridericus Tertius, Imperator Auguſtus naſcitur anno Salutis noſtræ 1415. Eligitur in Regẽ Romanorum anno 1440. Coronatur in Auguſtum ac Imperatorem anno 1451. Obijt 19. die Auguſti anno 1493. ætat. ſuæ 78. Imperauit annis 53. Menſibus 4. diebus 4. Corpus eius in hoc ſaxum reconditur ac transfertur Anno 1513. die 7. Nouemb.

Ferdinandus Dei gratia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Rex, Princeps Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, &c. hoc opus Friderico Proauo piè F. F.

ALIVD IN TEMPLO B. MARIAE AD SCOTOS.

Hic iacet Antiſtes Clauſtri Iacobus: & illum
Sub gelida monſtrat nobile marmor humo,
Gaudia qui vita cæleſtia ſine carentis
Angelicisq; choris aſſociatur, habet.

ALIVD L. D.

Ne crede, artificem tibi verba dediſſe, viator,

Qui mira sculpsit relligione virum.
Respicis Alphonsi Mercado in imagine vultus,
Hunc Hispana dedit, Teutona terra tegit.
Notus erat Marti in campis, Syluisq; Dianæ,
Hostes prostrauit viribus, arte feras.

ALIVD IN DICTO TEMPLO.

Vita quid est? labor est, & habendi [illegible] cupido
Tristis, ad extremum, sollicitudo, diem.

ALIVD IN TEMPLO AD S. MICHAELEM.

Eheu! quàm rapido pereunt mortalia casu,
Quamq; nihil vasto præstat in orbe diu!
O spes fallaces hominum! ludibria sortis
Quàm nos præcipiti mobilitate rotant!
Vt rosa dulcifluo turgens in stipite succo,
Exuit aëreum, sole cadente, decus:
Mox decussa graui nimbosi turbinis ictu
Dissilit, & nitido cassa decore perit.
Sic homo stellìgero ducens primordia cælo,
Quoq; nihil toto pulchrius orbe viget.
Voluitur, ambiguis per mille discrimina fatis
Carpitur & varijs obruiturq; malis,
Mox collecta furit sæuæ violentia mortis,
Spargit & in gelidam putre cadauer humum.
Falce sonans, cunctos, nullo discrimine sternit,
Injicit & rabidas cæca furensq; manus.
Dotibus ingenij, nec formæ parcere nouit,
Nil Rex, nil diues, morte premente, valet.
Optima prima ferè tetro prosternit hiatu,
Et citò virtutis rumpere fila solet.

At mala

At mala distinctos intacta relinquit ad vsus,
Vt numeris constent accumulata suis.
Nunc quoq;, sorte pari, virtutum fœmina donis
Euphrosyna potens, mortis adiuit iter.
Quam sua nec pietas, nec opima munera sortis,
Nec paterna iuuit gentis auitus honor.
Inter vt expansas fragrat rosa candida spinas,
Et ponit nitidas sole cadente, comas.
Euphrosyna sacris sic dotibus aucta refulsit,
Iamq; suum posuit, morte fremente, decus.
Gratia, forma, vigor, ceciderunt: vnica virtus
Restat, in extremis non peritura rogis.
Fœminei specimen referens illustre pudoris,
Coniugij casti pulchra corona fuit.
Predita diuini voluens oracula verbi,
Immota coluit mente, fideq; Deum.
Ocia deuitans, vitæ fomenta nefanda,
Sedula quod faceret, semper habebat opus.
Omnibus officijs coluit venerata maritum,
Tristitiæ constans, lætitiaq; comes.
Candida simplicitas puro sub pectore fulsit,
Forma verecundis moribus aucta fuit.
Hanc quoq; constanti complexus amore maritus,
Præstitit & pactam, non sine laude, fidem.
Quantus amor, pietasq; fuit laudata duorum,
Quàm syncera fides, & sine labe torus!
Ergò dolet meritò clarus pietate maritus,
Plangit & vxoris turbida fata suæ.
Auulsamq; dolet propria de corpore costam,
Hoc vulnus validè cor animumq; ferit.
Heu sæuæ mortis rabiem, tetrumq; furorem,

Heu fatum duro non adamante minus.
Sed quid flebilibus disrumpimus astra querelis,
Fundimus & tristes, ore gemente, sonos?
Nil lacrymæ, fletusq́; iuuant, mœstaq́; querela,
Nil rabida mortis fata mouere potest.
Euphrosina pias inter defixa cohortes
Viuida tranquillis gaudia rebus agit.
Illustres inter animas, cœtusq́; micantes
Aspectu fruitur, colloquioq́; Dei.
Illi parta quies, & vitæ meta perennis:
Nos agimur varijs, concutimurq́; malis.
Spiritus in cælo, corpus tellure quiescit:
Illius in terris famaq́;, lausq́; manet.

ALIVD L. D.

En ego, qui fueram Christi pietatis amator,
Hic iaceo sacra contumulatus humo.
Ingenuos docui pueros tibi clara Vienna,
Et vigilans ista Pastor in æde fui.
At nunc ipsa quidem tantis mens libera curis
AEthereas arces, lucida tecta colit.

ALIVD IN TEMPLO AD D. DOROTHEAM.

Fuxmagonum vixisse iuuat, rectumq́;, piumq́;,
Quod coluit: reliquum somnia vana putat.
Dicite, quid melius, qui viuitis? hoc ego tantum
Cognoui, vt moriar; nescius ipse mei.

ALIVD IN TEMPLO AD AVGVSTINIANOS.

Melchior in magni Porthimus Cæsaris aula

Consi-

Consilio, & iuris clarus honore fuit.
Et sua viuit adhuc post funera, nominis extat
Gloria, mens cælo reddita, corpus humo.

IN COLLEGIO I.C. AD IMAGINEM
Iustitiæ, hi duo versus leguntur.

Reddo cuiq; suum, sanctis & legibus omne
Concilio mortale genus, ne crimine viuat.

PRAGENSIA.

IN PRAGAM IVL. CAES. SCALIGER.

Septa metallifero circum quæ monte superbis,
Hercinia in medio Martia Praga sinu,
Linque aliȷs populis tanta munimina sedis:
Qui nequeant armis iura tenere loci.
Namq; tuum est, non præsidio turgere locorum:
Sed loca præsidiȷs fidere posse tuis.

SIGISMVNDI HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGIS.

Cæsar & Imperium tuus & ego ROMA, sacratum,
Rexi non ense, sed pietatis ope.
Pontificem summum feci, spretis tribus, vnum,
Lustraui mundum, schisma negando malum.
Obiȷt v. Id. Decemb.

D. O. M. S.
ET
PETRI MONAVII Vratislauiensis, I[illegible]itia
[illegible]mi.

familia nati, Sacr. Cæſ. Maieſt. Medici, viri trium linguarum, & bonarum omnium diſciplinarum cognitione cum ſingulari pietate coniuncta clariſſ. MEMORIAE.

Obijt anno M. D. LXXXVIII. XII. Maij. AEtat. XXXVII.

ALIVD.

Vis multa paucis diſcere, hoſpes? hoc audi.
PETRVS MONAVIVS clauſus hac iacet tumba.
PETRVS MONAVIVS: ſed ſat hoc, ſat audiſti:
In nomine ipſo cuncta iam recognoſcis,
Iam pridem in illo quæ fuiſſe, cognoſti.
Nam fama nulli muta, tuq; non ſurdus.
Venerare tumbam. dic benè, hoſpes, & gaude,
Reſciſce & hoc hic, fortè quod minus ſcibas:
Vix plura didicit paucioribus quiſquam:
Vix plura quiſquam paucioribus diſcet.

ALIVD.

MONAVIOS totū dum conſcia fama per Orbem
Fratrum vehit par nobile:
Inuidit cælum, terriſq; migrare, IACOBO,
PETRVM iubet, ſuperſtite.
Scilicet vt terras alter repleret, & alter
Diuiſo Olympum lumine.
O fortunatos fratres, quorum vnus honori
Terra ambitus non ſufficit!

MVSAEI

MVSAEI SVI PARIETI INSCRIBEBAT HAEC PRAGA DISCEdens Fridericus VVidebramus Naumburgensis, exsul.

Hic studijs miscere preces, lacrymasq́; solebam,
Tristis in exilio cùm VVidebramus eram.
Solus eram, nec eram tamen illo tempore solus,
Quando suo mecum numine Christus erat.
Liber ab exilij dimissus carcere tandem
Rursus in exilium triste profectus eo.
Patria terra vale; cælestis patria salue,
Qualibet est forti patria terra, Vale.

GORLICENSIA.

D. O. M. S.

SIrenum instar habent ignauo perdita luxu
Lustra, domus, siluæ, rura, popina, Venus.
Quæ fugiens, Emerice, caua trabe cærula sulcas,
Multa solo passus, multa pericla salo.
Ergo sedens virtus rediuiua ad busta Iehouæ
Donatum merito vexit honore domum,
Vt non parcus opum patriæ hæc monumenta locaret,
Virtutis figens celsa tropæa tuæ.
Sic geminas tendens palmas, passoq́; capillo,
Victam se Siren sub tua iura dedit.

Imitare virtutem, non æmulare:
Virtutem colere par est, non inuidere.
Anno Christ. CIↃ. IↃ. LXXVIII. M. IV.

D. O. S.

D. O. S.

GEORGIO EMERICO EQ. NOBILISS.
Qui cum opifice, & duobus eum feqq. comitibus in Palæstinam profectus, ibique militari dignitate & Equestri super sepulch. Christi ann. M.CCCC. LXV. M. Iul. D. XI. donatus esset: post tot exhaustos terra marique labores, tanto itinere confecto: cùm domum ad suos patre adhuc superstite reuertit: tùm sacellum hoc D. Crucis, vicinumque cenotaphium ad exemplum expressum, sibi & posteris F. F. Ipse deinceps Reipub. huius Senator, ad annos XXXVI. Cos. V. finem vitæ clausit, Anno M. D. VII. M. Ianu. D. XXI.

Ioannes Ioannis F. Georgij Equ. NN. Emmericus auo B.M.P. cur. M.D.LXXIIX.

DRESDAE.

SVB STATVA HERCVLIS.

DIVO Maximiliano II. Imperatori Maxi. Cæs. Augusto, ob desideratiss. illius aduentum, Augustus Dux Saxoniæ, Elector, gratulationis & obseruantiæ ergò fieri curauit, vt heros inclitus sectam Caluinisticam in has terras irreptam, & dissimulanter nutritam, Deo iuuante suo, & opprimeret & vinceret: sicuti Lernam Hercules, numerosum licet monstrum, igne tandem vicit, & mori docuit.

LYN-

LYNZII.

IN COEMETERIO EXTRA VRBEM.

Mole sub hac cæli, sublatus amore IACOBVS
Conditur, Huberæ lapsa columna Domus.
Bonus hic, Austriadum postquam se dedidit aulæ,
Cæsaribus meruit nomen, opesq́; tribus.
Hinc pietas vitæ fessumq́; labore caducis
Vlterius rebus noluit esse super.
Nam merus est hæc vita labor, quò tardior exit,
Longior hanc vinctam carcer & vmbra tenet.
Lustra bis exegit cum sex, September ademptum
Tertius, è thalamo transtulit in tumulum.
Agnus erat vita patiens, ac moribus agni:
Nunc igitur Christi sanguine saluus ouat.
Hic Brigitta Viro plangit viduata, sed illic
Notus, & excepit Barbara nupta senem.
Tempus erit, cœtum cùm nos tuba coget in vnum,
Et pia mors, vitæ ver melioris aget.

IBIDEM.

Quod Tria sit Deus, ac vnum, sit noscere prima:
Proxima cura tibi sit, benè posse mori.

IBIDEM.

AVMVLNERA solo cubat hoc decus ANNA (mariti,
Et pudor, & pietas præsidiumq́; domus.
Vixit ter septem STRVZO cum compare messes,
Letho post partum concidit vndecimum.

Z Nata

Natæ tres, totidem perierunt funere nati;
Matri iam supera plaudit in arce chorus.
Tres genitrix natas, duo germina morte reliquit
Mascula, spem generis, deliciasq; patris.
Incolumem soboli pia longum Fata reseruent,
Patris & hic serò contegat ossa locus.
Cæsarei secreta fori quod scrinia poscunt,
Quod cor, consilijs sustinet ille suis.
At vos STRVZIADES summo contendite nisu
Ire pares, gestis vel superare patrem.
Hoc Genitor gaudet, nam quisq; profundius auctus,
Altius eximios quò videt ire suos.

VRATISLAVIANA.

ANNAE, ET ANNAE-MARIAE FILIABVS DVLCISS.

Vos etiam ignotas mundo, sed sanguine mūdas
Christi, commendat cura paterna pijs.
Imperio mortis superato, viuite Christo,
Et capite æternæ gaudia lætitiæ.
Me quoque, qui senio propior properantibus ad vos
Cursibus aduento, suauiolo excipite.
Viuemus: spes hæc iubet hinc discedere lætos,
Non moritur massæ portio, Christe, tua.

IOHAN. CRATO VRATIS. IMPP. D. FERDINANDI I. & D. MAXIMILIANI II. AVG. CAES. P. F. MEDICVS PHYSIC. D. MOESTISS. P. AN. M. D. LXVII.

IOAN-

IOANNIS CRATONIS IMPP.
MEDICI.

Cæsaribus vixi tribus intimus, arte medendi
Me Pater asciuit, Filius, atque Nepos.
Quem mihi iactato das portum, Christe, quietis,
Hunc teneo, iungas dum mea membra tibi.
Obijt ann. salut. M. D. XXCVI. ætat. LXVII.

D. O. M. S.

MIRABILIS IN ALTIS DOMINVS.

Collapsa est turris Siloë madefacta cruore,
Pyramide hac nostra, nemo, cadente, perit.
Nam iussu Domini exceptam (cui gloria soli)
Angelica molem deposuere manus.
Ambrosij Moibani D.

MAGDALENAE KROMAYRINAE, VXORIS BARTHOLOMAEI. METELLI, Episcopi Vratislauiensis Cancellarij.

Magdalis hic somnum coniux tua carpo, Metelle,
Corpore: mens supera viuit in arce Deo.
Nos ibi læta dies longum coniunget in æuum,
Et sine tristitia gaudia plena dabit,
Tempora cùm mundi cælo nos summa reducent,
O desiderio tempora tarda meo!
Interea vidui dum perfers tædia lecti,
Vt mihi cura tui, sit tibi cura mei.

IN SAXO TVMVLI.

LXVI. ætatis annum agens obijt Saurus. Dimidium autem, vel eo etiam minus, an vixerit, mor-

tnus etiamnum addubitat. M. D. XXXV. D. XXI. Menſ. Ianuar.

SVSANNAE VOGTAE FEMINAE LECTISS. VXORIS IACOBI MONAVII.

Hoc tibi verus amor, Coniux dilecta, ſepulcrum
Conſecrat, hoc veri pignus amoris habe.
Moribus & caſtam retuliſti mente Suſannam,
Ipſa SVSANNA Deo, & caſta SVSANNA viro.
Ergo tibi pietas quodcunq; ex marmore ſtruxit,
Promeruit pietas id tua ſancta tibi.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ

Filiolæ Dn. IACOBI MONAVII
Patric. Vratisl.
Ex nominis eiuſdem Anagrammatiſmo depromptum.
MAGDALENA MONAVIA.
O ANIMA VALDE MAGNA!

MAGDALIS hic iaceo magni vnica nata Monaui,
Surrectura bene hac, quæ bene condor, humo.
Paruula erã, in vita ancipites cum naſcerer auras;
Paruula, mi donec vita manebat, eram.
Paruula eram, de me cum ſpes foret ampla parenti;
Paruula, cum raperet ſpem via mortis, eram.
At nunc cœlicolûm magnæ adſociata coronæ,
Poſtquam depoſui flebile carnis onus,
Magna feror, magni magno ſub numine IHOVAE;
Magna ſuper magnos orbe leuata polos.
Magna feror, capiti membrum inſita nobile Chriſto;
Magna ſub electis, angelicisq; choris.

O ANI-

O ANIMA! O VALDE MAGNA! ô bene paruula quondam!
Paruula humi, cælo magna; quid inde mali est?
S. GRVNAEVS Facieb.

CHRISTIANI MONAVII F. PRIMOGENITI EX SECVNDIS NVPTIIS IACOBI MONAVII.

Hîc CHRISTIANVS Iacobi MONAVIVS
Proles tenella dormio.
Mundi theatrum immundum vix tetigi: citò
Ingressus, egressus citò.
Dicamne, veni, vidi, vici ego puer?
Quid ni? triumpho in æthere.
Natus x. Martij. Obijt xxi. Mart. ann. M.D.XC.I.

INSCRIPTIO MVSAEI MONAVIANI.

Domino Deo nostro IESV CHRISTO, vnico regni sanctorum hęredi: perenni vitæ fonti: triumphanti mortis victori; æterno beatarum animarum hospiti, Sacr.

Summa in his terris tum sapientia, tum felicitas est, posse quiescere, ac sua potius agere, & propria, quàm aliena. Deinde vtraque fortuna, & siue sit agendum, siue patiendum, in DEVM potius, quàm in homines respicere, & ab eo solo pendêre. Mortem denique suam perpetuò sic meditari, vt peccatum potius fugiatur, quàm illa nimis metuatur. Mundum præterea, quæque sunt illius, despicere simul, & odisse. De vita perpetua magis, quàm de hac fragili, & caduca solicitum esse: Animæque curam gerere maiorem, quàm corporis, & ita sese

comparare, vt anima prius læta lubensque hinc in cęlos euolare cupiat, quàm è tabernaculo suo euocetur.

M. R. V.

Psalm. XC. Domine doce nos scire numerum dierum nostrorum: vt ambulemus corde sapiente.

Θυμὸν βλέψον ἄνω: χθονίων δ᾽ ἐπιλήθεο πάντων.

IPSE FACIET.

IN AEDIBVS IOANNIS CRATONIS MEDICI CAES.

Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum legis hæc, fieri tristia posse, putes.

SVPRA IANVAM CVBICVLI.

Optimo Maximo seruatori omnium, vni in Trinitate Deo, IOAN. CRATO artis medicæ D. se suaque omnia pijs votis commendat. S. M. D. LXVII.

IN INFERIORI HYPOCAVSTO.

Quid sis; quid fueris, quid eris, semper mediteris.

IN MENSA, QVAM ACCEPIT A CAESARE.

In hac mensa Diuus FERDINANDVS Imp. Aug. P. F. pacificus, priusquam lethalis morbus lecto opt. & beatiss. principem affligeret, multis mensibus cibum sumpsit: Imper. verò Maximilianus II. F. Aug. perp. cùm in meditationibus salutaribus versaretur, sua manu sententias plenas pietatis & humanitatis inscripsit. Has posteris salutares,

tares, CRATO ſacratiſſimorum Imperatorum Medicus, ne hanc tabulam, qua vſos, & ſuſtentatos diuinos Monarchas intelligant, tanquam vile lignum haberent, ſtudio ac diligentia ſua conſeruauit.

SALISBVRGI.

IN NOSOCOMIO AD S. SEBASTIANVM.

Conditur hic PHILIPPVS THEOPHRASTVS inſignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropiſim, aliaque inſanabilia corporis contagia mirifica arte ſuſtulit, ac bona ſua in pauperes diſtribuenda collocandaque honorauit. Anno M.D.XLI. D: XXIV. Septemb. vitam cum morte mutauit.

Aurea pax viuis: requies æterna ſepultis.

IN AMBITV BENEDICTORVM APVD D. PETRVM.

Viator preces funde, KNOLLIVS hic iacet.

Abi moriture.

D. O. M.

Clariſſimo viro HIEREMIAE KNOLL. V. I. nec non inclytæ Salisburgenſis Prouinciæ Cancellariatus officio functo; qui XVII. Octob. anno à reparatâ ſalute M.D.XCIV. ætatis verò ſuę LVII. piè in Chriſto obijt, parenti ſuo HENRICVS KNOLL. Fil. amoris & pietatis paternæ memor, hoc monumentum poſ. mœſtiſſimus.

IBIDEM.

Domino SEBASTIANO HOFLINGERO Bauaro I. C. Equiti aurato, vtriusque tam Cæsarei, quàm Pontificij Palatij Comiti, viro nobiliss. & clariss. qui Iurisperitia, Consilio, ingenij dexteritate, vitæque integritate eousque innotuit, quod à summis Christiani orbis Monarchis, maximis priuilegijs donatus, duorum Archiepiscoporum, eorundemque Principum Salisburg. MICHAELIS & IOAN. IACOBI Cancellarius fuerit; aliaque non mediocria officia cum laude gessit, amore Principis sui, & Reip. re priuata posthabita, immensum laborauit. Laboribus tandem exhaustus laborando mortuus anno Christi IESV M. D. LXXIII. D. XXVIII. Octob. qui fuit Dominic. I. Aduent. I. CH. D. N. cùm vixisset ann. L. M. X. D. XXVIII. Hæredes monumentum hoc corpori, in eius æde, cui animus se dicauerat, mœsti PP. Eidem ob singularem candorem, & de omnibus bene merendi studium, tam Ciuibus, quàm exteris charo, Ioan. Bapt. Ficklerus, & Hieremias Knollius I. V. DD. elogium hoc qualecunque, grati animi ergò, dictauerunt H. M. H. N. S.

AD D. RVPERTI.

Post tot perpessos currente ætate labores,
Ingressus portum, mersus & hic iaceo.
Ergò fallaces spes, & fortuna valete,
Nil mihi vobiscum: ludite nunc alios.

NEAPOLI AVSTRIAE.

IOANNES KATZIVS, Nouiomagus Philosophiæ

phiæ ac Medicinæ Doctor, huius vrbis, & DD. Prouinciç Austriç inferioris Physicus ordinarius, coniugi suæ desideratissimæ POS. Anno Domini M. D. LXXXIII.

Hoc tibi, mea MAGDALENA, postquam me deserens hinc abisti monumentum statui, tecum quotidianus vt loquerer, nec, si mihi non respondes, non respondebit desiderium tui, per quod ipsa mecum semper es: aut obmutescet memoria, per quam nūc tecum loquor. Aue ergò mea MAGDALENA; vbi enim ossa mea tuis miscuero, vterque simul bene valebimus. Viuens vixi tecum ann. XVI. victurus pòst mortuus tecum spe lætissimæ resurrectionis, æternitatem perpetuam.

AD OENIPONTVM, IN COENOBIO STAMSIANO.

DN. SEVERINI DVCIS SAXONIAE monumentum.

AEre SEVERINVS princeps hoc clauditur: artes
Cum natis regis dum colit ille bonas.
Indole magnanima iam patrem æquabat, auumq́;,
Quos celebrat summos Saxonis ora Duces.
Augustus fieri hæc fratri monumenta iubebat,
Post messem vndecimam, quem tulit atra dies.

DN. SEVERINO, Duci Saxoniæ, ad Henrici patris & Alberti àui virtutem, indole pietatis ac magnanimitatis aspiranti, patriæ in spe summa erepto Dn. Augustus frater P. C. Toti genti Saxonicæ luctum, liberis regijs, quibuscum educabatur,

desiderium reliquit. Vixit vltra annum XI. M. I. D. XIII. Obijt ann. 1533. VI. Id. Octob.

INTER OENIPONTEM, ET BRIXIAM PROPE VICVM STEINACVM.

Imp. Cæs. CAR. V. P. F. Aug. ex Hispania Italiaque, susceptis imperialibus coronis aduenienti: & Ferdinando Hungariæ, Bohemiæque Regi, è Pannonijs occurrenti: optimis principibus, ad perpetuam publ. lætitiæ memoriam, quòd fratres annos ante IIX. digressi, summis inter mortaleis honoribus, regnis, triumphis aucti; hoc in loco salui sospitesque conuenerunt 1530.

Frid. Franlius à monte niueo, Steinaci Præfectus mandato regio F. C.

HELVETICA.

IN COENOBIO CHVNGHFELDENSI, MONVMENTVM CAROLI CRASSI *Regis Sueuiæ, pronepotis Caroli Magni.*

CAROLVS CRASSVS Rex Sueuiæ, Pronepos Caroli Magni, Italiam potenter intrauit, eamque deuicit: imperiumque Romanum, vbi Cæsar coronatus, obtinuit; ac mortuo fratre suo Ludouico, vniuersam Germaniam & Galliam iure hæreditario acquisiuit. Demum animo, mente & corpore deficiens, ab imperio, sanè magno cum fortunæ ludibrio, deiectus, à suis omnibus postpositus humili hoc in loco sepultus iacet. Obijt anno Domini 888. Idib. Ianuar. in cuius memo-

memoriam Chriſtophorus Dei gratia Epiſcopus Conſtantienſis, Augiæque maioris Dominus, monumentum iſtud de nouo reſtaurari, & refici curauit.

SAXO, SVB QVO CONDITVR, HAEC inciſa leguntur.

Pannonas, & Cimbros diuerſo Marte ſubegit
CAROLVS à Craſſo corpore nomen habens.
Sed bene quas iuuenis regni tractârat habenas
His iterum ſenior diſpoliatus obit.

MVRATHI.

D. O. M.

CAROLI inclyti & fortiſſimi Ducis Burgundiæ exercitus Murathum obſidens, ab Heluetijs cæſus, hoc ſui monumentum reliquit Anno M. CCCC. LXXVI.

BERNAE.

FELICI memoriæ BLASII MARCVARDI, doctiſſ. Theologi & Philoſophi, &, quod maximum, optimi viri: qui in ipſa ætatis ſuæ æſtate, dum patria, & amici auctiorē ab ipſo meſſem ſperabant, in cælum commigrauit: Ioannes Seranus, amicus amico mœrens poſuit.

SELESTADII.

IN CATHEDRALI.

Τὰ τῶν βροτῶν ἐφήμερα,
Βίος καπνὸς, σκιᾶς ὄναρ.

Εἴσω-

Εἴδωλον ἄνθρωπ☉ ἔφυ.
Οὐχ ὄλβ☉, οὐ χρύσ☉, γέν☉,
Τυραννὶς οὐδὲ εὐμορφία,
Οὐδὲ εὐμαθὲς μόρον φύγει
Θνήσκει γὰρ ἐξ ἄφνης βροτὸς
Πολυμόχθοισι (λείβετε
Νῦν δάκρυον) θεῶ μέγας
Βροτὸν ἥρπαζεν νό☉
Πρὸς ὀλβίων χόρους ἄγων.
Ὃς ἦν μὲν ὄμμα πατρίδ☉,
Καὶ κλεινὸν εὖχ☉ Τευτόνων.
Μάσαισι προσφιλέστατ☉
Ἑλληνικαῖς, καὶ τίμι☉
Ῥωμαϊκαῖς. σὺ δὲ εὐτύχει.

Et paulò inferiùs:

Πᾶσα μὲν οὐρανίη στρατιὴ γήθησεν ἰόντι,
Πᾶσα δὲ Σλετσαδίων ἐστονάχησε πόλις.

FRIBVRGI BRISGOIAE.

HVLDRICHO ZASIO I.C. ſuorum temporum toto orbe celeberrimo: huius Academiæ ornamento ſingulari: & Reip. Friburg. in reſtaurando Iure municipali iam olim ſtrenuam operam nauanti, alijsque multis nominibus de ſe bene merito: Magiſtratus officij memor fieri iuſſit. Conceſſit naturæ anno Salut. CIↃ. IↃ. XXXV. VIII. Calend. Decemb.

ALIVD.

ZASIVS hic ſitus eſt: cuius ſchola Iureperitos.
Tot dedit, armatos Tros quot Equus Danaos.

ALIVD.

ALIVD.

Sparge sacro cineri flores, hac conditus vrnâ est
FALLERIVS, Themidis gloria, iuris honos.
Maximus ille toga fatis ereptus iniquis,
Nunc apud athereum iure tribunal agit.
Is, HVLDRICHE, tibi sub eodem puluere Zasi,
Proximus vt tumulo, sic fuit ingenio.

Obijt anno Salut. CIƆ. IƆ. LX. D. XVII. Octob. ætat. suæ XXXVIII.

IBIDEM.

HENRICVS GLAREANVS poëta Laureatus, Gymnasij huius ornamentum eximium, expleto feliciter extremo die, componi hîc ad spem futuræ resurrectionis prouidit, cuius manibus, propter raram eruditionem, candoremque in profitendo, Senatus Reip. litterariæ gratitudinis & pietatis ergò monumentum hoc æternę memoriæ consecratum, posteritati vt extaret erigi curauit. Excessit è vita, annno sal. CIƆ. IƆ. LXIII. D. XXVIII. M. Maij. ætat. suæ LXXV.

Πολλὰ καμών, καὶ πολλὰ παθὼν ἐν παιδοδιδάσκειν,
Ἐνθάδε νῦν κεῖμαι σὺν θεῷ ἡσύχιος.

Quod sic Latinè sonat.

Multa tuli, didici, docui, dum fata sinebant,
Mortuus in summo iam requiesco Deo.

Obijt ann. M. D. LXXIX. XVI. Id. Iun. ætat. LXXV.

IOANNIS CAMPENSIS.

CAMPENSIS præstans sancta mysteria lingua
Dauidicos psalmos fusius explicuit.
Non sine laude diu Venetâ prælegit in vrbe,

Obtinet

Obtinet hinc Roma multa ſacerdotia.
Louanij ſtatuit vitam finire docendo,
Friburgum veniens peſte repentè perit.
Ne fortaſsè ſenem mutet fortuna ſecunda,
Hinc iuuenem campos miſit in Elyſios.
I nunc, rara ſtudens Hebræis iungito Græca;
Mors etiam doctos opprimit atra viros.

ALARDVS AMSTELRODAMVS amico poſ.

FRIBVRGI HELVETIORVM IN D. NICOLAI.

D. O. M.

VEnerandus in Chriſto Pater PETRVS CANISIVS Theologus, Nouiomagi natus, Societatem IESV tertio à cõfirmatione illius anno ingreſſus, ac Sacerdotio inſignitus, ob magni ſimul & placidi animi præſtantiam, à Colonienſi Eccleſia ad Carolum V. Imp. ab Ottone Cardinale Auguſtano ad S. Concilium Trident. à Carolo V. Imp. VVormatiam c[illegible]ra Melanchthonem hæreticum; à Pio IV. Pont. Max. ad Principes Germaniæ in fide confirmandos miſſus: poſtquam Romæ, in Siciliæ & Germanię Academijs docuiſſet, diu apud Ferdinandũ Imp. & paſſim ſumma cum laude Verbum Dei prædicaſſet; primus Prouincialis Societatis eiuſdẽ in Germania ab ipſo Societatis authore P. IGNATIO datus fuiſſet, ſcriptisq; fidem Catholicam egregiè illuſtraſſet, auſpicijs Reuerendi D. Ioannis Franciſci Epiſcopi Vercellenſis, Nuntij Apoſtolici Friburgum Sexagenarius venit, Collegij Societatis fundamẽta iecit, multa præclara documenta dedit, & quaſi quidam Friburgenſium patronus,

tronus,

tronus, Ecclesię per Heluetiam Patriarcha, religionis Catholicæ sui tẽporis columna, toto Christiano orbe notissimus; fide, prudentia, indefesso scribendi labore, abstinẽtia perenni, grauitate, animi puritate, flagrantissimo Dei amore, multaq; sanctitate clarissimus: migrauit ad Christũ, festo S. Thomæ Apostoli M. D. XCVII. Anno ætat. LXXVII.

A nobili Patricio Ioanne Wild amoris ergò erectum.

INGOLSTADII.

IN SCHOLA THEOLOGORVM,

PETRO CANISIO SOC. IESV COL. THEOL.

PETRVS CANISIVS Neomagensis è Geldria, S. Theologiæ Doctor, primus ex Germanis Soc. IESV religiosus, verè Germanus; ac deinde eidem Societat. in Germania primus Prouincialis præpositus ab ipso B. IGNATIO datus; ob insignem animi moderationem, constantiam, prudentiam, à summis ad summa non rarò missus, vocatus, postulatus: à Guilielmo IV. Vtriusque Bauariæ Duce ad hanc Academiam, in qua Professoris Theologi & Rectoris munere functus; ab Ottone Cardinale Episcopo Augustano ad S. Concil. Trident. à Carolo V. Imper. in causa religionis VVormatiam; ab Imp. Ferdin. Augustam, atque ad Episcopatum Viennensem, quem recusauit; à Pio IV. Pontif. Max. ad fidem in Germania ac Polonia propugnandã, propagandã &c. Cùm & sacris concionibus, etiã apud Impp. Duces, assiduè habitis, & varijs libris ꝑ fide, pro pietate editis, rẽ Catholicã mirificè iuuisset, promouisset; ob perpetuam vitæ innocentiã, & summã in omni virtute præstantiã, admi-

admirabilem sanctitatis opinionem consecutus, tandem Friburgi Heluet. sanctam animam Deo reddidit die festo S.Thomæ Apostoli, Anno M. D. XCVII. ætat. LXXVII.

STATHAGAE.

EPITAPHIVM D. OTTHONIS COMITIS SCHOVMBVRGII.

Hic vtring; suæ consortis imagine cinctus
Stat Comes Illustris Iodoci filius OTTHO,
OTTHO Comes Schoumburgiacæ primaria gentis
Gloria, consilio præstans, dextraq; fidelis
Ensifera, Turcisq; olim Galliq; tremenda:
Cæsaribus dum pro patrijs, & rege Philippo
Bella gerit victor. Sed quem nec tela, nec hostes
Deuicere, ardens mox pustula vicit, amanti
Et patriæ eripuit. flet Mars, fleuere Camœnæ.
Ipse agit æternos cælesti in pace triumphos.

EPITAPHIVM MARIAE POMERANICAE D. OTTHONIS COMITIS Schoumburgij vxoris.

Hæc MARIA est Pomeranorum sata principe forti
Barnimo, quam conspicuus florentibus annis
Ottho Comes sibi consortem delegit, amore
Casto ardens: cui fuluo auro magis aurea virtus
Corpore in eximio regnans, animusq; pudicus,
Admorant faculas. quater illam masculus hæres
Effecit matrē, quorum OTTHO hac conditus vrna,
Tres etiam nunc consilio & virtute supersunt,

In pa-

In patria & foris illustres, & honoribus aucti.
E cœlo genitrix quibus omnia fausta precatur.

IN STATVAM.

ELISABETHAE VRSVLAE LVNEBVRGIACæ, D. Otthonis Comitis Schoumburgi relictæ viduæ.

Pulcra quidem hæc statua, & matronæ illustris imago est,
Pulcra oculos, formosa genas, digitosq; tenellos;
Sed quæ viua, memor mortis, sibi talia condi
VRSVLA mandauit, longè est formosior illis.
Omnia sunt muta hîc, motuq;, & sensibus orba.
Illi autem pulcro mens est in corpore longè
Pulcrior, est sermo, mentis pulcherrimus index:
Est pietas grege castarum comitata sororum.
Ergò illam viuam potius, quàm flebile marmor,
Vt liceat spectare, pio Patria ore precatur.

MEMORIAE IOANNIS CRVSII ISLEBENSIS.

Cui vitam Islebium dederat, cui Baltica Rhosus
Excoluit mentem & vocem; Schoumburgius heros,
Cuius consilijs operaq; est vsus alacri;
CRVSIVS hic recubat, qui dum seruire paratus
Omnibus est; sibimet non sat bene seruijt ipsi.
Tabe etenim illius sicca hac sub mole quiescunt
Ossa, sed æterna fruitur mens viua quiete,
Viuentem & multis, ne sit sibi mortifer vni,
Admonet, accusans paßim diuersa sequentes.

BASILEAE.

D. O. M. SACR.

FR. IOAN. CANONI Norimbergensi Theologo, Græcæ linguæ callentiss. latinæ scientiss. singulariq; per omnem vitam integritate prædito, qui spe iuuandi meliores litteras, ob immaturam mortem, non nihil frustratus est: beatus Rhenanus, pietatis ergò præceptori B. M. de suo fecit. Vixit ann. circiter L. Obijt anno Domini D. D. D. XIII. Nono Kal. Martij. Vale, & abi in rem tuam.

LVDOVICI PONTANI, cog. ROMANI I. V. D.

Auct. AEnea Syluio.

Si mille aut totidem rapuisses vsq; virorum
Pestis, adhuc poteram parcere saua tibi.
Viuens quo nusquam fuerat præstantior alter,
Extinctum potius reddis iniqua lues.
Quem fletis leges, quem fletis iura, sacriq;
Nunc Canones: obijt, quem coluistis herus.
Hic vos ornarat, vestras, vbicumq; fuerunt,
Soluerat ambages: nunc sine voce iacet.
Heu voces! heu verba viri diuina! memorq;
Ingenium! quo vis nunc tua multa loco est?
Heu ROMANE *iaces, quo non Romanior vllus*
Antè fuit, quo nec fortè futurus erit.

Te pau

Te pater, & charus retur modo viuere frater,
Heu quantos gemitus ille, vel ille dabit?
Te Roma, atq; omnis plorabit Etruria, teq;
Totâ petet lacrymis Itala terra pijs.
Te nunc Concilium, te nunc vlulatibus vnum
Ipsa quoq; extinctum quæritat Ecclesiâ.
Heu vanas hominum mentes, heu pectora cæca!
Cuiq; dies certum est fata dedisse suos.
Et nos, cum superi statuent, veniemus ad illos:
NEMO PARVM VIXIT, CVI BONA VITA FVIT.

Obijt ex pestil. 5. Id. Iul. tempore Concil. Basil.

SAXO SEPVLCRALI HAEC INSCRIPTA SVNT.

Anno Domini M. CCCC. XXXIX. Reuerend. in CHRISTO Pater Dn. LVDOVICVS PONTANVS de ROMA I. V. D. egregius, S. sedis Apostolicæ Protonotarius, cuius anima R. I. P. Amen.

D. O. M.

Arida IOANNIS tegit hic lapis ossa FROBENI:
Orbe viret toto nescia fama mori.
Moribus hanc niueis meruit studijsq; iuuandis,
Quæ nunc mœsta iacent orba parente suo.
Rettulit, ornauit veterum monumenta sophorum,
Arte, manu, curis, ære, fauore, fide.

Huic vitam in cœlis date, numina sancta, perennem:
Per nos in terris fama perennis erit.

PARENTI CHARISS.
MOESTA LIBRORVM PIETAS,
AD DEFVNCTI MEM.
LVCTVSQ. SVI SOLATIVM
POSVIT.
AN. M. D. XXVII. MENS. OCTOB.

ALIVD.

IOANNIS PETRI Langendorfensis, viri raris animi virtutibus & incomparabili ingenio præditi, cui formandorum librorum ars multas instrumentorum commoditates acceptas fert: ac BARBARAE MELLINGERAE coniugis opt. suauissimæque: nec non FRANCISCI, FRIDOLINI & IOAN. HENRICI liberorum in ipsis vitæ rudimentis sibi faustè, parentibus infeliciter extinctorum, hîc quiescunt cineres. Obijt ille III. Kalend. Maias. M.D.XI. Hæc VII. Id. Nouemb. M.D.XII.

IO. FROBENIVS ὁμότεχνος καὶ ὁμόπατρις
Patrono B.M. Ponendum curauit M.D.XIX.

AMERBACCHIORVM.

Quo nullus suo seculo fuit, cùm in excudendis libris nitidior, quod sumptuosæ dexteritatis est; tum in ijsdem ad veterum exemplarr. fidem restituendis diligẽtior, quod eruditionem, & laborem requirit;

IOANNES AMERBACHIVS hîc cubat cum BARBARA ORTEMBERGIA singul. pudic. fęmina, ac BRVNONE BASILIOQ. filijs, præproperè quidẽ hinc ereptis, sed antè tamen eruditio-

ditione sua trilingui per laboriosiss. Hieronymian. operum recognitionem, quibus nunc docti vbique gent. fruuntur, orbi toti commendata.

BONIFACIVS AMERBACHIVS

Parentibus,& fratribus opt. sed & MARTHAE FVCHSIAE vxori suę Christianarũ virtutum dotibus incomparabili,cum VRSVLA ac HESTERE duabus filiolis,hic quiescenti: Item sibi ipsi, liberis suis superstitibus, FAVSTINAE, BASILIO, IVLIANAE, posterisque in humanæ fragilitatis memoriam F.C. parentibus, fratribusq; iam olim, vxore verò in ipso ætatis flore cum filiolis haud ita dudum, expectandi censorij, nouissimique diei ergò collocatis. Anno M.D.XLII.

ALIVD.

Hic iacet ante diem fatis ereptus iniquis,
Gentis Amerbachiæ gloria prima BRVNO.
Non tulit vxori superesse maritus amatæ,
Turtur vt erepta commoriens socia.
Hunc blandæ lugent Charites, Musæq; trilingues,
Canaq; cum casta simplicitate fides.
ERASMVS ROTERODAMVS amico POS.

CHRISTO SERVATORI SACR.

Des. Erasmo Roterodamo, viro omnibus modis maximo, cuius incomparabilem in omni disciplinarum genere eruditionem, pari coniunctam prudentia posteri admirabuntur & prædicabunt: Bonifacius Amerbachius, Hieronymus Frobenius, Nicolaus Episcopius hæredes, & nuncupati postremæ suæ voluntatis vindices, patrono optimo,

 non

non memoriæ, quàm immortalem sibi editis lucubrationibus comparauit, ijs, tantisper dum orbis terrarum stabit, superfuturo, ac eruditis vbique gentium collocuturo; sed corporis mortalis, quo reconditum sit, ergò, hoc saxum P. P. P. Mortuus est 4. Id. Iulij, iam septuagenarius. Anno à Christo nato M. D. XXXVI.

IN SAXO, QVO SEPVLCHRVM IN*tegitur, est Termini facies, basi quadrata, cum his verbis:*

DES. ERASMVM ROTERODAMVM amici sub hoc saxo condebant, quarto Eid. Iulias, anno 1536.

IVLIVS CAESAR SCALIGER.

Tu ne etiam moreris? ah quid me linquis, ERASME,
Ante, meus quàm sit reconciliatus amor?
Túne etiam? cui tam paruus fuit orbis, vt alta
Expleres mentis fulmina torua tuæ.
Ergò sidereis postquam est subducta quadrigis,
Atque Dei lato lingua recepta sinu:
Ille ego, qui insana ridebam vulnera mortis,
Conditaq́ Aetnaa tela trisulca manu;
Ad quoduis stupeo momentum, ac territus asto,
Maxima cùm videam numina posse mori.

HVLDRICHI ISELII
I. V. D.

Cultor Iustitiæ fui seuerus,
Et veræ Pietatis indagator,
Vtramq́ ad superos Comes secutus,

Hoc

Hoc natos moneo ac seros nepotes,
Discant Iustitiæ, ac Deo placere.

Obijt ann. C. M. D. LXIV.

ALIVD.

CONDITVS EST SVB HOC SAXO, MICHAEL ISINGRINIVS, Vir pietate, virtute, atque doctrina eximius: inter principes typographos Basileenses non postremus. Qui ante diem cum summo omnium bonorum luctu in Domino obdormiuit, die III. Martij. ann. salut. nostræ 1557.

Huic tu, qui transis, pacem, requiemq; precare:
Ac, vitæ numerans tempora, disce mori.

D. IOHAN. HVBERI ARCHIATRI BAS. AN. AETAT. LXV. SAL. M.D. LXXI. defuncti.

Heic vrbis AEsculapius,
Scholæq; gloria Rauracæ,
Mediciq; Idea conditur.
Nec Dij pereunt, neq; Ideæ:
Nec tu putato mortuum,
Quem virtus, eruditio,
Perenne fama celebrat,
Quem Christus æternum beat.
Abei, & bonis cum viuere,
Discito, cum pijs mori.

D. O. M. S.

EVCHARIO HOLZACH.

Patri pientiss. non tantum, vt supremum ac

debitum pietatis munus: Verùm etiam vt testimonium exhiberent, eundem virum opt, totos, quos honestè & bene vixit, annos LXXII. iustis ingenij & fortunæ opibus, numerosa prole, Medicina clarum, ciuibus suis semper profuisse, obfuisse nulli; HIERONYMVS HOLZACH F. cum fratribus ac sororibus mœstiss. B. MER. P. F. C. Spiritum Deo redd. An. 1558, Id. IXbr.

C. S.

MARIA LVMPARTIN. non felix, sed casta matrona: AND. KELLERI, huiusce Reip. Trib. desiderium. Ann. sal. M. D. XXC. sanctæ vit. XXV. spe vitæ melioris exuit.

D. O. M. S.

HIERONYMO FROBENIO
Ioannis F. Typographo clariss.
inter initia fœd. HeluetI
Basileæ nato,
de Repub. liter. optumis autorib.
emendatè atq; eleganter edend.
præclarè merito:
humanitate ac beneficentia
domi forisque omnib.
charo;
in acerbiss. ac diuturnis
stomachi cruciatibus, quib.
& extinctus est,
supra fidem
ad extremum vsque patientiss.
M. S. ergò:
AMBROSIVS & AVRELIVS FF.

paren-

parenti longè chariſſ.
M. P. P.
B. Annos LXI. Menſ. VII. Dies VII.
anno Chriſti M. D. LXIII.
III. Eid. Martij.

CONDITORIVM HOC HABET diſtichon.

Gentem expectamus noſtram, ſpes altera vitæ;
FROBENII quondam, nunc gelidi cineres.

ALIVD.

GVILIELMO GRATAROLO Bergomenſi, Artium, ac Medicinæ Doctori, medicique filio, in medicorum Baſil. collegium cooptato, ob relig. exuli, coniugi cariſſ. Barbara Nicotia F. C. obijt ætat. ſuæ ann. 52. Chriſti 1568. D. 16. April.

TRIVM FILIARVM C. S. CVRIONIS PIET. VIRTVTI, HONORI D.

ANGELAE, COELIAE, FELICI, puellis nobiliſſ. quarum ingenium, candor, pietas, induſtria, pudor, morum elegantia, & ſanctitas grata Deo, multis nota, probata bonis, parentibus iucunda fuerunt;

Cœlius Secundus Curio pater, & Margarita Iſacia mater, trib' animulis præſtantiſſimis dulciſſ. q; vt, earum quod mortale fuit, in beatæ reparationis ſpem conderetur, hoc monumentum F.C.

Migrarunt ex hac colluuione piè atque alacriter, in maxima huiuſce vrbis peſtil. menſe Auguſt. ann. ſal. M. D. LXIV. ætat. ſingularum an. XVIII. XVII. XVI.

IBIDEM.

ANGELAE CVRIONIAE, nobili & generosæ puellę, cuius diuino ingenio atque industriæ nihil difficile vnquam est visum, quod ingenuã pudicamque puellam deceret: quæ Italicè, Germanicè, Gallicè venustè loquebatur: Latinè non ignara: omnis elegantiæ decorique studiosa: candore animi, virginali verecundia, religione in Deum, pietate erga parentes, caritate in fratres sororesque, comitate in omnes insigni fuit: Cæl. Secundus Curio pater, & Margarita Isacia mater, Itali, in beatæ reparationis spem filiæ dulciss. ac præstantiss. PP.

Pestilentiæ ardore triduo consumpta, ad Christum IESVM mira alacritate migrauit. ætat. suæ anno XVIII. salut. hum. M. D. LXIV. IV. Non. August.

DEO IMMOR. & V. S.

Hîc situs est HORATIVS CVRIO, CAEL. Sec. F. Philos. & Medic. laurea ann. ætat. suæ XX. Pisis donatus: cuius ingenium, prudentiam & fidem admirati Reges, eius opera in maxi. negocijs sunt vsi. nam Ferdinando, eiusque F. Maximil. Augustis cognitus, ad intima consilia adhibitus est; grauissimisque de rebus, pro Christ. Repub. Byzantium missus, in ipso munere excessit è vita, magno sui desiderio, non parentibus modò mœstiss. propinquis & amicis, verumetiam ipsi Cæsari, alijsque quibus fuit notus, relicto. Anno ætatis suæ ferè XXX. XV. Februar. Hum. sal. CIↃ. IↃ. LXIV.

Maximil. Cæs. iussu amici F. C.

Huius

Huius ad exemplum iuuenes, florentibus annis
Viuere ritè Deo discite, ritè mori.

IANVA VITAE.

DEO SER. SO. SAP. S.

Cæl. Secundus Curio, AVGVSTINO filio dulciss. sanctiss.q; Polyhistori, ac facundo Basil. scholæ Rhetori: cuius corpus heîc cum III. sororib. lectiss. iacet: spiritus cum Christo, nomen immortalib. scriptis viuit in terris: socio & hærede studiorum orbatus, dum reuiuiscit, P. Vixit ann. XXIIX. Obijt ann. Dom. CIƆ.IƆ.LXVII. die XXIV. Octobris.

CHRISTO S.

AVGVSTINO CVRIONI Bas. scholæ Rhetori,
Qui honestiss. pietatis & erud. certamine suscepto,
In ipso ætatis flore morte vinci,
Quàm patrem vincere maluit,
Veritatis & virtutis cultori Max.
Saracenicôn scriptori,
Hieroglyphicôn auctori,
Americæ illustratori,
Italiæ interpreti,
Theod. Zuing. ob stud. morumque eleg.
Collegæ & amico pijs

cum

cum sacr.
P.
M. L. LXVII.

AVGVSTINVS ERAS IN TERRIS EXVL OBERRANS,
NVNC AVGVSTVS ERIS COELO SVSCEPTVS AVITO.

CHRISTO S.

NICOLAO EPISCOPIO SEBVSIANO, Viro opt. Typographo clariss. & IVSTINAE FROBENIAE IO. F. matronæ honestissimæ, cum per VII. lustra in Sacrosancto coniugio fortunati vixissent, Pietate Deum, AEquitate homines sibi conciliassent, mortal. vinculis exolutis, liberi superstites parentibus desideratiss. M. C. L. P.

Obijt pater ex Atrophia, ætat. suæ LXIII. Non. Martij.

Mater verò cum IV. liberis ex pestilentia ætat. suæ LII. v. Kal. Octobr. anno Christi M. D. LXIII.

Viximus vnanimes, Christo nunc carne soluti
Viuimus; æternùm victuri viuite nati.

ΕΥΔΑΙΜΟΝΕΩΝ ΜΑΚΑΡΕΣΣΗ.

TRINITATI SACR.

NICOLAO EPISCOPIO NICOLAI F. Typographo Basil. vti nominis, ita & artis, industriæ, fidei, erudit. paternæ hæredi; in medio ætatis cursu magno cum Reip. litterariæ incommodo, bonorum omnium cum luctu, humanis exempto, marito incóparabili, ELISABETHA BAVARA vxor infeliciss. animæ suæ dimidio extremum hocce coniug.

coniug. fidei, & obseruantiæ munus contra votum persoluit. Migrauit v. vitæ septenario, anno sal. M.D.LXVI. IV. Kal. Ianuar. H. M. H. S.

ALIVD.

GAMOLYAEO S.

ELISABETHAE HOLTZACHIAE, Eucharij Med. clariss. F. vxori III. venustiss. pudiciss. sanctiss. Io. OPORINVS feliciter infelix, suæ senectæ portui, decori, solatio, quę sibi ab illa fieri desid. opt. oportuerat, multis cum lacrumis F. C. B. Ann. XXXI. ex ijs XI. cum IOAN. HERVAG. iuncta Typogr. sine bile; cum OPORINO menses eheu! vixit IV. Obijt ann. salut. M.D.LXV. XVI. Kal. Aug. cum Christo æternùm victura.

Vicerat insanos fluctus vocalis Arion,
Et portu in medio naufragium patitur.
Quid superest misero? cælum mihi portus, & aura
Christus, quóq; vehat mors mihi Delphis erit.

AETERNITATI SACR.

IOAN. OPORINVS, Basil. Typographus doctus, operosus, elegans, libris innumeris, virtutum hærede ex IV. cõiuge vnico relicto. pub. lacrymis priuata pietate sexagenario maior heic conditur.

Frugifer Autumnus perijt Dis notus, & orbi.
Orthion, elapsus nautis, mediatur Arion.

ITEM.

Quantula sint hominum corpuscula, disce viator.
Magnus OPORINVS conditur hoc tumulo.

Huius viri tumulum quidam amicorum eius hisce verbis ornare meditatus est.

OPE-

OPEROSVS OPORINVS
HEIC SITVS EST.
ERGO REQVIESCIT ARION!
DIXISSE PLVRA FAS NEFA ST.
An. ſal. M. D. LXIIX.
Prid. Eid. Iul. ætat. ſuæ LX.

ALIVD.

Heus viator, triſtis ſpiritus & mentem conſumit, & oſſa.

OSVALDVS ego BERVS fui, non Cous ille ſenex, ſed vrbis huius Hippocrates. Vixi lætus, lætus obiui, & domino vigilans, domino tandem obdormiui. Quid vltra? Mortalitatis exuuio, poſt VXC. ætat. ann. heic depoſito cum Chriſto lætus reſurgam. An. C. S. CIↃ. IↃ. LXVII.

ALIVD.

Siſte gradum viator. Si bonus es morere victurus, ſin malus es viue moriturus.

HOCCE

CONRADVS ego LYCOSTHENES Rubeacenſis, Philoſophiæ perennis compendium, æterni luminum datoris benig. per XLII. valetudinariæ ætatis, ann. M. VII. D. VII. ſedulò ſerioque commentatus: IIX. Kalend. Aprilis, non improuiſo apoplexiæ turbine ad certam immortalit. Anno eiuſdem repar. M. D. LXI. præter votum metumque abreptus, ſortis literariæ multam ſaltem, ſi non magnam reliqui vſuram poſteris. Qui potes meliora, debes, atque vt præſtes in rem tuam abi.

CHRI-

CHRISTO S.

IACOBVM RVDINVM Tribun.plebis Basil. cui præter cætera, illud etiam numinis benignitate contigit, vt ex IV. vxoribus pater esset XII. Auus XLV. Proauus XXVII. Lib.v. Nepp. XXIV. Pronep. XXIII. Superstites P. C. L. P. S. L. Ann. salut. M. D. LXXIII. ætat. LXXII. Tribun. XVI. Die Nouemb. XXIV. Quod virum verè magnum lapis quem S. V. F. C. non caperet, in æternę spem resurrectionis sub hoc saxo cond.

Clarus erat, quia magnus: erit quoq; clarior olim,
AEmula si magni sit pia posteritas.

ALIVD.

VICTRIX IN AMORE QVIESCO.
C. S.
ELIZABETHA BEIERA
fui.
Quæcunque habebam, mecum abstuli:
Fidem, Pudorem, Pietatem:
Quod non habebam, adepta sum in
beatorum sedibus.
SAMVELI GRYNAEO I.C. mar. amantiss.
libbb. item dulciss. luctum reliqui
& lacrumas.
Obijt ann. ætat. XLV. sal. M. D. LXXVI. VI. IXbr.
CONGRATVLANTES CONDOLENTO.

HYGIAE AET.

ADAMVS à BODENSTEIN, Theophrasti Paracelsi, vt primus, sic fidus scitusque, & opere & ore, interpres, palmam victoriæ suæ Regi triumphanti oblaturus, mortalitatis exuuias nec metuens,

metuens, nec optans, solo hoc, cœloq; libero homo liber, fide deposuit bona. Quas spe bona iterũ repetet. ann.sal. CIↃ.IↃ. LXXVII. ætatis hebdomade septima.

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuêre; quînam ego omnibus?
Non omnibus Cous senex,
Non Eremita Spagirus,
Num tu viator omnibus?
Deo placere cura, abei.

AETERNITATI S.

DN. DEMOLINO ROCHEFORTIO Blesati, Gallo, qui vrbis huius liter. secessum aulico splendori lubens anteposuit, vitęque satur æt.an. LXVII. X. Mart. spiritum virtute ac eruditione mobilem misericordi patri, reliquias corpusculi magnę matri REDD. THEODORVS ZVINGERVS EXTR. HOCCE, non mutuum, amoris mutui munus, B.M. P. CIↃ. IↃ. XXCII.

D. O. M. S.

Et maiorum splendore, & virtute propria nobiliss. Iuueni

VITO CHRISTOPHORO VVELZERO, Frauenstenij, & Nusbergæ Domino, Illustris & inclyti viri Dñi Christophori VVelzeri, Sereniss. Carolo Austriæ Exarcho, à Consilijs, & Carinthiæ Præfecti Filio; qui præter ætatem omni politiori doctrina, variarum linguarum peritia, & singulari prudentia instructus, Italia, Gallijs, Britãnia, Germaniaque feliciter perlustratis, dum ad suos commodius redeundi expectaret tempus, Basileæ Rauracorum

facorum angina, ardentique febri correptus, in cęlestem patriam piè emigrauit, summo suorum, patriæ, & vniuersæ familiæ luctu; inuerso fatorum ordine, cariss. filio mater mœstissima F. F. Obijt anno Domini M.D.XXC. VII. IIX. Id. Nouemb. Vixit ann. XIX. M. V. D. VII.

SISTE VIATOR,
&

GEORGIO à COLLEN, patri octogenario, pro pietate tua condoleto. Sic oris & moris probi heîc conditur Eugenius, è nobili Coloniorum gente apud Megalopyrgenses oriundus, spes patriæ, columen familię, iuuẽtutis exemplar, dum Rheno per æstum recreatur, vortice abreptus, in ipso ætatis flore, in medio studiorum cursu, pro Italia, quam cogitabat, cælum adit. CIↃ. IↃ. XXCVII. XVI. August.

TRINVNO S.

THEODORVS *ZWINGERVS* Basiliensis, cùm ex Philosophia tenebras, ex arte medica humanas miserias deprehendisset; summi boni cognoscendi potiundique desiderio accensus, Christiano Philosopho dignam mortis commendationem instituit, viuensque mortuus est, vt mortuus viueret. B. annos 54. mens. 7. d. 8. ☉. Ann. Christ. CIↃ. IↃ. XIIC. 6. Idus Martij.

Alma fides abijt, spes indubitata recessit.
Perfruor, intueor. solus Amor remanet.

ALIVD.

FRANCISCI HOTOMANNI I.C. mortales exuuias, tantisper asseruãdas, dum Christo iubente

 immor-

metuens, nec optans, solo hoc, cœloq; libero homo liber, fide deposuit bona. Quas spe bona iterũ repetet. ann.sal. CIↃ.IↃ. LXXVII. ætatis hebdomade septima.

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuêre; quînam ego omnibus?
Non omnibus Cous senex,
Non Eremita Spagirus,
Num tu viator omnibus?
Deo placere cura, abei.

AETERNITATI S.

DN. DEMOLINO ROCHEFORTIO Blesati, Gallo, qui vrbis huius liter. secessum aulico splendori lubens anteposuit, vitęque satur æt.an. LXVII. X. Mart. spiritum virtute ac eruditione mobilem misericordi patri, reliquias corpusculi magnę matri REDD. THEODORVS ZVINGERVS EXTR. HOCCE, non mutuum, amoris mutui munus, B.M. P. CIↃ. IↃ. XXCII.

D. O. M. S.

Et maiorum splendore, & virtute propria nobiliss. Iuueni

VITO CHRISTOPHORO VVELZERO, Frauenstenij, & Nusbergæ Domino, Illustris & inclyti viri Dñi Christophori VVelzeri, Sereniss. Carolo Austriæ Exarcho, à Consilijs, & Carinthiæ Præfecti Filio; qui præter ætatem omni politiori doctrina, variarum linguarum peritia, & singulari prudentia instructus, Italia, Gallijs, Britãnia, Germaniaque feliciter perlustratis, dum ad suos commodius redeundi expectaret tempus, Basileæ Rau-

racorum

facorum angina, ardentique febri correptus, in cęlestem patriam piè emigrauit, summo suorum, patriæ, & vniuersæ familiæ luctu; inuerso fatorum ordine; cariss. filio mater mœstissima F. F. Obijt anno Domini M. D. XXC. VII. IIX. Id. Nouemb. Vixit ann. XIX. M. V. D. VII.

SISTE VIATOR,
&

GEORGIO à COLLEN, patri octogenario, pro pietate tua condoleto. Sic oris & moris probi heîc conditur Eugenius, è nobili Coloniorum gente apud Megalopyrgenses oriundus, spes patriæ, columen familię, iuuẽtutis exemplar, dum Rheno per æstum recreatur, vortice abreptus, in ipso ætatis flore, in medio studiorum cursu, pro Italia, quam cogitabat, cælum adit. CIↃ. IↃ. XXCVII. XVI. August.

TRINVNO S.

THEODORVS ZWINGERVS Basiliensis, cùm ex Philosophia tenebras, ex arte medica humanas miserias deprehendisset, summi boni cognoscendi potiundique desiderio accensus, Christiano Philosopho dignam mortis commendationem instituit, viuensque mortuus est; vt mortuus viueret. B. annos 54. mens. 7. d. 8. ⊖. Ann. Christ. CIↃ. IↃ. XIIC. 6. Idus Martij.

Alma fides abijt, spes indubitata recessit.
Perfruor, intueor. solus Amor remanet.

ALIVD.

FRANCISCI HOTOMANNI I. C. mortales exuuias, tantisper asseruãdas, dum Christo iubente

 immor-

immortales exſurgant, amici ſub hoc ſaxo depoſuêre. Loco, honoris ergò, ab ædis curatoribus liberaliter conceſſo. Vixit ann. 63. m. 5. d. 20. Obijt prid. Eid. Febr. ann. CIↃ. IↃ. XC.

Gallia progenuit, ſeruat Baſilea ſepultum,
Interitus expers nomen vbiq; viget.
Hunc pietas tumulum, tumulũ hunc Aſtraa tuentur,
Aſtraa cultorem ſuum,
Cultoremq; ſuum pietas, poſt fata tueatur
Aduerſa fata huic ſeculo.
Et ſi deſertas gemebunda voce queruntur
Cultore priuatas ſuo:
Quin reditum ad ſuperos infecta voce minantur,
Nî talis exemplum viri.
Huius tu inſpector tumuli, Pietate ſequaris,
Nî nos ſequamur poſteri.
Hoc ipſe è tumulo clamat poſt fata ſuperſtes,
Hoc ipſe mandat poſthumis.

IN AVLA ACADEMIAE PHILOSOPHICA SCELETORVM *Epigraphe.*

Vtrumque ſane donarium, hoc ciuis, hoſpitis illud ſui, Baſilienſes Academici grato animo illuſtri hocce loco inaugurat. A fronte potius, quàm, vt in triumphis olim, à tergo ſpectandum contemplandumq; propoſuêre: non tanquam Phidiæ, & Praxitelis equos, ſed vt, qui pij ſunt, boniq; mortalitatis ſuæ argumento ad immortalitatem properare, Naturæ verò operum ſtudioſi, ſexus & ætat. diſcrimen citra neg. in humanis oſſibus obſeruare diſcant, & exercere.

IBIDEM.

ANDREAS VESALIVS Bruxellen. Caroli V. August. Archiatrus, laudatiss. Anatomicarum administr. comm. in hac vrbe regia publicaturus: virile, quod cernis, Sceleton artis & industriæ suæ specimen, anno Christiano M. D. XLVI. exhibuit, erexitque. Sexto post lustro, FELIX PLATERVS Archiatrus, & Medicæ scholæ Antecessor, conatu ne maiore, an meliore successu Præceptoris hospitale munus maritarit, fœcundarit, & exornarit, quisquis eris spectator gratiosus, & eruditus, iudicato.

IPSA DE SE SCELETA ITA LOQVITVR.

Nostro petempti scelere,
Aliena viuimus manu:
Pueri auctiores ossibus,
Agilisq; sceleto simia.

IN COLLEGIO INFERIORI E REGIONE TABVLAE, VBI ALVMNI *Erasmi cibantur, ab ipso autore scripta leguntur hæc verba.*

Sudoribus emuntur literæ; sed pariunt immortalitatẽ. Vigilijs parantur; sed semel partæ non amittuntur. Rarius contingunt; sed, vbi contigerint, indubitata simul, & perennis est possessio.

OPORINVS FORIBVS SVIS INSCRIPSIT.

Quisquis es, rogat te
OPORINVS

etiam atque etiam,
vt
si quid est, quod à se velis
perpaucis agas:
deinde
actutum abeas:
nisi,
tanquam Hercules,
defesso Atlante veneris
suppositurus humeros.
Semper enim erit, quod est,
tu agas, & quotquot huc
attulerint pedes.

COLMARIAE.

IN CVRIA.

Oceanus quamuis fluctus pater excitet omneis:
Danubiumq́; omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limine: Caesar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacrae quercus firmis radicibus astant:
Sicca licet venti concutiant folia.

AD D. AVGVSTINI.

Nugamur, mortemq́; procul, procul esse putamus:
At medijs latet haec abdita visceribus.
Scilicet ex illa qua primùm nascimur hora,
Prorepunt iuncto vitaq́; morsq́; pede.
Partem aliquam furtim, quae se metitur & ipsa,
Surripit è vita qualibet hora tua.

Paula-

Paulatim morimur: momento exstinguimur vno:
Vt lampas oleo deficiente perit.
Vt nihil interimat; tamen ipso in tempore mors est:
Et nunc interea dum loquimur, morimur.

INSCRIPTIO GYMNASII.

Patres Reipub. qui docendis atque discendis, cùm litteris, tum moribus ædes hasce posteritatis ergo FF. hortantur pergere, & macte virtute esse adulescenteis, ijsque studijs incumbere, quibus & sibi honori, & amicis gaudio, & reip. emolumento esse possint. Ann. Dom. 1539.

Expertes inuidentiæ Musar. fores.

CONSTANTIAE.

EPITAPH. EMANVELIS CHRYSOLORAE BYZANTINI.

Ille ego qui Latium priscas imitarier artes
Explosis docui sermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucē retulit CHRYSOLORAS *nomine notus,*
Hic sum, post vitam peregrina sede quiesco.
Roma meos genuit maiores; me bona tellus
Byzantina tulit: cineres Constantia seruat.
Quo moriare loco, nil refert, vndiq; cælum,
Pœnarumq; locus mensura distat eadem.

IN SAXO FORNICIS.

Ante aram situs est D. MANVEL CHRYSOLORA, miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum, qui cum Constantino Imper. migra-

migrarunt: vir doctissimus, prudentiss. optimus, qui tépore generalis Concilij Constantiensis diem obijt, ea existimatione, vt ab omnibus summo Sacerdotio dignus haberetur. die 15. April. Conditus est anno 1415.

GENEVAE.

IN D. PETRI.

REuerendus in Christo DN. AMBLARDVS Goyetus I. V. Doctor, & Theologus insignis, Apost. Pronot. Abb. Filliaci, Geben. Canon. pietate in Deum, & religione deuotus, apud principes, nobiles & plebeios, consilio, gratia & liberalitate conspicuus, impio fato concessit, anno à cunis Christi 1517. 7. Martij.

IBIDEM.

Reuerend. Pater PETRVS GRINETVS Apostolicus Proton. Geben. Canonicus, & generalis Vicarius meritissimus, Iurium Doctor celeberr. virtute, gratia & consilio potens, isto exanimis capulo tegitur; die sui obitus XXIII. m. IX. Anno 1531. Orate pro eo.

Qui nostræ fuerat custos gratissimus vrbis,
Virtutem decus & religionis honos,
Præsule sub quinto sceptri donatus habenis,
Nunc diro mortis subditur imperio.
Marmore conclusus iacet & resupinus in antro,
Astra tenet virtus, cætera puluis habet.
Disce tuum quisquis simili pede claudere passum,
Et tergant oculos hæc monumenta tuos.

IOAN-

IOANNI CALVINO.

Epitaphium honorarium nunquam positum.

Sic CALVINE, quiescas, atq; leuis tibi terra
Sit, tua quo possint eruere ossa canes.

Obijt M.D.LXIV. AEtat. LIV. Maij. XXVII.

AVGVSTANA.

Monumentum ab Iconoclastis dirutum.

PETRVS eram SCHAVMBERG quondam de stirpe creatus,
Pilea rubra tuli, quæ mihi Roma dedit.
Cardineos titulos Sancti Vitalis habebam,
Vindelicam rexi Præsul hic Ecclesiam.
Quadraginta & quinq; illic præsedimus annis,
Cardineos titulos gessimus octodecim.

Obijt XII. April. M.CCCC.LXIX. in arce Dilingensi. Translatus Augustam, & ante aram S. Victoris sepultus.

AD S. MARIAE.

Imp. Cæs. OTHONI August. III. ex gente magni VVitekindi Saxonum Regis, Cæs. Othonis August. II. Filio Cæs. Othonis Aug. magni nepoti, Regis Henrici Augu. Aucupis Pronep. Othonis Ducis Saxoniæ, & Rõ. Imp. gubernatoris abnep. Lutolphi Saxonũ Ducis ac nep. Brunonisq; Saxonũ Ducis & VVitekindi Fr. trinepoti. Obijt x. Kal. Febr. anno Sal. M.II. Regnorũ XIX. Imp. V. Quod viscera eius hic condita iacent, Fridericus III. Dux Saxoniæ, Princeps Elector, Comes Prouincialis Thuringiæ, Marchio Misniæ, & Sacri Romani Imperij

 locum

locum tenens Generalis, progenitoribus dulciss. faciundum curauit. Salut. anno M. D. XIII. V. Id. Maij.

AD PRAEDICATORES.

PHILIPPO Catholico, regi Hispaniar. &c. D. Imper. Cæsaris Maximiliani Aug. & Mariæ D. Burgundiæ filio. Qui vix. ann. 28. m. 3. d. 11. Obijt Brugis, florentiss. ætate: magna R. P. Christianæ iactura: relictis patre, & filijs pupillis, Carolo rege, & Ferdinando principe Hispaniar. &c. Anno salut. M. D. VI. 7. Kalend. Octob. ob vitæ eius felicitatem Frat. Ioan. Fabr. deuotiss. posuit. ann. Christi M. D. XIX.

IBIDEM.

Imp. CAESARI MAXIMILIANO Aug. Pio, Felici, Hung. Dalm. Croatiæq; regi, &c. Quòd suũ Austr. Archiducatum, ac etiam Rom. Imp. pacatum reddiderit, auxerit, ampliauerit, quodq; Philipp. filium, & Carol. nepotem, Hispaniar. reges constituerit. Vixit ann. 63. Mens. 9. D. 19. Ob. VVelsæ, d. 12. Ian. salutis ann. 1519. regni anno 33. princ. opt. Christianæque religionis acerrimo propugnatori Fr. Ioan. Fabr. Augustan. Theologus, Maiest. suæ à consilio: deuotiss. faciendum curauit, atque posuit 1519.

IBIDEM.

Imp. Cæs. CAROLO V. Aug. Max. Cæs. Friderici III. pronep. Cæs. Maximil. Aug. & Ferdinandi Magni Hispaniarum Regis nepoti: Philippi, & Ioannæ Hispaniar. Regum filio: Ob felicem eius electionem, ab vniuerso populo Christiano desidera-

deratam:de se an. ætat.20. vnanimi principum elector.consensu factam,4.Kalen. Iulias. sal. an. 1519. principi clementiss. Frater Ioan. Fabr. Theologus ordinis S. Dominici,deuotiss.pos. Ann. reparationis humanæ 1520.

IBIDEM.

FERDINANDO, Principi Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ: Cæs. Friderici III. Aug. pronepoti: Cæs. Maximil. Aug.& Ferdinandi Magni Hispaniar. regis nepoti: Philippi & Ioannæ Hispan.regum filio:Caroli Imp. Cæs. Maximil. Aug. v. fratri germano: principi pientiss. Frater Ioannes Fabr. Augustanus, prædicatorij ordinis,deuotissimè posuit. Ann. hum. restaurationis 1520.

IBIDEM.

Lector aueto.Frater Ioan.Faber: sacræ Theologiæ artiumque Doctor:ordinis prædicator. cōgregal.Germaniæ Vicarius generalis: Prior Augustēsis: AEdem hanc sacram, ruinam ob vetustatem minantem,partim Apostolicę sedis beneficio;partim verò ciuium Augustensium eleēmosynis, Leone X. Pontif. Max. atque Maximil. P.F. PP. gloriosiss. Cæsare remp. Christianam gubernant. Fabr. procurauit. Hieronymus im Hof, & Melch. Stunz, August.max. laboribus,& incredibili cura: Deo Opt. Max. Mar.virgini, Mar.Magdal. Ioanni Euang. atque diuo Dominico, ordinis prædicatorij parenti,intra trienniū,vix credas,à fundament. F.C. anno Christi M.D.XV. Sept.X. Hoc volui vt scires.

metuens, nec optans, solo hoc, cœloq; libero homo liber, fide deposuit bona. Quas spe bona iterũ repetet. ann.sal. CIↃ.IↃ. LXXVII. ætatis hebdomade septima.

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuêre; quinam ego omnibus?
Non omnibus Cous senex,
Non Eremita Spagirus,
Num tu viator omnibus?
Deo placere cura, abei.

AETERNITATI S.

DN. DEMOLINO ROCHEFORTIO Blesati, Gallo, qui vrbis huius liter. secessum aulico splendori lubens antеposuit, vitęque satur æt. an. LXVII. X. Mart. spiritum virtute ac eruditione mobilem misericordi patri, reliquias corpusculi magnę matri REDD. THEODORVS ZVINGERVS EXTR. HOCCE, non mutuum, amoris mutui munus, B.M. P. CIↃ. IↃ. XXCII.

D. O. M. S.

Et maiorum splendore, & virtute propria nobiliss. Iuueni

VITO CHRISTOPHORO VVELZERO, Frauenstenij, & Nusbergæ Domino, Illustris & inclyti viri Dñi Christophori VVelzeri, Sereniss. Carolo Austriæ Exarcho, à Consilijs, & Carinthiæ Præfecti Filio, qui præter ætatem omni politiori doctrina, variarum linguarum peritia, & singulari prudentia instructus, Italia, Gallijs, Britãnia, Germaniaque feliciter perlustratis, dum ad suos commodius redeundi expectaret tempus, Basileæ Rau-

facorum angina, ardentique febri correptus, in cęlestem patriam piè emigrauit, summo suorum, patriæ, & vniuersæ familiæ luctu; inuerso fatorum ordine, cariss. filio mater mœstissima F. F. Obijt anno Domini M. D. XXC. VII. IIX. Id. Nouemb. Vixit ann. XIX. M. V. D. VII.

SISTE VIATOR,
&

GEORGIO à COLLEN, patri octogenario, pro pietate tua condoleto. Sic oris & moris probi heîc conditur Eugenius, è nobili Coloniorum gente apud Megalopyrgenses oriundus, spes patriæ, columen familię, iuuẽtutis exemplar, dum Rheno per æstum recreatur, vortice abreptus, in ipso ætatis flore, in medio studiorum cursu, pro Italia, quam cogitabat, cælum adit. CIↃ. IↃ. XXCVII. XVI. Augusti.

TRINVNO S.

THEODORVS ZWINGERVS Basiliensis, cùm ex Philosophia tenebras, ex arte medica humanas miserias deprehendisset, summi boni cognoscendi potiundique desiderio accensus, Christiano Philosopho dignam mortis commendationem instituit, viuensque mortuus est, vt mortuus viueret. B. annos 54. mens. 7. d. 8. ☉. Ann. Christ. CIↃ. IↃ. XIIC. 6. Idus Martij.

Alma fides abijt, spes indubitata recessit.
Perfruor, intueor. solus Amor remanet.

ALIVD.

FRANCISCI HOTOMANNI I. C. mortales exuuias, tantisper asseruãdas, dum Christo iubente

immortales exsurgant, amici sub hoc saxo deposuêre. Loco, honoris ergò, ab ædis curatoribus liberaliter concesso. Vixit ann. 63. m. 5. d. 20. Obijt prid. Eid. Febr. ann. CIↃ. IↃ. XC.

Gallia progenuit, seruat Basilea sepultum,
Interitus expers nomen vbiq; viget.
Hunc pietas tumulum, tumulũ hunc Astraa tuentur,
Astraa cultorem suum,
Cultoremq; suum pietas, post fata tueatur
Aduersa fata huic seculo.
Et si desertas gemebunda voce queruntur
Cultore priuatas suo:
Quin reditum ad superos infecta voce minantur,
Nî talis exemplum viri.
Huius tu inspector tumuli, Pietate sequaris,
Nî nos sequamur posteri.
Hoc ipse è tumulo clamat post fata superstes,
Hoc ipse mandat posthumis.

IN AVLA ACADEMIAE PHILOSOPHICA SCELETORVM *Epigraphe.*

Vtrumque sane donarium, hoc ciuis, hospitis illud sui, Basilienses Academici grato animo illustri hocce loco inaugurat. A fronte potius, quàm, vt in triumphis olim, à tergo spectandum contemplandumq; proposuêre: non tanquam Phidiæ, & Praxitelis equos, sed vt, qui pij sunt, boniq; mortalitatis suæ argumento ad immortalitatem properare, Naturæ verò operum studiosi, sexus & ætat. discrimen citra neg. in humanis ossibus obseruare discant, & exercere.

IBIDEM.

ANDREAS VESALIVS Bruxellen. Caroli V. Auguſt. Archiatrus, laudatiſſ. Anatomicarum adminiſtr. comm. in hac vrbe regia publicaturus: virile, quod cernis, Sceleton artis & induſtriæ ſuæ ſpecimen, anno Chriſtiano M. D. XLVI. exhibuit, erexitque. Sexto poſt luſtro, FELIX PLATERVS Archiatrus, & Medicæ ſcholæ Anteceſſor, conatu ne maiore, an meliore ſucceſſu Præceptoris hoſpitale munus maritarit, fœcundarit, & exornarit, quiſquis eris ſpectator gratioſus, & eruditus, iudicato.

IPSA DE SE SCELETA ITA LOQVITVR.

Noſtro perempti ſcelere,
Aliena viuimus manu:
Pueri auctiores oſſibus,
Agiliúq; ſceleto ſimiæ.

IN COLLEGIO INFERIORI E REGIONE TABVLAE, VBI ALVMNI *Eraſmi cibantur, ab ipſo autore ſcripta leguntur hæc verba.*

Sudoribus emuntur literæ; ſed pariunt immortalitaté. Vigilijs parantur; ſed ſemel partæ non amittuntur. Rarius contingunt; ſed, vbi contigerint, indubitata ſimul, & perennis eſt poſſeſſio.

OPORINVS FORIBVS SVIS INSCRIPSIT.

Quiſquis es, rogat te
OPORINVS

Bb 2 etiam

etiam atque etiam,
vt
si quid est, quod à se velis
perpaucis agas:
deinde
actutum abeas:
nisi,
tanquam Hercules,
defesso Atlante veneris
suppositurus humeros.
Semper enim erit, quod est,
tu agas, & quotquot huc
attulerint pedes.

COLMARIAE.

IN CVRIA.

Oceanus quamuis fluctus pater excitet omneis:
Danubiumq; omnem barbare Turca bibat:
Non tamen irrumpes perfracto limine: Cæsar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacræ quercus firmis radicibus astant:
Sicca licet venti concutiant folia.

AD D. AVGVSTINI.

Nugamur, mortemq; procul, procul esse putamus:
At medijs latet hæc abdita visceribus.
Scilicet ex illa qua primùm nascimur hora,
Prorepunt iuncto vitaq; morsq; pede.
Partem aliquam furtim, qua se metitur & ipsa,
Surripit è vita qualibet hora tua.

Paula-

Paulatim morimur: momento exstinguimur vno:
Vt lampas oleo deficiente perit.
Vt nihil interimat; tamen ipso in tempore mors est:
Et nunc interea dum loquimur, morimur.

INSCRIPTIO GYMNASII.

Patres Reipub. qui docendis atque discendis, cùm litteris, tum moribus ædes hasce posteritatis ergo FF. hortantur pergere, & macte virtute esse adulescenteis, ijsque studijs incumbere, quibus & sibi honori, & amicis gaudio, & reip. emolumento esse possint. Ann. Dom. 1539.

Expertes inuidentiæ Musar. fores.

CONSTANTIAE.

EPITAPH. EMANVELIS CHRY-
SOLORAE BYZANTINI.

Ille ego qui Latium priscas imitarier artes
Explosis docui sermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucē retulit CHRYSOLORAS *nomine notus,*
Hic sum, post vitam peregrina sede quiesco.
Roma meos genuit maiores; me bona tellus
Byzantina tulit: cineres Constantia seruat.
Quo moriare loco, nil refert, vndiq; cælum,
Pœnarumq; locus mensura distat eadem.

IN SAXO FORNICIS.

Ante aram situs est D. MANVEL CHRYSOLORA, miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum, qui cum Constantino Imper.

 migra-

migrarunt: vir doctissimus, prudentiss. optimus, qui tépore generalis Concilij Constantiensis diem obijt, ea existimatione, vt ab omnibus summo Sacerdotio dignus haberetur. die 15. April. Conditus est anno 1415.

GENEVAE.

IN D. PETRI.

Reuerendus in Christo DN. AMBLARDVS Goyetus I. V. Doctor, & Theologus insignis, Apost. Pronot. Abb. Filliaci, Geben. Canon. pietate in Deum, & religione deuotus, apud principes, nobiles & plebeios, consilio, gratia & liberalitate conspicuus, impio fato concessit, anno à cunis Christi 1517. 7. Martij.

IBIDEM.

Reuerend. Pater PETRVS GRINETVS Apostolicus Proton. Geben. Canonicus, & generalis Vicarius meritissimus, Iurium Doctor celeberr. virtute, gratia & consilio potens, isto exanimis capulo tegitur; die sui obitus XXIII. m. IX. Anno 1531. Orate pro eo.

Qui nostræ fuerat custos gratissimus vrbis,
Virtutem decus & religionis honos,
Præsule sub quinto sceptri donatus habenis,
Nunc diro mortis subditur imperio.
Marmore conclusus iacet & resupinus in antro,
Astra tenet virtus, cætera puluis habet.
Disce tuum quisquis simili pede claudere passum,
Et tergant oculos hæc monumenta tuos.

IOAN-

IOANNI CALVINO.

Epitaphium honorarium nunquam positum.

Sic CALVINE, quiescas, atq; leuis tibi terra
Sit, tua quo poßint eruere ossa canes.

Obijt M.D.LXIV. AEtat. LIV. Maij. XXVII.

AVGVSTANA.

Monumentum ab Iconoclastis dirutum.

PETRVS eram SCHAVMBERG quondam de stirpe creatus,
Pilea rubra tuli, quæ mihi Roma dedit.
Cardineos titulos Sancti Vitalis habebam,
Vindelicam rexi Præsul hic Ecclesiam.
Quadraginta & quinq; illic præsedimus annis,
Cardineos titulos geßimus octodecim.

Obijt XII. April. M.CCCC.LXIX. in arce Dilingensi. Translatus Augustam, & ante aram S. Victoris sepultus.

AD S. MARIAE.

Imp. Cæs. OTHONI August. III. ex gente magni VVitekindi Saxonum Regis, Cæs. Othonis August. II. Filio Cæs. Othonis Aug. magni nepoti, Regis Henrici Augu. Aucupis Pronep. Othonis Ducis Saxoniæ, & Rõ. Imp. gubernatoris abnep. Lutolphi Saxonũ Ducis ac nep. Brunonisq; Saxonũ Ducis & VVitekindi Fr. trinepoti. Obijt x. Kal. Febr. anno sal. M.II. Regnorũ XIX. Imp. V. Quod viscera eius hic condita iacent, Fridericus III. Dux Saxoniæ, Princeps Elector, Comes Prouincialis Thuringiæ, Marchio Misniæ, & Sacri Romani Imperij

locum tenens Generalis, progenitoribus dulciss. faciundum curauit. Salut. anno M. D. XIII. V. Id. Maij.

AD PRAEDICATORES.

PHILIPPO Catholico, regi Hispaniar. &c. D. Imper. Cæsaris Maximiliani Aug. & Mariæ D. Burgundiæ filio. Qui vix. ann. 28. m. 3. d. 11. Obijt Brugis, florentiss. ætate: magna R.P. Christianæ iactura: relictis patre, & filijs pupillis, Carolo rege, & Ferdinando principe Hispaniar. &c. Anno salut. M. D. VI. 7. Kalend. Octob. ob vitæ eius felicitatem Frat. Ioan. Fabr. deuotiss. posuit. ann. Christi M. D. XIX.

IBIDEM.

Imp. CAESARI MAXIMILIANO Aug. Pio, Felici, Hung. Dalm. Croatiæq; regi, &c. Quòd suũ Austr. Archiducatum, ac etiam Rom. Imp. pacatum reddiderit, auxerit, ampliauerit, quodq; Philipp. filium, & Carol. nepotem, Hispaniar. reges constituerit. Vixit ann. 63. Mens. 9. D. 19. Ob. VVelsæ, d. 12. Ian. salutis ann. 1519. regni anno 33. princ. opt. Christianæque religionis acerrimo propugnatori Fr. Ioan. Fabr. Augustan. Theologus, Maiest. suæ à consilio: deuotiss. faciendum curauit, atque posuit 1519.

IBIDEM.

Imp. Cæs. CAROLO V. Aug. Max. Cæs. Friderici III. pronep. Cæs. Maximil. Aug. & Ferdinandi Magni Hispaniarum Regis nepoti: Philippi, & Ioannæ Hispaniar. Regum filio: Ob felicem eius electionem, ab vniuerso populo Christiano desidera-

deratam: de se an. ætat. 20. vnanimi principum elector. consensu factam, 4. Kalen. Iulias. sal. an. 1519. principi clementiss. Frater Ioan. Fabr. Theologus ordinis S. Dominici, deuotiss. pos. Ann. reparationis humanæ 1520.

IBIDEM.

FERDINANDO, Principi Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ: Cæs. Friderici III. Aug. pronepoti: Cæs. Maximil. Aug. & Ferdinandi Magni Hispaniar. regis nepoti: Philippi & Ioannæ Hispan. regum filio: Caroli Imp. Cæs. Maximil. Aug. v. fratri germano: principi pientiss. Frater Ioannes Fabr. Augustanus, prædicatorij ordinis, deuotissimè posuit. Ann. hum. restaurationis 1520.

IBIDEM.

Lector aueto. Frater Ioan. Faber: sacræ Theologiæ artiumque Doctor: ordinis prædicator. cógregal. Germaniæ Vicarius generalis: Prior Augustésis: AEdem hanc sacram, ruinam ob vetustatem minantem, partim Apostolicę sedis beneficio; partim verò ciuium Augustensium eleêmosynis, Leone X. Pontif. Max. atque Maximil. P. F. PP. gloriosiss. Cæsare remp. Christianam gubernant. Fabr. procurauit. Hieronymus im Hof, & Melch. Stunz, August. max. laboribus, & incredibili cura: Deo Opt. Max. Mar. virgini, Mar. Magdal. Ioanni Euang. atque diuo Dominico, ordinis prædicatorij parenti, intra trienniũ, vix credas, à fundament. F. C. anno Christi M. D. XV. Sept. X. Hoc volui vt scires.

DEO IMMOR. SACR.

IACOBVS FVGGER humanæ ſortis atque fragilitatis memor, viuus monumentum hoc, in quo condi mortuus voluit, ad perp. memor. proprio ære ſibi vxorique præmortuæ, cum qua, ann. 14. menſ. 2. d. 27. coniunctiſſ. vixerat, conſtituit: coniugisque monumento iungi voluit; vt quos viuos idem animus, eademq; ſociauerat voluntas: iiſdem defunctis perpetuæ gloriæ atque honoris ſimulacra eſſent vnita.

Certa dies nemini; mors certa cunctis; incerta poſterorum cura.

Tu qui es, ego fui. Qui ego ſum, tu eris.

Io. Iac. Fugg. ſibi, vxori, hæredibusq; eorum.

D. O. M.

ALPHONSO GONZALI de Meneſes à ſecreto cubiculo: ſeren. princip. Ferdin. Hiſpaniarum Infanti fideliſſ. ac opt. adoleſcenti: cui patrius decor arma inter honeſtiſſ. controuerſias induit: quique ſub verbo principis contubernali nudum pectus præbuit: acerbo fato interempto. Fide, amore, veritateque ſui deſiderium hero facientibus. Bernardinus frater fratri mœrens miſero P. Ora pro eo beate Iacobe.

Rogante Sereniſſ. Principe Ferdinando; Philippus Adler locum ſepulturæ inter gētiles ſuos, non minus piè quàm liberaliter gratis conceſſit. Anno à Chriſto incarnato 1526. m. Ianu. d. 6. Morientem Muſæ, Charites & Apollo plāxerunt: Pullata curia condoluit. ann ætat. 28. menſ. 5. die 23. vna minus nocte. Vale Lector.

ALIVD.

ALIVD.

Homo ortus tui rationem, ac termini, maximè tecum meditare. In Deo sit inprimis fixa spes omnisque cogitatio. Cùm enim certa sit mors; hora incerta, neq; cognita vlli: haud curę minori sobrio & vigilanti vitæ æternę tam iactura, quàm lucrum esse debet. Ioannes & Michael à Stetten hæredibus ac posteris suis H. M. F. C.

CHRISTO SERVATORI S.

CATHARINAE nobili Turzonum familia: magnifici Raymundi Fugger. coniugi: pudicitia, pietate, vitæ sanctimonia, benignisque in egenos largitionibus insigni: relicti v. filij M. H. matri dulciss. ac pientiss. amoris ergo PP. Obijt an. sal. 1535. d. vlt. Febr.

IN FVGGERANO SACELLO

D. O. M.

IACOBVS FVGGER Augustanus, omnium sui ordinis ac nationis ornamentum, Maximil. & Caroli V. Impp. à consilio, diuitiarum inusitatarum partu, liberalitate in omnes, vitæ integritate, animi magnitudine, nulli secundus: cùm nemini conferendus viuens fuerit; post obitum inter mortales referendus non erat.

IBIDEM.

VDALRICVS FVGGER Augustanus, aurea mediocritate, munificis Georgio & Iacobo german. fratribus non posthabendus, œconomiæ atque omnis æquitatis, sacrorumque rituum seruantissimus, H.S.E. Vixit an. 72. M. 3. Obijt 1510.

PER-

PERPETVAE SECVRITATI,

HIERONYMO FVGGER: Huld. sen. filio. generis splendore; corporis elegantia; animiq; dotibus insigni: Gloria verò equestri, cæterisque virtutibus ornatissimo. cuius largas inter opes, absque curis anxijsque negotijs; iucundos inter amicos, in otio hilariter ac benignè vitam traducere studium fuit, M. H. patruelis, & patrueles filij ex testamento hæredes, gratitudinis ergo, agnato opt. E. B. M. F. C. Obijt 26. Nouemb. an. sal. 1538.

D. O. M.

RAYMVNDO FVGGER, eximia integritate ac munificentia incomp. optimarum artium, atque rerum antiquarum amantissimo: studiosorum atq; egenorum patrono, & mecœnati vnico, ingenti relicto sui desiderio, magnoque omnium luctu erepto, v. filij mœstiss. parenti pientiss. monumentum hoc P. E. P. Moritur an. salut. 1535. d. 3. m. Decemb. in ædibus, quas ex fundamento proprio ære construxit. Relato cadauere in hoc familiæ sepulchr.

ALIVD.

ADOLPHVS OCCO, A. F. A. N. Medicus Reip. August. hoc sibi monum. V. P. vt in eo cum vxore, ac liberis, ad extremum vsq; iudicij diem mox adfuturum, mortuus quiesceret. Tu viator, quisquis es, quieti locum non inuideas. Vale, Abi.

Qui fuit æternæ Christus mihi caussa salutis,
Exuuijs rursus vestiet ossa meis.
Eius dum reditu mihi vita salusq; paratur,
Interea tumulo molliter ossa cubent.

ALIVD.

ALIVD.

IOACHIMO IENISCH minori; pietate erga DEVM, humanitate, & mansuetudine erga cũctos, præcipuè verò munifica in egenos liberalitate: viro prestantiss. vera in Christum fide, magnoq; cum desiderio, omnibus bonis corporalibus posthabitis, ad patriam cœlestem euocato: Anna Balerina, vidua mœstiss. viro cariss. P. N. an. 1534. Kal. Sept. ☉. 1573. 8. April.

ALIVD.

Venerab: Dn. CONRADVS BRVM, I. V. D. Augusten. & Ratisbon. Canon. sic dispo-suit.

Est hominis nasci primum: vixisse secundum:
Vltima post vita tempora mors sequitur.
Est fortunati benè nasci: viuere honesti
Et iusti: felix est benè qui moritur.
Ergo ego qui natus longo quoq; tempore vixi,
Durum etiam mortis sustinui imperium,
Nec fortunatus nimium: studiosus honesti:
Defunctus tandem regna beata colo.
CONRADVS *patrio dictus cognomine BRVMVS;*
Cuius in hac tumba molliter ossa cubant.

Ob Monaci, cum OEniponte, quò paulò antè à Cæs. Mai. Christianæ reip. caussa vocatus erat, domum contenderet. An. Dom. 1563. à d. 20. Iun. 68. annor. iam senex: cuius anima, cum piè in Christo defunctis, in pace quiescit.

CHRISTO DEO OMN. SAECVL.
Sacram ædiculam,

quæ

quæ ante annos amplius M.CCC.
prima in hac vrbe
Chriſtiano cultui dicata creditur:
quam an. Chr. MLI. reſtitutam
LEO IX. PONT. MAX.
Deo opt. max. & S. Gallo Abbati
ſacrauit.
Vetuſtate iterum collabentem
& ad proph. vſus dudum redactam,
inſtaurandam C.
EVPHROSYNA à KREYT, collegij nobilium
Virginum ad D. Stephanum Abbatiſſa.
Anno P.Chr.N. M.D.LXXXIX.

IESV VIRGINVM CORONAE,
ET MEMORIAE
ELEVSINAE innocentiſſ. Virginis,
quæ ex illuſtri Kyburgenſium
Comitum familia orta,
D. VDALRICO Epiſcopo, ſanguine,
& vitæ integritate proxima,
collegio nobilium virginum
ad D. Stephani ante ann. amplius DC.
prima Abbatiſſæ nomine præf.
quod eius oſſa.
ædic. inſtaurata, detecta,
religioſè iterũ condita,
EVPHROSYNA à KREYT ABBAT. P.
Anno P. Chr. N. M.D.LXXXIX.

IN S. VDALRICI BENEDICTORVM
ABBATIA.
Viuus mihi hanc, ſub qua mortuus requieſcerem,
Domum paraui:

Sum

Sum etenim CONRADVS MOERLIN,
Cœnobij huius Abbas.
Noli obſecro mortuo iniuriam facere,
quam nec tibi fecerim.
Obijt ipſo die Purificationis B. Mariæ, anno
M. D. X.
Fuit hic Abbas XLIII.

IN MEDIO TEMPLI CAMPIDONENSIS ABBATIAE, ORD. S. BENEDICTI.

Monumentum VVOLFANGI à VIRIDI LAPIDE,
vulgò Gruenſtein, viri nobiliſſ. ac doctiſſ.
Salue viator, & noli terreri:
Communis hæc eſt, quam aſpicis, mortalitatis
noſtræ facies.
Sed qui ſim requiris? Fui, non ſum: Es, non eris.
Nec ego te in tenebris noſcere poſſum,
ſed vt teipſum noſcas, rogo.
VALE,
Nouiſſimorum tuorum nunquam immemor;
vt non pecces, & moriaris perpetim.
Obijt an. M. D. LV.

NORIMBERGENSIA.

IN NORIMBERGAM IVL. CAES. SCALIGER.

Diua mihi extremi da munera ſacra laboris,
Non tamen extremo conſpicienda loco.
Sed velut abducto veneramur in ordine cœlum,
Hic vbi naturæ fine quieuit opus.

Non

Non potes æthereis deducere sedibus astra;
Inuenies, tibi qua Norica terra dabit.
Hunc si corruptas terras Astræa relinquens
Fatali statuit sede tenere locum;
Quis putet horrifico sociatas Marte camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe, & Phœbi felicia tempora laure;
Sanctaq; sit valido fœdere iuncta fides.
Omnibus ex istis ne tu ne dempseris vnum,
Addere quin potius omnia magna, tuum est.

IN D. SEBALDI.

IN AENEA TABVLA AVRO OBDVCTA.

ERASMVS TOPLER I. V. D. Protonotarius Apostolicus, ac Serenissimi Maximiliani Romanorum Imperatoris Consiliarius, huiusque ædis Præpositus bene meritus, dum patriæ operam intendit fidelem, Treueris solemni principum cõuentu vitam cum morte mutauit, anno Dom. M. D. XII. VI. Cal. Maij. Vixit annos L.

Tu lector vale, ac pro tanto viro ad Deum preces fundere ne pigeat.

EXTRA VRBEM IN COEMETERIO D. IOANNIS.

MEMORIAE ALB. DVRERI.

Quicquid ALBERTI DVRERI mortale fuit, sub hoc conditur tumulo, emigrauit VIII. Id. April. M. D. XLVIII.

ALIVD PER BILEBALDVM PIRCKHEYMHERVM.

Ingenium, Probitas, Candor, Prudentia, Virtus,

Ars;

Ars, Pietasq́; Fides, hîc tumulata iacent.

EIVSDEM CENOTAPHIVM.

Memoriæ ALBERTI DVRERI viri opt. ac ætate sua pictoris absolutissimi, qui nō solum primus è Germanis picturam auxit, illustrauit, & ad seueriorem legem restrinxit: sed literis posteritati commendare cœpit. Quamobrem, præcipuè verò ob mores compositos, prudentiam, ac modestiam singularem, Nuremburgensibus suis, imò exteris omnibus fuit charissimus. Diuo verò Maximiliano, ac Nepoti eius Carolo Cæsaribus, nec non Ferdinando Hungariæ, & Bohemiæ Regi acceptissimus: qui illum annuo largoq; stipendio fouerunt, & summo prosecuti sunt fauore. Obijt autem non sine magno amicorum desiderio VIII. Id. April. anno M.D.XXVIII. Anno verò ætatis suæ LVII. BILIBARDVS PIRCKHEYMERVS amico integerrimo M. POS.

AMBERGAE.

IN TEMPLO MONASTERII.

VVOLFGANGVS HALLER à Raitenbuech & Amerthal, Diuis Carolo V. Ferdinando & Maximiliano II. R.R.R. Impp. necnon Dn. Friderico III. & Ludouico Patri, & filio Comitibus Palatinis Rheni Electoribus, &c. & Dn. Ioanni Casimiro Comiti Palatino Rheni, &c. Tutori, & Administratori Palatinat. Electoralis à secretis & Consilijs. Positis hic carnis & in ea hærentis peccati mortalibus exuuijs.

Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam in cælo sempiternam, per IESVM Christum Dominũ nostrum, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum: Quo cum vt post mortem æternum beatus viuerem, vixi semper, vt moriturus, anno Chr. M. D. XCI.

PATAVIAE.

IN S. STEPHANO.

Natales mihi clara dedit nomenq́ propago,
Quæ nunc insigni dexteritate viget.
En ego Canonicus primis Patauinus in annis,
Casibus in magnis aspera damna tuli.
Corporis exposui vires in †Schismate totas,† scilicet
Ecclesiæ grãdes ne caperentur opes. (Hęsleriano
Curia testatur fortes Romana labores,
An mea profuerit officiosa manus.
Diuinos ritus, exactaq́ munia templi
Ritè reformaui, quando Decanus eram.
Consensu Patrum conscendi Pontificalem
Ecclesiæ Cathedram, Præsulis arma ferens.
Cæsaream Cameram Iudex bis lectus adiui,
Principibus gratus, Romuleoq́ duci.
Nunc functus vita tumba VIGILAEVS *in illa*
Antistes iaceo: spiritus astra petit.
Obijt anno M. D. XVII. 8. Id. Nouemb.

ALIVD.

CHRISTOPHORVS *cubat hîc, à* TRENBACH,
Nobilis heros,
Præpositus templi, vrbs ô Patauina, tui.

Vir

Vir non maiorum saltem splendore, & honestis
Et longè & latè notus imaginibus.
Sed virtute, bonisq; animi tam notus in vrbe hac,
Quàm vel Aristides vixit in vrbe sua.
Iustitiam coluit summè, dans cuiq; parato
Pectore, quod proprium cuiq; sciebat, ouans.
Quantus at in studio seruandæ relligionis
Extiterit, facilè hoc inde patere potest:
Quod multos aluit iuuenes doctosq; bonosq;,
Et foris, atq; domi, sumptibus ipse suis.
Pauperie oppressos, fortuna humiliq; iacentes,
Munifica est solitus sæpè leuare manu.
Mortuus est verò sic, vt qui non moriturus
Vnquam est: viuit enim cum genitore Deo.
Corpus in hac vrna mortis ludibria passum
Dormit, in hunc ipsum scilicet vsq; diem.
Quo caro consurget rursus mortalis, & antè
Confluet, ætherei Iudicis ora sui.

POSTRIDIE S. THOMAE.

VVITEBERGAE.

IN TEMPLO OMNIVM SANCTORVM.

HENNINGO GODEN Hauelbergensi, Iureconsultorum suæ ætatis facilè principi, huius Ecclesiæ Præposito, ac B. Mariæ Erphurdiensis Scholastico, Canonicoq;, extrema ætate, sed florentibus honoribus, Anno Christi 1521. XII. Kal. Febr. hîc vita functo sepultoque, MATTHIAS MEYER I.C. Cathedralis Hildenshei-mēsis, ac prænominatæ Erphurdiensis Ecclesię Canoni-

nonicus eius vltimæ voluntatis primarius executor, patrono optimè merito gratitudinis ergò F. C.

FRIDERICI III. DVCIS SAXONIAE.

Hæc quicumque vides oculo properante viator,
Ad sacra ne pigeat sistere busta pedem.
Ille FRIDERICVS, *duce quo Saxonia felix,*
Ardua sacratum tollit ad astra caput.
Qui, quamuis tota arderet Germania bellis,
Effeci pacem gentibus esse meis.
At senio tandem longis confectus ab annis,
Hic tegor exiguo conditus in tumulo.
Virtutum laudes, & famam longa mearum
Posteritas semper (sit modò grata) feret.

Decessit anno Christi M. D. XXV. die V. Maij. Vixit annos LXII. mens. III. dies XIX. horas ferè IIII.

ALIVD.

ORA, ET LABORA. IN LABORE PRAEMIVM.

Hâc MATTHAEE *tenes te* VVESENBECE *sub vrna:*
Sed laus doctrinæ nescit in orbe mori.

Obijt V. Iunij, anno Dom. M. D. XXCVI. æt. LV.

Natus Antuerpiæ 1531. suæ ætatis Iurisconsultorum Princeps.

IBIDEM.

Hac PETRVS OTTONIS *recubat sub mole sepulcri*
Ille Mathematici ductor ad astra poli.

Dum

Dum sacra Leucorij moderatur regna Lycai,
Occubat, & cæli patria regna migrat.
Qui teris hoc saxum, ni saxo durior hoc es,
Dices: his benè sit corporis exuuijs.

IN D. MARIAE.

AD TABVLAM, IN QVA CHRISTVS CVM Discipulis Cœnam celebrat.

Siue hanc, siue aliam referebas ore figuram,
Gnate Dei, ex pura virgine natus homo:
Certè hominis tibi forma fuit speciosa decori,
Cui gratum adflauit læta iuuenta decus.
Corpus & haud dubiè validum, toleransq́ laborum,
Quodq́ famem potuit ferre, sitimq́ diu.
Hoc loca testantur multa, & distantia longè,
Quæ cursu aßiduo sunt peragrata tibi:
Inq́ preces vigiles, in tot certamina summum
Robur erat, quod non frangeret vllus agon.
Hei pietas, si quanta tua est? quam pignus amoris
Ingens erga hominum, Christe benigne, genus?
Quod fragili de carne hominum istos induis artus,
Et morti horrenda debita membra subis.
Vt nostram carnem pollutam sordibus, ipse
Contactu emundes, restituasq́ tuo.
Quod sumus ergò, sumus, te nos gestante, tuisq́
Pendentes humeris vile leuamur onus.
Hanc, ô Gnate Dei, miseram ne desere massam,
Ne fiat stygio præda petita lupo.
Sed placideq́ foue, firmoq́ amplectere nexu,
Perpetuo vt simus sarcina grata tibi.

IN MARTINI LVTHERI EFFIGIEM ANONYMI.

Tali Bacchus erat, tali Gargantua vultu,
Tale triplex mentum Pantagruelis erat.

IBIDEM.

Hic iacet extinctus, proh! Mellerstadius ille,
MARTINVS POLLICH, gloria magna virum.
Philosophus, vates, Medicusq́;, Theologus ille,
Proh! iacet hic nostræ Duxq́; parensq́; scholæ.
Quiq́; reformator vicecancellarius omnes
Sustinuit casus; Spiritus astra subit.
Obijt ann. Dom. M. D. XIV. VI. Kal. Ianu.

GEORGII BARONIS A LAMBERCK.

Quem florere vides hodie, cras occidit ille:
Quid sumus, ah? miseri? puluis, & vmbra sumus.
Puluis, & vmbra sumus, metã properamus ad vnam;
Qui bene desierit viuere, saluus erit.
Sic quoq; GREGORIVM lumen vitale reliquit,
Qui Lambergiaco sanguine natus erat.
Viuus ad ætheream migrauit spiritus arcem,
Eius in hoc tumulo molliter ossa cubant.

GEORGII SCHVVICKERI.

Quisquis ades, tabulæ ne sic mirere colores,
SCHVVICKERI studijs vt moueare parum.
Huius ad exemplum patrios tempsisse penates
Discito, diuitias spernere disce puer.
Hic tibi vel iuuenis, vera pietatis imago,
Hunc sequere in studijs sedulitate tuis.

Atq;

Atq; ita, SVVICKERO veluti tibi dextera sedes
AEthereas, sortem iudicis vna dabit.

VRSVLAE BVRENIAE SALOMON
ALBERTVS SEPTEMVIRALIS IN
aula Dresdensi Medicus hoc
mon. F. F.

Hic posuit SALOMON ALBERTVS quatuor vm-
Vxorem, matrem, filiolasq; duas. (*bras,*
Surgere nemo potest diuinæ lucis ad auram,
Qui non mortali ponitur vmbra solo.

GEORGIO A MILTITZ NOBILISS.
Adolescenti ætatis XVII.

O vitam inuitã! O spem exspẽ, sortemq; gemendam!
O fata tristia, commoda atq; incommoda?
Vita fugax hominum est, volucrisq; simillima somno,
Et omnibus breue est, & irreparabile
Tempus; purpureum florem mors atra iuuenta
Carpit, senectam demetitq; marcidam.
Mente vrgescentem rara, gente atq; vigentem
Cara (heu) dies speculum iuuentæ atra abstulit
MILTITZVM morale decus, patriæq; perenne
Alter mihi hoc non carior, non rarior.
At citius moriens, citius petit ætheris aulam,
Elysium & ipse cum beatis incolit
Christicolis: præmisisse haud periisse putetis,
Et cum Deo regna tenere cœlica.

D. O. M. S.

LVDEMILLAE FRIDESINAE ALBINAE, prisca matronarum virtute ornatissimæ vxori, vnanimi, concordi, fideli, dulciss. cum qua sine lite

vixerat PETRVS ALBINVS Ninemontius coniux desolatissimus, mœroris indefessi, meritò pos. Vixit ann. XXIII. M. V. Obijt II. puerpera. III. Kal. Mart. anno M. D. LXXXII.

Corpus terra, melior a cælum possidet.

θύμε βλέψον ἄνω.

Vitam ego, te geminam vixi viuente, fuisti
Supra hanc, quam viuo: tu quia vita mihi.
Morte tua exanimis viuam, nam conditur vna hîc
Maxima tecum animæ pars LVDEMILIA, mea.

ALIVD.

Depositum hîc est, spe certissimæ resurrectionis, corpusculum IOANNIS FREDERICI à VVEIHE I. C. filioli cariss. qui dum in hoc mundo annum, IV. mens. XVI. dies consumpserat, ipse sontico morbo consumptus, & mortuus est, VII. Iulij, anno M. D. LXXXIV.

Felix ô nimium futurus olim
Est, cui sic citius mori placebit,
Quam mundo malè serius perire.

P. P. M. F. C.

MICHAELIS VARADINI HVNGARI.

Dum benè sperata virtutum laude placeret,
VARADINI MICHAEL patria cura soli,
Mortuus in priscas olim reditura figuras,
Nuper in hac sterili membra reliquit humo.
Dum tamen exuuias retinebit corporis vrna,
Hospita siderium pars colit ipsa polum.

Quis-

Quisquis es, & gelida positum spectabis arena,
Expectes vitæ tu quoq; fata tuæ.
Obijt anno M. D. XC. VII. Octob. ætat. XXIV.

IN CAMPO SANCTO.

ANDREAE FREIDEMANNI.

Hac FREIDEMANNIADES lapidis sub mole quiesco,
Nec poteram tumulo floridiore tegi.
Quot dilecta putas me circum pignora matrum
Hocce peregrino contumulata solo?
Integritas vitæ, morumq; virilis honestas,
Et studij vigilax, & pietatis amor.
Clarabant iuuenem, poterantq; referre parentem,
Hos nisi conatus frangeret atra dies.
Iamq; magistralis sperabam præmia mitræ,
Cum fluerent vitæ lustra quaterna meæ.
Ista quidem magni facienda, sed omnibus vnum
Præfero, quod? faciem posse videre Dei.
Obijt die XXX. Iunij anno M. D. IIC. ætat. XX.

MICHAELIS MENCII.

Natus erat cano patri, atq; hoc carior illi
Natus erat, vita sed breuis vsus erat.
Nam primis animam iussit mors ponere cunis,
Et vix visa illi vita relicta fuit.
Quo breuius vixit terris, hoc æthere viuet
Longius: hæc mœstum spes leuat vna patrem.

Obijt anno M. D. LXIX. die XXVIII. Decemb. ætat. M. III. D. II.

EPITAPHIVM, QVOD BALTHASAR MENCIVS LETHALITER DECVMBENS Romæ sibi ipse fecit.

Parcat liuor iners tenebris & morte sepulto,
Cuius nunquam vlli vita molesta fuit.
Stemmate Menciades, patria sum saxo, Camœnis,
Ars mea, & æterno seruijt vsq; Deo.
Scis iam, qui fuerim; quis tu sis, nescio, Lector,
In tenebris: ipsum te rogo nosse velis.

VVIRTEBERGENSIA.

ILlustriss. Principi ac Dominæ, D. ANNAE Duci VVIRTENBERG. Ducis Vldrici, &c. filię dulciss. Quam benigna Dei manus ex ista fragili & caduca rerum humanarum cõditione, ne diutius calamitosis & tumescẽtibus ærumnarum procellis misera quateretur, adolescentulam tenerr. atq; in ipso blãdissimo virginitatis flore an. Domini M.D.XXX. mens. Iunij XXIX. ætatis verò eius XVII. feliciter eripuit: huic, inquam, in hunc locum amœniss. vbi iam Carthusianorum latibula Auraci, cùm illic ann. XXIV. sepulta iacuisset, collaberentur, traductæ Illustriss. Dux Christoferus Dux VVirtemb. clementiss. vnicæ sorori suæ dilectiss. ad perpetuam memoriam hîc erigi voluit, anno Domini M.D.LIV.

CHRISTO CRVCIF. GLOR.

Memoriæ Illustrissimi Principis Vlrici Ducis de VVirtemberg. &c. infantis dilectiss. P. Qui vixit mens. II. d. I. ☉. an. Christi M.D.LVIII. mens. Iulio, d. VII. cuius ossa VIII. eiusdem mensis, huc ad aui-

ad auita conditoria depoſita ſunt. V. C. V.

Principis VLRICI potuiſti tollere corpus
Inuida mors, animam tollere nulla potes.
Scilicet hoc ſolo fuerat mortalis. At idem
Parte tamen viuit nobiliore ſui.

D. O. M. S.

Vt omne natum caducitati ſubiectum, ita & eodem decreto, Illuſtriſſ. Princeps Maximilianus Dux VVirtemberg. &c. Anno ſalut. M. D. LVI. XXVII. die Auguſti natus, menſ. VI. dieb. XXII. ſuperſtes, infans dulciſſ. parentes optatæ vitæ deſiderio priuauit ann. Chriſti M. D. LVII. menſ. Mart. die XVII. Cuius oſſa XIX. eiuſdem menſ. huc ad auita conditoria translata ſunt.

VVIRTZEBVRGENSIA, VEL HERBIPOLENSIA.

IN SVMMO TEMPLO.

CONRADO à THVNGEN Epiſcopo VVirtzeburg. & Franciæ Orientalis Duci, præcipuæ viro iuſtitiæ, egregiæ eruditionis, temperantiæ ſingularis, acutiſſimiq; iudicij, quem primo ſtatim ſuſceptæ adminiſtrationis limite arreptum veſani huius ſeculi diſſidiū, ſeditio, & calūnia ſeueriter diu & contumelioſè habitum, vnà cum Eccleſia eius, extremæ penè ſubieciſſent interneciōni, in Deo ſuffragante, aduerſus iniquiſſimæ fortunæ procellas vigili prudentia, infracta dexteritate, tolerantiaq; mirāda grauiter ſuperaſſet,

ſet, ęquiore ſeculo digniſſ. vixit autem an. plus minus LXXIV. præfuit an. XXI. menſ. IV. dies X. Obijt XVI. Kal. Iul. Anno ſalut. M.D.XL. communi ſuorum mœrore & luctu, vt vmbra corporis comes, ſic faſcium cura, labor, ærumnæ, atque mille pericula; quæ ſtrenuè vtentem ſequuntur vndique, ſed vincit ille cuncta, qui fidit Deo.

AD TVMVLVM MAVRITII AB HVTTEN EPISCOPI EYSTETTENſis, &c.

Aſpicis humana breuis vt ſit linea vita,
Vt dubias verſet mors inopina vices.
Fata manent quemuis, humili ſeu ſtirpe parentum,
Siue ſit à magnis nobilis ortus auis.
Grandia nec proſunt vel pondera diuitis auri,
Lecta vel in rubro gemmea gaza mari.
Omne relinquendū eſt, cùm venerit horula mortis,
Suaue priùs quicquid, vel tibi dulce fuit.
Talia peccati labes ab origine prima,
Noxius hæc meruit præmia lapſus Adæ.
At benè qui vixit, moritur benè, dignus olympo;
Sanguis & quanquam corpus inane iacet:
Vis tamen haud animæ cum corporis interit vmbra,
Vita ſed huic Chriſtus, mors erit ipſa lucrum.
Viue memor lethi quiſquis cœleſtia curas,
Sic lethi victor gaudia læta feres.
Vixit ann. XLIX. dies II. Obijt VIII. Id. Decemb. Anno LII.

IVLIVS EPISCOPVS VVIRTZEBVRG. & DVX FRANC. CARISS. FRATRI SVO Sebaſtiano Echtero à Meſpelbron, V. I. Doctori POS. *Vt ti-*

Vt tibi care meum frater testabor amorem,
Qui raperis fatum iunior ante meum?
Hoc tua componam, quod nunc licet, ossa sepulchro,
Perpetuas animo constituamq; preces.
Morte tua dolui, lacrymas fudere parentes,
Tu sapiens, doctus, religiosus eras.
Spes erat auxilio mihi te, sed vana, futurum,
Imperij dum me sarcina bina premit.
O vtinam pariter, possis vt viuere mecum,
Tempora sint vitæ dimidiata meæ.

Obijt anno Domini 1575. die 7. Nouembr. Anno ætat. suæ 30.

IOANNIS SINAPII MEDICI CLARISS.

Heu vester ille concidit SINAPIVS,
Lugete Musæ, quem tulit Suinfordia
Mater parenti consuli. Vos inclytæ
Duxistis alti sub iugum montis Deæ,
Vbi Latinas Atticasq; litteras
Felix puer cum lacte primo disceret.
Maiora Phœbus huic repente contulit,
Artem medendi industrium vt iuuenem decet.
Hac ille carus regibus multis fuit;
Primum Renatæ Franciæ ad ripam Padi:
Deinde magno Præsuli Zobellio,
Alijsq; multis: atq; cùm prudentia
Præstaret, eloquentiaq; viribus;
Quintus loquentem comprobauit Carolus.
Nil ergò mirum si modò SINAPIVS
Viuit, nec eius vnquam abolebitur decus.

Mens

Mens sancta cœlo continetur, anxiè
Diem resuscitationis expetens,
Christo iubente quando spiritus suum
Corpus reducet, atq; viuent mortui.
Vale viator, & memor SINAPII,
Cui Bruma vitam, Bruma funus attulit,
Viuumq; trade, mortuumq; te Deo.

DEO IMMOR. SACR.

Et virtuti ac memoriæ clementiss. Principis Melchioris ex antiqua Zobelliorum gente, Reuerendissimi huius Ecclesiæ Præsulis sexagesimi, qui adolescentia multis magnisque in negotijs acta, cùm proximum ab eo, qui primus est in amplissimo collegio, dignitatis gradum adeptus esset; vnanimi deinde amplissimi Senatus consensu, caput Ecclesiæ VVirtzeburg. inclytæque Ostrofranciæ Dux factus, magna laude, summo erga suos studio, summa voluntate, egregia fide, singulari pietate, iustitia, temperantia annis octo Rempubl. administrauit. Idē Marchico deinde bello sæuissimo, tentatis frustra sæpè conditionibus, extrema perpeti, quàm suos in hostium potestatem venire maluit. Ideoque sumptus incredibiles, maxima pericula, damna, direptiones, incendia, omniaque hostilia fortiter in tertium vsque annum sustinendo; tandem prælio ac periculo vitæ, ter hostibus in fugam actis, patriam à crudelissima seruitute liberauit, pacem ac tranquilitatem subditis suis, Deo adiuuante, restituit: totique Imperio factum suum comprobauit. Sed, ô fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, quadriennio pòst, pace iam composita, anno D. LVIII. supra

prà millesimum, XVII. Kalend. Maij à XV. coniuratis illius belli reliquijs, in prooppido insidiantibus, ex vrbe in arcem ascensurus, globo per papillam sinistram nefariè traiectus, vnà cum duobus nobilibus aulicis suis præstrenuis iuuenibus VV. Carolo à VVencheine, & Iacobo Fuchs, pro patria, quam conseruarat, mortem in Christo felicem, nobis autem perluctuosam, Princeps opt. gloriosè oppetijt, cùm annos XIII. mens. VIII. dies V. præfuisset, Reuerendissimus amplissimusque Princeps Fridericus à VVirtzburg. Episcopus, ac Franciæ Dux, successor, & in eius morte decoranda studiosissimus. H. M. P. C.

ALIVD.

Conditur hac D'ANIEL STIBARVS *vir magnus in vrna,*
Quem meritò sequitur gloria, fama, decus.

D. O. M. S.

D. DANIELI STIBARO à Rabeneck huius ædis, ac aliarum aliquot Canon. & præpos. Eq. Ord. viro, pietate, eruditione, rerum experientia, omnique adeò virtutum genere, non priuatis tantùm & suis, sed summi ord. principib. etiam exteris probatiss. necnon literatorum ac bonorum omnium fautori patronoq; singulari: qui in grauiss. Reip. negotijs annis amplius XX. summa fide & integritate versatus, ita vt salutari eius consilio multoties adiutam sese patria perspexerit, pro cuius & salute, bello turbulentiss. temporibus necessariò legationis munere perfunctus, deficientibus in itinere viribus, breui pòst tempore, nō sine magno multorū, ac opt. cuiusq; mœrore, succubuit.

Vixit

Vixit annos plus minus III. Execut. Test. F. C C.
Anno 1555.

EPITAPHIVM CONRADI EPISCOPI.

Hic procumbo solo, sceleri dum parcere nolo,
Vulnera facta dolo dent habitare polo.

HERVORDIAE.

IOAN. GLANDORPII MONASTERIENSIS.

Luce bis vndena Febrai Glandorpius atris
Absumptus curis in sua fata ruit.
Ossa boni cineresq; viri tegit humida tellus.
Aspectu fruitur mens animosa Dei.

E REGIONE IN COLVMNA LAPIDEA.

GLANDORPI, *cuius studiumq; fidemq; Iuuentus*
Sensit, amans tellus hoc capit ossa sola.

DE EODEM HENR. SIBAEVS OLPHENIVS.

Lector amans Christi, iacet hîc Glandorpius ille,
Musarum cultor, Pieridumq; decus.
Quem nunquam viuum Germania tota prehendit,
Defunctum tumulus continet exiguus.

MAGDEBVRGI.

IVL. CAES. SCALIGER.

Vos

Vos ego magnanimis inuictos Saxonas armis,
Atq; graues Martis turbine canto duces.
Non Macedo tu miles eras. Sic Græcia mendax
Facta tua in laudes transtulit alta suas.
Non veteres huc te quondam misêre Britanni:
Quin iam seruiuit terra Britanna tibi.
Ipsa tua es: primumq; tuis cum montibus orta:
Cum cœli ipsius finibus orta tui.
Diues agri, diues quæsitæ vestis, & aurí;
Gens, dubium est, armis, iustitiáne prior.
Est hominis, patrijs alios bene vincere telis:
Iustitia teipsam vincere velle, Dei est.

OTTO I. IMPER. OBIIT ANNO D. CCCC. LXXIII. ET SEPVLTVS PROpè coniugem * Editam cum hac inſcriptione. * *alij legunt Idithæ.*

Tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ,
Rex, decus Ecclesiæ, summus honor patriæ.

IN MEDIO FORO VRBIS VETERIS.

ROLANDVM vix vetuſtate agnitum, Conſules D. Ioan. Scheyring, artium & vtriuſque Iuris Doctor: & D. Heyne Aleman, S. P. Q. M. expenſis renouari ac reſtaurari curârunt. Anno Domini M. D. XXXIX.

ARGENTINAE.

AD PRAEDICATORES.

Di Cedite.

CEdite pictores, hinc blandi cedite vates,
Oratorq́ue tuo flumine constiteris.
STVRMIVS vt fuerat, non est imitabilis arti,
Talis & ingenio, talis & ore fuit.

Sturmiorum genti, cuius antiquitas à Rudolpho Habsburgio Romanorum Rege confirmata fuit, perpetuo nobilitatis Offenburgicæ beneficio, quod ab eo VVernherus Sturm. accepit: qui anno 1560. Senator erat. Iacobo item Sturm. ornamento maiorum, exemplo nepotum, anno Christi 1524. Senatori, 25. XV-viro, 26. XIII-viro, sæpè Prætori, XCI. ad comitia Imp. conuentus Principum, ciuitatis legato: Quibus legationibus ab vrbe abfuit annos propè nouem: Qui gratis, maiorum exemplo, patriæ consulere maluit, quàm Electorum & Principum consilijs, magno suo emolumento præfici: constitutis suo consilio Scholis: amplificata sua pecunia bibliotheca: auctisque suo testamento Scholarum fructibus annuis 50. aur. argen. nato anno Christi 1489. mortuo 1553. Aetatis 64. pleno ac 10. Augusti, hebdomade 12. 30. Octobris: optimo ciui: clarissimo viro: charissimo fratri: Fridericus & Petrus Sturmij, amoris, honoris, memoriæ, exempli ergò hanc tabulam posuerunt.

IOAN. STVRMIVS F. Argentor. ann. 1560.

IOANNIS GVINTERII ANDERNACI MEDICI.

Hic situs est ANDERNACVS prope coniugis ossa,
Exspectans regni gaudia læta Dei.
Certabant virtus, pietas, doctrina, senectus,

Et vi-

Et voluit primo qualibet esse loco.
Sed vicit pietas, animamq; per æthera Christo
Adduxit, cuius numen adorat ouans.
Ingenuas coluit felici sidere musas,
Pœoniaq; tulit pluribus artis opem.
In terris famam, nomenq; reliquit honestum,
Spiritus it cælo, membra recepit humus.
Excessit septem decies ac amplius annos;
Mens tamen in sano corpore sana fuit.
Sed quid opus multis? laus vni hac sufficit vna,
Ingenio magnos vicit, & arte viros.
Obijt anno M. D. LXXIV. IV. Octob.

RATISBONA.

IN CVRIA SEQVENS INSCRIPTIO AVREIS LITERIS IN TABVLA MARMOREA.

QVisquis Senator Curiam officij caussa ingrederis, ante ostium priuatos affectus omnes abijcito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationem. Reipub. personam & curam subijcito. Nam vt alijs æquus aut iniquus fueris: ita quoq; Dei iudicium expectabis & sustinebis.

LIPSICA.

IN LIPSICAM IVL. CAES. SCALIGER.

LIPSIA, se ostentans sublimibus aurea tectis,
Lumina dum saturat, mens perit icta fame.

Vecta quibus ratibus longinqua marmora terræ?
Vnde fi equens flaui pura nitela Tagi?
Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc Serica
Sedibus euulsa huc Indica regna suis. (dices
Cùm gemma bibitur, vincuntur nectare gemmæ:
Sed linguæ varius vincit vtrunq; nitor.
Nec Germana tamen vitiatur LIPSIA luxu:
Ast hunc Germanum Lipsia magna facit.

IN CVRIA.

Perditus est cupidè qui turpia fœnera captat,
Fraude suam parto ditet vt ære domum.
De malè quæsitus ni tertius excidat hæres,
Nec quartus certè nullus adire potest.
Sed magis ille sapit, Domino qui fidere nouit,
Inq; sua degit conditione pius.
Hunc vltro sequitur cunctarum copia rerum,
Et velut in somno quod cupit omne, capit.

TITZMANNI DVCIS MISNENSIS IVXTA ALTARE D. THOMAE trucidati.

TITZMANNVS ego sum: me olim genuere pa-
Albertus Princeps, Margaretaq; pia. (rentes
Imperium titulumq; dedit Thuringia nobis:
Marchia Lusatia, Misena & ipsa potens.
Quaq; patet vetus in planis Libano tria campis,
Et qua mundano flumine Ptisna lauat.
Frater erat Fridericus idem Mauortius heros:
Pro patria mecum prælia dira subit.
Nam superare datum est nobis victricibus armis
Bohemiæ populos, Saxoniæq; duces.

Mar-

Marchio de Brenburgk VValdemar nomine dictus,
Agmine deuictus vincula nostra tulit.
Ascanius Princeps cecidit quoq; cuspide nostra:
Sed vitam supplex hic miser emeruit.
Romulidum reges, Albertus, Adolphus, & alter,
Non poterant nostras frangere Marte manus.
Viribus, ô pietas, nostris sed terga dederunt:
Cæsareis opibus tunc ego diues eram.
Innumeri & nostro cæsi sunt ense Sueui,
Audentes patrios sollicitare Deos.
Omnia sic vici, durum sed vincere fatum
Non potui, Lachesis quod dedit atra mihi.
Obijcit illa mea crudelis pectora ferro,
Dum steteram cautus in medio Ecclesiæ.
Sic victor victus cecidi, virtute triumphos,
Et laudes meritas non rapit vlla dies.

Obijt 8. Cal. Ianuar. anno 1280. Dantes Florentinus fecit.

ALIVD.

Siste viator gradum, pij manes te rogitant. Monumentum quod cernis HVGOLDO PFLVG est conditum. ast ipse longè aliud, quod nullis vnquam consenescit seculis, sibi liberalitate ac virtute insigni viuens posuit. Vixit annos XLVI. Mortuus xxv. Septemb. anno † Hæc te scire volui. Aue amice. Vale.

D. O. M.

SIMON PISTORIVS LL. D. Obijt III. Non. Decemb. an. Christi M.D.LXII. ætat. LXXIII. pater liberorum XXIII.

VITA NOSTRA FIDEI VITA EST, NON CONTEMPLATIONIS.

Clauditur hoc tumulo SIMON PISTORIVS, is qui
A patre praclaro nomen auoq; tulit.
Saxonica vixit qui Cancellarius aula,
Vltra quinq; gerens lustra regentis onus.
Ingenio prastans, studio indefessus, honore
Summus, consilijs vtilis, ore potens.
Quod mortale fuit tellus tenet: indita fama
Nominis haud vllo stat violenda die.

Patri clariss. filij mœstiss. P. C. P. C.

IN AEDIBVS HORTORVM D. MARCI PFEIFFERI.

Cùm meus in medio Dominus me poneret horto;
Nocturnis terror furibus, inquit, eris.
Iam dices, quis te metuet casa muta? sed audi,
Iniustum terret qualibet vmbra virum.

IBIDEM.

Heus tu, quisquis in hac furtim viridaria reptas,
Ne continge tua non tua poma manu.
Sed tangis, video: faxit Deus ergo quod opto,
Cum malis nostris & mala nostra feras.

IN AEDIBVS D. AVERBACHI INTERIORIBVS.

Qua neq; pauperibus, neq; mole potentibus auri,
Nec pueris noui parcere, nec senibus:
Mors vocor, impositū nunquid malè dixero nomen?
Quòd fugere à morsu res nequit orta meo.

HOMO BVLLA.

IBI-

IBIDEM.

AEdificandi omnis ratio à necessitate primùm orta est, eam pòst aluit commoditas, & honestauit vsus; vltimum fuit, vt voluptati quoque nonnihil indulgeretur.

EXTRA.

Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli,
Extremam quare quamlibet esse puta.

MOGVNTINA.

AD D. FRANCISCI ANTE SVMMAM ARAM.

QVi sacra Christigenis pădebat fœnore multo,
Talis IOANNES stabat eratq; FERVS.
Artificis dextra pingi mens Enthea nescit:
Illa sed inscriptis conspicienda venit.
Obijt anno Christi M.D.LXII.

IN S. MARTINI.

Bis Præsul factus Comes EYSENBVRG DIETHERVS,
Moguntinam arcem struxerat atq; scholam:
Hoc voluit tumulo corpus condi miserandum,
Ciuibus æthereis dans animamq; Deo.
Obijt anno M.CCCC.LXXXIII. VII. Maij.

SPIRENSIA.

IN SVMMO TEMPLO.

Filius hic, Pater hic, Auus hic, Proauus iacet isthic,
Hic Proaui coniunx, hic Henrici senioris.

CONRADVS II. Imp. Obijt an. 1039. II. Non. Iulij.

GISELA Imperatrix obijt XV. Kal. Martij.

HENRICVS III. NIGER, Obijt an. 1056. III. Non. Octob.

HENRICVS IV. SENIOR, Obijt VII. Aug. Anno 1106.

BERTHA Imperatrix obijt VI. Kal. Ianuar.

HENRICVS V. IVNIOR obijt V. Kalen. Maij, anno 1125.

IBIDEM.

Famosi Reges, clari Comitesq́; Ducesq́;,
Et Reginarum nobilis vsq; phalanx:
Hoc in magnifico dum stabunt secula templo,
Vestrarum laudum fama perennis erit.
Quippe domo nostra cui munera magna dedistis,
Haud frustra placuit corpora vestra tegi.
Sperastis precibus animas quandoq; leuari,
Hic facilem ad superos spes erat esse viam.
Viuite felices æterna laude sepulti.
Quorum animas cœlum, corpora terra tenet.

IBIDEM.

Reuerend. ac illustri Principi ac Domino D. GEORGIO Episcopo Spiren. ac Comiti Palatino Rheni, Ducique Bauariæ, admiranda clementia, prudentia & pietate vndiq; conspicuo: ac demùm flagrante Anglico sudore, immatura morte defuncto, eius in Episcopatu successor PHILIPPVS à FLERSHEIM, hoc monumentum cõstituit. Obijt anno salut. M. D. XXIX. die XXVII. Sept. qui æterna luce fruatur.

IN

IN MONASTERIO VALLIS VTRINAE.

FRIDERICI SPIRENSIVM PRAESulis.

Epitaphium ridiculosum, & satis felix pro illo æuo.

Continet hac fossa, FRIDERICI Præsulis ossa,
Quondam Spirensis, Deus illum pascere mensis
Cæli digneris: epulis quoq; iungere veris.
Anno milleno tricentenoq; secundo,
Atq; Kalen. quinto Februi datur is pius antro.

MISNICA.

Conditur hoc saxo, cui mortem Dresda, sepulcrum
Misna dat, † HENRICVS *principe stirpe satus.*
† Friderici II. Electorum filius.
Tollitur in cælum, teneris extinctus ab annis,
Tristitia hic matris prima dolentis erat.
Mortali quicquid de semine nascitur, illud
Mortali pariter conditione perit.

Obijt anno ætatis XII. XI. Kal. Augúst. M.CCCC. XXXIII.

ALIVD.

Dignus † *Alexandri qui nomine posset haberi,*
† alter filius Friderici II. Electoris.
Heu rapitur manibus mors violenta tuis.
Talis erat facie, forma, virtute, vigore,
Maiorem ingenio ferret vt ore decus.
Sæpè cadit crescens læsis radicibus arbor,

Virtus sæpe suum concidit ante diem.

Obijt anno Domini M. CCCC. XLVI.

FRIDERICI, FRIDERICI II. ELECTORIS F. OBIIT M. CCCC. LI. X. Kal. Ianu.

MATER AD TVMVLVM LOQVITVR.

Vulnera terna tuli, genitrix mœstissima: natis
Quæ tribus ereptis, iam viduata gemo.
Quis titulos patrios feret, aut virtutis honores?
Quis feræ ætatis dulce leuamen erit?
Has tibi sparge rosas, hos flores pono sepulcro,
Nate tuo, super a læte recepte domo.
Cætera Christe tibi, tacita commendo querela,
Sum mater, super sedibus, orta meis.

ALBERTI SAXONIAE DVCIS.

ALBERTI sita sunt hîc clari Principis ossa,
Qui fuit inuictus robore, pace, fide.
Æquabat cælum, quo sospite Misna, supremo
Et tetigit superos vertice læta Deos.
Hoc viuente, fuit scelerum repressa facultas,
Hoc pro iustitia Principe pugna stetit.
Virtuti nunquam meritos subtraxit honores,
Fulsit in excelso pax probitasq́ue loco.

ALIVD.

Nondum genus mortis mea refertur,
Neque adhuc sciunt populi, quid interemit.
Hic ferreum somnum capio sepultus,
ALBERTVS ille Frysijs timendus,

Pro-

Propago Martis, præliorum Enya.
Multi putant hostilia obsidentem
Mœnia, trucidatum esse flammicrepæ,
Fundæ globo: multi negant ita esse.
Sat hoc tamen constat, carere vita
ALBERTVM, ab ortu Saxonum Ducem auito,
Ne Frysijs iam nunc quidem timendum.

EVGE VIATOR.
DVRVM, SI NESCIS, FRANGIT PATIENTIA.
ANNA

Gentis BETSCHITZ nobilis fœmina, immensis malorum acta casibus, armis munita patientiæ victrix sæpe, nunquam succubuit, hîc magnum exemplũ statuit, vnus funestus dies, tres charissimos, Theodoricum Commerstad coniugem, duosque filios (infandum) grauidæ abstulit, ipsaque sola mœrens, secundis relicta nuptijs, quę quidem quamuis contigissent, non perinde bonæ; tamen suo more euicit patientia. Ergo malorum sortita terminum, huc nomen suum illibata cõtulit. pudica, benigna, patiens, matronarum decus omnium. In Christo requiescit suauiter. Mortua est die XXV. mensis Iunij, ætatis suæ LXXXI.

Liberi pijssimæ matri mœrentes F. C.

FRIDERICI DVCIS GREGORII F.

Moribus innocuus, præclaro stemmate Princeps,
Qui niuea placidus simplicitate fuit:
Illa luce diem vidit, qua milite multo,
In Phrysios genitor de patria iuit agros.
Vno qui vixit tantummodo mense maritus,
Postq; aui septem lustra, reliquit humum.

Ante

Ante patrem moritur, qui nulla prole relicta,
Post etiam vitam finijt inde suam.
Scilicet ex omni nil cuiquam parte beatum.
Fata manent iuuenes, credite, fata senes.
Obijt IV. Kal. Mart. Anno M.D.XXXIX.

LAVRENTII HOFMANNI MVSICI.

In choro templi Afrani.

Hic iaceo HOFMANNVS, *cantandi clarus ab arte,*
Misniaca quondam portio magna scholæ.
Francia nascentem, morientem Misnia vidit,
Dantem operam studijs Leucoris ipsa bonis.
Deserui terras, cum nondum lustra peracta
AEtatis cœpi sex numerare meæ.
Si vitam quaeris, placuit mihi semper honestas,
Et studui mores composuisse meos.
Sedulus impositum munus sine crimine gessi,
Primaq́ cura mihi de pietate fuit.
Hac, quod debetur morti, sub mole quiescit,
Pars melior cæli regna beata tenet.

IBIDEM.

Nobilitas & opes & clari fama laboris,
Et studijs mores excoluisse bonis,
Magna viro laus est: sed nil præclarius illa,
Quàm patriam & verum quàm coluisse Deum.
Laude hac, Schleinicia de gente GEORGIVS *ortus*
In vita fuerit, morteq́ clarus erit.
Hunc tumulum nati caro posuere parenti,
Et dulci coniunx officiosa viro.

Obijt anno M.D.LV. X. Kal. Febr. ætat. XLIII.

IBIDEM.

Serbusium domus est, clari virtute parentes,
Nomen IOANNES, gens mihi Schleinicia.
Mors est visa quies, aliam scio speroq́ vitam,
Hic cinis ipse, nouus quando futurus homo est.
Hoc posuit pietas fratrum officiosa sepulchrum:
Mens & amor nobis quatuor, vnus erat.

Obijt anno M.D.XL. IV. Kal. Febr. ætat. XLVI.

PARATVM EST COR MEVM DOMINO,
PARATVM EST COR MEVM.

DEO OMNIPOTENTI SACR.

HVGO decus gentis Maxena in flore iuuentæ
Concidit, vt rigua flos speciosus humo.
Fatalem in morbis varijs cùm cerneret horam,
Ad Christum toto pectore versus ait:
Est tua delictis maior clementia nostris,
Victor, Christe, tuo sanguine mortis ero.
In te credo vnum, corpus tibi pono caducum,
Inq́ tuam patiens omnia trado manum.
HVGO Dei viuens templum fuit atq́ quiescens,
Nunc colit in cælis aurea templa Dei.
Elizabetha parens, dilectaq́ nomina fratrum,
Hoc mœsti titulum constituere loco.

EXTRA VRBEM ANTE D. VVOLFGANGI.

IESV CHRISTO SACRVM.

IOANNI RIVIO Atthendor. viro opt. & mag. mor. seueriss. præclarè de præsentibus posterisque merito; ornato à principib. culto ab eruditis: cum Anna

Anna con. & Paulo fil. morbo populari extincto, hac terra condito. Georg. Fabritius Chem. Præceptori suo incomparabili. Obijt Kalend. Ianuarij M.D.LIII.

Dominus adiutor in oportunitatibus.

CELLAE.

MEMORIAE

CATHARINAE TILENIAE Cellensis, Melchioris Danquardi Secretarij Megapolitani vxoris pudiciss. septimùm prægnantis, sed inter Hericopol. & Brunsuigam ebrij aurigæ incuria cum viro & duobus filiolis bis vehiculo excussæ, & ita consternatæ & læsæ, vt paulò pòst huc delata, abortum fecerit: & vndecimo pòst die, ipsa quoq; piè obdormierit: & hoc ipso in templo, quod ante an. XVI. sponsa adierat, in spem lætissimæ resurrectionis, sepulta sit. Anno CIↃ.IↃ.XXCIV. Decemb. XII.

Maritus coniugi dulciss. & opt. de se meritæ pietatis ergò cum luctu & lachrymis P.

BRVNSVICENSIA.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

Hic iacet HENRICVS quondã Dux, conditor huius
Ecclesiæ, dignus nobilitate pius:
Moribus ornata sibi coniux est sociata,
Pauperibus larga, simplicitate pia.
Inclyta MECHTILDIS Anglorum filia Regis.
Nutriat angelicis hos Deus ipse cibis.
Adiacet aptatus Rex horum sanguine natus

OTTO

OTTO *coronatus, vermibus esca datus.*
Huius erat post sponsa Philippi stirps generosa,
Filia formosa, nunc cinis, antè rosa.
Qui legis hæc metra, memor esto orans pro poëta:
Quid caro, quid vita, quid res? nisi mors, cinis, vmbra.

LVNEBVRGI.

EPITAPHIVM HERMANNI TVLLICHII, PRIMI SCHOLAE LVNEburg. Rectoris.

Hermannus iacet hic TVLICHVS *ille,*
Orator bonus, & Poëta felix,
Huius sceptra scholæ tenebat vrbis
Magna laude diu, sed ante tempus,
Tantum fata virum abstulêre mundo,
Cum mœrore graui omnium bonorum.
Obijt anno 1540. Iulij XXVIII. ætat. LIV.

GEORGII STENII CITHAROEDI.

STENIVS *hic recubat testudine ludere doctus,*
Cui peperit nullum Teutona terra parem.
Cùm moriebatur, Musæ Charitesq́; gemebant,
Tristis & abiecta flebat Apollo lyra.
Ast cœlum risit. quoniam vt mortalibus antè,
Sic insigne melos nunc canit ille Deo.

IBIDEM.

HENRICO HVSANO Isenacensi Turingo, ab ineunte ætate in Germania, Italia & Gallia bonis litteris & linguis exculto, & mox supra ætatem egre-

egregio oratori, politico & I. Cto. Saxoniæ & multorum principum consiliario & legato, Cancellario Megapolitano, & post aulicarum iactationum tædium Luneb. quoque Reip. syndico, dexteritate & vsu rerum conspicuo: & in consilijs, transactionibus & pacificationibus mirificè expetito, pieque hîc defuncto in spem optatiss. resurrectionis vxor & liberi cum lachrym. P P.

CIRCA IDEM MONVMENTVM.

COELVM POLITEVMA PIORVM EST.

Christo vno duce carpe viam, sic itur ad astra.
Aurea puluereis præstant æterna caducis.

Nulli sine Marte triumphi.

VITA CRESCENDO DECRESCIT.
MORS LILIA SENTIBVS AEQVAT.

Nil fragili à fracto; quod tu esse solebas,
Ipse fui, fies tu quoq;, sum quod ego.

LVBECENSIA.

IN LVBECAM IVL. CAES. SCALIGER.

SI referam; mihi quis credet? sub limina mundi
Vltima legiferi iura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumq;, fidemq;,
Fortiáque inuicta pectora pura manu,
Dum mirata stupet terras Astræa relinquens,
Atq; putat cœli regna, resedit ibi.

IN SVMMO TEMPLO.

A. . M. C. LXX. ædificata fuit præsens Ecclesia, per

per Dominum Henricum Ducem Bauariæ & Saxoniæ, & per Henricum III. Episcopum Lubecensem, & fundatorem Monasterij sancti Ioannis in Lubeck consecrata in honorem sanctorum Ioannis Baptistæ & Nicolai confessoris IESV Christi.

IBIDEM.

Anno 1465. prima die Februarij ex hac vita migrauit DETHLEVIVS RANZOW, Dn. in Neuersdorp, huius Ecclesiæ Canonicus, qui hoc loco, cum patre Henrico milite, anno 1464. die 6. mẽsis Martij mortuo, sepultus est. Inscriptionem monumenti vetustate corruptam, H. R. Regius in Holsatia Legatus refecit, Anno Domini 1575. ætat. 50.

Ordinis est sacri DETHLEVVS adeptus honorem,
Qui sua de Canonum nomina iure tenet.
Quâ colitur pulcra templum cathedrale Lubeca,
Quaq; frequens largas ara ministrat opes.
Hic sua tranquillæ traduxerat otia vitæ,
Consilio præstans, ingenijq; bonis.
Sæua trucis genitor tractauerat arma Gradiui,
HENRICVS celebri nomine vectus Eques.
Cum patre iam dormit sociâ DETHLEVVS in vrnâ,
Qua sacra baptismi labra replentur aqua.

HENRICVS RANZOVIVS, Nobilis Holsatus, D. Ioan. F. Regis Daniæ, tam vtriusque Ducatus Slesuicensis & Holsatiæ, quàm Dithmarsorum Gubernator & loci tenẽs, THEODORICO RANZOVIO, summæ spei, optimæque & generosæ indolis, vixdum pubescẽti filio suo dulcissimo, præpropera immaturaque morte sibi erepto, nec non Nicolao Ranzouio, eiusque vxori Luciæ, à quibus

hîc Theodoricus educatus eſt, in memoriam & certam futuræ reſurrectionis ſpem ſtatuit. Obdormiuit Lubecæ, Anno 1572. die XXVII. Iun. ætatis ſuæ II.

IN CATHEDRALI.
Humi in lapide.
D. HENRICI BROEMSII.

Stemmate præclaro doctore proconſule natum,
Doctorem Iuris atra ſepulchra tenent.
Perfidia vulgi patrijs dum ſedibus exul
Imperij Conſul Cæſaris & fit, Eques.
Sic mundi curis tandem, feſſusq; ſenecta
Iungitur inuictus mortis agone Deo.

Obijt anno 1542.

IBIDEM IN SVBLIMI.
D. O. M. S.

Strenuo ac nobilitatis ſplendore viro ſpectabili, Domino HENRICO BROEMSEN, Equiti Aurato, ac I. V. Doctori eximio, inuictiſſimique ac potentiſſ. Caroli V. Imperatoris quondam Conſiliario fideliſſimo, ampliſſimæque ciuitatis huius patricio, agnati, gratæ memoriæ cauſa inſignia hæc poni curauerunt. Obijt humanæ ſalutis anno 1543. die conuerſionis Pauli, cùm vixiſſet annos 67. dies decem & ſeptem.

HAMBVRGENSIA.

IN COEMITERIO SVMMI TEMPLO.

ANno Domini M. D. XVII. in vigilia conceptio-

ptionis virginis matris gloriosæ, spectabilis & egregius vir, Dominus ALBERTVS CRANTZ, sacræ Theologiæ ac Decretorum eximius Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus, lector facundissimus, doctissimusque, & olim Decanus: morum ac virtutum specimen & exemplar, patriæ decus, feliciter concessit in fata. cuius anima cum beatis molliter quiescat.

AENIGMA INCISVM LAPIDI SEPVLCHRALI IN TEMPLO CATHEdrali.

O, MORS, CVR, DEVS, NEGAT, VITAM, SVPER

BE, TE, BIS, NOS, BIS, NAM.

Canon.

Ordine da primam mediæ, mediamq́; sequenti,
Debita sic nosces fata, superbe, tibi.
Quid mortalis homo iactas te? quidúe superbis?
Cras forsan fies puluis & vmbra leuis.
Quid tibi opes prosunt? quid tūc tibi magna potestas?
Quidúe honor? aut præstās quid tibi forma? nihil.

BREMENSIA.

IN TEMPLO PRIMARIO.

BARTHOLDI RANTZOVII, qui obijt anno M. CCCC. LXXXIX.

FVnde viro lacrymas Brema, atq; hūc plāge viator
Extinctum, virtus quē super astra leuat.
Bartholdi Ranzou præclaro stemmate nati
Hoc tumulo cineres ossaq; clausa iacent.

Dum vixit, ſacro venerandus in ordine vixit,
Buxthuda extremum clauſit in vrbe diem.
Cui vita, atq; animo ſtuduit ſeruire pudico,
Defunctum regnis, inſere Chriſte, tuis.

IN CVRIA.

Tempore cùm longo domus hæc collapſa fuiſſet,
Orbáq; iam cuncto pæne nitore foret:
Sumptibꝰ hãc proprijs voluit reparare GERARDVS
Qui de RANZOQ *ſtemmate nomen habet*
Eſſet vt hoſpitij ſedes ſibi grata, ſuiſq;,
Qui cupiunt vrbis commoditate frui.

PALATINA,

SEV

HEIDELBERGENSIA.

IN HEIDELBERGAM IVL. CAES. SCALIGER.

Nobilis Imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte ſecunda viget:
Cùm victis ab ſe pepulit vectigal Alanis,
Libera Germano nomine Franca fuit.
Nec contenta ſuis anguſtis finibus (illi
Quæ par virtuti terra futura foret?)
Egreditur: ſuperat. Germani ô pectus honoris!
Victoris victos nomina ferre ſat eſt.
Non aliundè venis: Francúſue eſt Hectoris vllus.
Quid petis à victo ſtemmata? tota tua es.

DVCVM

DVCVM PALATINORVM AD RHENVM MONVMENTVM.

ROBERTVS Bauariæ Dux, Comes Rheni Palatinus,Romanorum Rex,iuſtus, pacis & religionis amator,dignus Deo viſus, qui pro Iuſtitia pateretur. hui' ſacræ ædis & collegij inſtitutor,hîc cũ caſtiſſima cõiuge Eliſabetha, Norici Mõtis Burggrauia quieſcit. vita functus an.Chr.1410.Cal.Iun.xv.

IBIDEM.

Cætera qui circum luſtras monumenta viator,
Hac quoq; non longa eſt, perlege pauca, mora.
Si Ducis audita eſt forſan tibi fama PHILIPPI,
Clara Palatinæ quem tulit aula domus.
Qui modò Pannonicam defendit ab hoſte Viennam,
Et ſoluit trepidos obſidione viros:
Tunc cùm Threicij vaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent ſubito Norica regna metu.
Mox etiam impleuit magnum virtutibus orbem,
Vtilis hinc armis, vtilis inde toga.
Illius hac tegitur corpus venerabile terra,
Hic animam, hic vitam reddidit ille Deo.
Quod, te, ſi pietas, ſi te mouet inclyta virtus,
Iunctaq; cum ſumma nobilitate fides,
Huic opta vt cineres placida cum pace quieſcant,
Condita nec tellus durior oſſa premat.
Nam pius ad cæli ſublatus ſpiritus arces,
Cum Chriſto viuit tempus in omne ſuo.

Deceſſit IV. Non.Iul. Anno Dom. M.D.XLVIII. AEtatis ſuæ XLIII. cuius P.F. memoriæ Dux Ottoheinricus Comes Palatinus frater amantiſſimus,M.H.F.C. An. Domini M.D.L.

IBIDEM.

Illustrissimo Principi ac Domino D. VVOLFGANGO Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ, &c. Philippi Electoris filio, inter eos qui ad iustam ætatem peruenerunt natu minimo, Principi bonitate ingenij, honesta frugalitate, auitisq; moribus seruandis præstanti, & sorte sua mediocri per omnem vitam contento, Illustriss. Princeps Frid. Tertius Elector hoc monumentum consanguineo charissimo fieri curauit.

Natus est anno M. IVC. XCIV. vlt. Octobr. exemptus rebus humanis 2. April. Anno M. D. LVIII.

IBIDEM.

Illustrissimorum Principum, Equitum auratorum RODOLPHI ac LVDOVICI Comitum Palatinorum, Bauariæ Ducum, ac S. Rom. Imperij Archidapiferorum & Electorū lamentabilia deposita, altare quod cernis recondita tenet, lubrica sors rarum fauorem breuitate gloriæ ac vitæ compensauit: & hunc tamen ex tantis fortunis rudem, etsi sanctum, tumulum cōcessit. Quorum prior tota patria illachrymante acerbo funere raptus est anno Domini millesimo ducētesimo nonagesimo quarto, die 2. Febr. Alter anno mill. trecentesimo, decimo nono, die vndecima Augusti.

ALIVD.

FRIDERICVS Bauariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, S.R.I. Elector, salus patriæ, prædonum fulmen, tres illustres hostes vicit, principatum auxit, & piè è viuis excessit. Anno Christi 1476. prid. Id. De-

Id. Decemb. Fuit eius vitę socia virtus, gloria mortis comes.

ALIVD.

Egregiam virtutem animi dextraq́ꝫ valentis
Dum mecum tacitus cogito Beuterichei
Hic Petrus, exclamo, forte Milesius ille
Pectore, Mopsopius vel Thrasybulus erat.
Ni Thrasybulus eras, Thrasybuli cur mihi viuax
Applaudit celebri spiritus è tumulo?

GVILIELMVS XYLANDER vxorem alloquitur.

Quo saxum struis hoc nobis fidißima coniunx?
Quo mea defuncti versibus ossa notas?
Æterna ipse mihi viuus monumenta paraui,
Præueniens fati fila secanda mei.
Sed tua te, video, pietas non ficta, fidesq́ꝫ
Exstruere hoc nobis certa coëgit opus.
En quò progreditur? superat mala tempora fati,
Scilicet & verus funera nescit amor.

Obijt x. Februar. anno M. D. LXXVI. Anno ætat. XLVI.

AD D. FRANCISCI.

DEPONENTI ANATHEMA, RELINQVENTI BENEDICTIONE.

Sepultus in habitu D. Francisci Anno 1485.

Inuida clauserunt hoc marmore fata RODOLPHVM
AGRICOLAM, Frisij spemq́ꝫ decusq́ꝫ soli.
Scilicet hoc vno meruit Germania laudis,
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

HERMOLAVS BARBARVS PATRIARCHA VENETVS IN MEMORIAM RODOLPHI *Agricolæ summi viri.*

IN SVPERIORI MONVMENTI PARTE hæc leguntur:

RODOLPHI AGRICOLAE FRISII MEMORIAE POS. VIGLIVS ZVICHEMVS.

IBIDEM.

DVRVM EST EXTRA PATRIAM MORI.

Hîc ego RANZOA prognatus stirpe IOANNES,
Mortuus humana conditione cubo.
Cimbrica me genuit, sed non post fata recepit,
Sicq; peregrina sum tumulatus humo.
Hanc me pertraxit studiorum feruor ad vrbem,
Principibusq; comes, nobilibusq; fui.
His licuit cunctis ad patria rura reuerti,
Vnum me reducem noluit esse Deus.
Sed bene mens etenim cælesti sede recepta
Visitat æternæ docta Lycea scholæ.
Corpus humus tegit exanimum, dum suscitet illud,
Extremi Christus tempore iudicij.

Obijt an. M.D.LXXXII. Octob. XVII.

AQVISGRANI.

IN TEMPLO B. MARIAE.

SVB hoc conditorio situm est corpus Caroli, Magni & Orthodoxi Imperatoris, qui regnū Fran-

Francorum notabiliter amplificauit, & per annos XLVI. feliciter rexit. Obijt anno ætat. LXXII. V. Kal. Febr. anno DCCC. XIV.

CIACCONIVS IN VITIS PONTIficum tale ponit.

MAGNI CAROLI Regis Christianiss. Romanorumq; Imperatoris corpus, hoc sepulchro conditum iacet.

COLONIENSIA.

IN COLONIAM AGRIPPINAM IVL. CAES. SCALIGER.

Maxima cognati regina Colonia Rheni,
Hoc te etiam titulo Musa superba canit.
Romani statuunt: habitat Germania: terra est
Belgica: ter felix. Nil tibi diua deest.

IN AEDE CATHEDRALI.

DEO OMNIPOTENTI,

Maioribus suis, propatruis, patruis, fratrique dulciss. amoris & pietatis ergo hic in fide resurrectionis quiescentibus, REINHARDVS ex Baronibus à VVestenburgh, & Comitibus in Leinigen, huius collegij clarissimi Decanus, monumentum hoc lector posuit, in quo & se fatali lege solutum componi viuus constituit. Mortuus est anno M.D.XLI. XVI. Iulij, ætat. suæ XLVIII.

IBIDEM.

ARNOLDI VVESALIENSIS CANONICI.

Quisquis es, in requiem si vis intrare beatam,
Atq; ita cum Christo perpete pace frui:
Verba Dei auscultes, eademq; sequaris oportet,
Ergo dum datur hic viuere, disce mori.
Transitus ad vitam mors est, si credis in illum,
Qui mortem nostri captus amore tulit.

Obijt anno Christi M.D.XXXIV.

IBIDEM.

PROPE SACELLVM TRIVM REGVM.

Viator huc quisquis putaturus venis,
Subsiste paulum quaeso, paucis te volo.
Saxo sub hoc quod iuxta substratum vides,
Illustrium cineres Virorum vrna occulit,
Quos SEINA, stirps virtutibus claros tulit,
Honoribusq; auctos supremo in culmine,
Sacrae adis huius GODEFRIDVS hic prior,
Alterq; IOANNES sua gentis decus:
Ambo, sed exteris perinde ac patriae
Bonisq; certatim omnibus carissimi:
Quos saeuiens superba fatorum manus
Durum subire compulit mortis iugum,
Ergò pios Manes pijs votis iuuans
Hospes legens haec, quisquis es, dehinc VALE.

IBIDEM.

DEO TRINO ET VNI.

Reuerendo Principi, Illustrissimo Heroi ac D. D. Friderico, Saxoniae Duci, Metropolitanae ac S. Gereonis Coloniens. Argent. & Bremens. Ecclesiarum

ſiarum reſpectiuè Choriepiſcopo, Canonico, Theſaurario, & Præpoſito, Eccleſiæ, ditionisque Colonienſis Truxeſiano bello afflictæ, acerrimo, cum vitæ fortunarumque diſcrimine defenſori, oppidorum ac arcium recuperatori ſtrenuo, firma in Chriſtum fide, primo iuuentæ decurſu, religioſè mortuo, Mauritius Saxoniæ, Angariç, & VVeſtphaliæ Dux, in perpetuam amicitię fraternæ nunquam violatæ, Monumentum fratri ære ſuo męſtiſſimus poſ. Mortuus Agrippinæ Coloniæ M. D. LXXXVI. die XI. Menſ. Decemb. Vixit annos XXXII. Menſ. III. dies VII.

Coloniæ, in Choro Eccleſiæ Metropolitanæ.

D. O. M.

Ad memoriam Reuer. & Magnifici viri D. IOANNIS VVALSCHARTZ Tungren. SS. Theol. Doctoris, ac Metropol. Eccleſ. Colon. & D. Cęciliæ Presbyteri Canon. trium portionum, pro 3. ſtudioſis perpetuo alendis, & miſſæ quotidianæ hoc in loco fundatoris, hic ad æneum à ſe erectum & dotatum Candelabrum ſepulti, Executores ex ære relicto męrentes, & ſalutem animæ precantes PP. Anno Domini. CIↃ. IↃ. LXXXXVII. Obijt an. M. D. XCVI. Orate pro eo.

IBIDEM.

DEO OPT. MAX. TRINO ET VNI

Ob memoriam ſacratiſſimæ Incarnationis Chriſti Saluatoris, & honorem SSS. Regum Eccleſiæ & vrbis Colonien. Patronorũ Reuer. in Chriſto Patri ac D. D. Ioanni Nopelio Lippienſi, S. Theologiæ Doctori, Epiſcopo Cyrenenſi, Reuerend. ac Sereniſſimi Principis & Dñi D. Erneſti Archiepiſcopi

copi Colonien. Principis Electoris in Pontificalibus Vicario & Suffraganeo, huius ædis Metropolitanæ Canonic. Presbyt. & Parochialis ad S. Columbam Pastori vigilantissimo, Anno post Christũ Natum M.DC.V.VIII.Id.Ianuarij, qui dies illi natalis & fatalis fuit, Cùm LVII. ætatis expleuisset annum, pientissime defuncto, ad introitum huius Sacelli, iuxta suum Patruum eiusdem nominis, generis, ordinis, ac dignitatis, sepulto, amici Executores, Amoris, & obseruantiæ, in illum suæ testandæ causa mœsti posuerunt. Quo tu Christiane Lector pro ipsius anima precari memor esses.

Ibidem iuxta tombam Trium Regum.

IN COLLEGIATA S. SEVERINI COLONIENS.

Ne intres in Iudicium cum seruo tuo Domine.

Epitaphium Reuerendi Clarissimi & Memorabili pietate Doctrinaque spectabilis viri, Domini GEORGII TISCHII VVirtzeburgici I. V. Doctoris huius insignis Collegij Decani & Canonici, adhæc Sigilliferi Primarij, & Reuerendissimi Illustrissimique Principis D. D. Ioannis Gebhardi Archiepiscopi Colonien. Consiliarij. Obijt anno Domini 1568, die Sabbathi, 22. Mensis Maij. Anno verò ætatis suæ 57. ex ærumnoso Mundanæ peregrinationis Euripo in portum cęlestis patriæ reuocati, cuius Corpus vtpotè terrenum huic terrę redditum est.

I. CORINTH. 15.

Sicut in Adam omnes moriuntur, Ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Tere-

Te venerande gemit Respublica tota GEORGI
TISCHI quē VVirtzpurgh vrbs opulenta tulit.
Consilijs est aucta tuis Ecclesia sæpe,
Consilijs res est publica clara tuis.
Sed quid plangamus? Corpus iam pace potitur
In paradisiaca spiritus arce micat.

IBIDEM.

EXECVTORES HOC EPITAPHIVM POSVERE

Reuerendo, & eximio Domino CONRADO VVIPPERMAN VVideburggensi, S.Theologiæ Licentiato, huius Ecclesiæ Canonico & Decano vigilantissimo, qui post multos magnanime semper exantlatos labores, & post Iubileum honorificè celebratum, pie obijt in Domino anno 1605. die 3. Ianuarij.

IBIDEM.

SIste sIgILLIfer hIC sItVs est LVDgerVs HeresbaCh,
VIr saCer Vt VIXIt fVnDe preCes & abI.
IAC. B.D. auun. POS.

Ludgero Heresbachio Agripp. I.C. Ecclesiæ huius seniori Canonico, Iubilario & Scholastico, Archiep. Curiæ Colonien. Sigillif. maiori tam de hac, quam Vniuersa Colon. Ecclesia optimè merito, cùm post strenuam pro disciplina, Moribus Iurisdictione, ipsaque seruanda libertate Ecclesiastica, tribus ex ordine Archiepis. Principibus Elect. Annis ferè 40. constantissimè Nauatam operam finem & vitæ & laboribus imposuisset, benefactori hæredes PP. Obijt anno Domini M. DCV. XIV. Calend. Nouemb. ætatis LXXIII.

IN

IN COLLEGIATA ECCLESIA S. CVNIBERTI.

MEMORIAE IOANNIS FITZERI.

Hospes sta paullum, quod deico pellege, quoius
Ossua sont isteic maistissima consita, raptom
Veita eius moltum docta fleuere camenæ.
Heic tuam erodijt Præses Montane iuuentam,
Et Sacra Theulogiæ nactus diademata clerom,
Atq; gregem, Cuniberte, tuum rexit, docuitq;.
Sceitus erat, nunquam leuis, aut malu' doctu', fidelu',
Commodu', Ioustitiæ custos, ambitor honesti.
Ingenium, quoi nulla malum sententia suasit.
Sarcophago hoc illum Collegæ deposierunt.
Mens diuôm endo domu perpes laitatur in æuom.
Thomanæ exequias memores iuere camenæ
Carminis has olli, hoc vólui, nè nescius esses.

Pos. Io. Chel. K.

AD GRADVS B. MARIAE.

D. PETRO CLAPIS, alias BREITSTAIN, Iurium Doctori & Professori ordinario famigeratissimo, insigni natalium stemmate ex ciuitate Nouariȩ Italiæ oriũdo, huiusq; sacelli S. Trinitatis erectori, bonæ partis pecuniæ ijs qui Cantico passionis Domini, quod TENEBRAE vocitant, feria VI. intersunt dandæ, atq; stipis singulis diebus Dominicis in hac Ecclesia pauperibus quibusdã erogandæ, Fundatori præcipuo, grata posteritas hoc statuit monumentum, qui obdormiuit in Christo Domino anno à Natiuitate eiusdẽ M. D. LI. D. XV. M. Septemb. in hac cripta sepultus, cum vxore sua

BELA

BELA à BONENBERG, quorum animæ in perpetua pace quiescant. AMEN.

AD LECTOREM.

Siste gradum, hac quo scripta legas, attende viator,
Exemplo simili mors comitata, beat.

IBIDEM.

Ioanni ab Hersfeldt VVerdensi, vita quondam ac moribus probatis, fide integrâ Domini Ioannis Gebhardi Comitis Mansfeldẽsis Subdecani, in æde primaria vicem gerenti, Ludiger ab Hersfeldt frater, memoriç causa ex Testamẽto, eheu dolens, fieri curauit. Mortuus est morbo epidimiali, iuuenis adhuc, iam tum maioribus destinatus, quarto circiter & trigesimo ætatis suç anno, tempore, quo Carolus V. Imperator, Hesdino in Atrebatibus recuperato dirutoque, Dorlacum extremo conatu nequicquam tentabat, Gallo impediente.

VINCE AETERNVM COELITVS.

AD DEI OMNIPOTENTIS

Honorem, & M. Reuerend. D. Hermanni Fabricij Stralensis, S. Theol. D. & Professoris, Ecclesiarum B. M. V. in Gradibus & Capitolio Canonici Presbyteri, Summo Academiæ Colonien. Magistratu, multis pro religione Catholica laboribus, vita denique Anno M. D. LXXXIV. XXIII. Iunij defuncti & hîc sepulti, suique memoriam Reuerend. D. Godefridus Fabricius Stralensis, eiusdem Ecclesiæ B. M. V. in Gradibus Canonicus & Scholasticus, S. Theol. Baccalaurius, eius germanus frater hoc Monumentum pos. Anno M. DC. VII. XX. Decembr.

ALIVD.

ALIVD.

Vt Titana rubri subijt pars altera Cancri,
Hermannus Christi preco vocantis obit.

AD B. BRIGITTAE IN CHORO.

D. O. M.

Viator quisquis es, siste gradum, quod scriptum est lege, hoc is cuius causa scriptum, fieri rogat.

ANDREAE GAILIO Agrippinati, Philippi F. Iurisconsulto toto orbe celeberrimo, antiquæ virtutis & sapientiæ Viro, qui exquisitorum in Iure Ciuili operum auctor, supremi Sacri Romani Imperij tribunalis in Camera Spirensi Adsessor annos XI. Maximiliani secundi VIII. Rudolphi secunpi Impp. VII. aulicus Consiliarius & Referendarius. Multis laboribus & difficillimis legationibus, Romæ politiæ conseruandæ caussa morbisque defatigatus, Anno salut. M.D.LXXXVII. die XI. Decemb. ætat. LXI. vitam exercitam & laboriosam, placita tandem & quieta in Christum pace mutauit. Anna Klawens I. & Christiana Kannengiessera II. vxor. & hęredes charissimo ac B.M. coniugi gementes ac m œrentes pos. M.D.XC.

IN DIVI PAVLI PAROCHIALI ECCLESIA.

D. O. M. A.

GERVVINVS CALENIVS Lippiensis LL. Licétiatus: sibi ac charissimę vxori suę SOPHIAE BIRCKMANNAE, hoc monumentum posuit: qui hic commune sepulchrum elegerunt, vt quos coniugalis charitas in vita arctissimo vinculo coniunxerat, in morte nó disiungerétur. In spe lętæ resurrectio-

ctionis hic nouissimum diem exspectaturi. Interim piorum preces pro se sedulo exoptantes.

Vxor SOPHIA postquam cum Marito 30. annis Matrimonio vnanimiter vixisset; primum naturæ cedens, Anno 1589. die 2. Februarij, Animam Deo reddidit à quo accepit. Cuius corpus saxum substratum tegit, anima Deo fruitur.

Anno 1600. die 14. Sept. GERWINVS CALENIVS Maritus Coniugem sequens, in Domino obdormiuit; & hic iuxta Vxorem vt viuens iusserat, sepultus est.

VALETE SVPERSTITES, MORTALITATIS ET IVDICII DEI SEMPER MEMORES.

DVM DATVR HIC VIVERE DISCE MORI.

IBIDEM.

D. M.

AC ARNOLDO MYLIO,
CIVI, TYPOGRAPHO, SENATORI
COLONIENSI:
OPTIMO, CELEBERRIMO, INTEGERRIMO;
ET BARBARAE BIRCKMANNAE,
MATRONAE HONESTISSIMAE,
CONIVGIBVS INTIMIS, PARENTIBVS
BENE MERITIS:
HVIC XXIV. APRIL. ANN. CHR. CIↃ. IↃ.
XCVI. ILLI XVII. NOVEMB. ANN.
CIↃ. IↃC IV.
PIE DEFVNCTIS:
ARN. MARG. HERM.
MYLII, BIRCKMANNI, LIBERI
MERITO LVG. PP.

Ff PATRIM

PATREM ANNO NECDVM FINITO, SEQVVTVS EST,
ARNOLDVS FILIVS,
QVEM HVC DEPOSITVM, LVGENT SVPERSTITES.
OBIIT VII. SEPTEMBR. ANN. CIↃ. IↃC. V.

IN COLLEGIATA S. ANDREAE.

EPITAPHIVM VENERAND. ET DOCTISS. VIRI CORNELII SCHVLTINGII Steinvv: SS. Theol. Licent. huius Ecclesiæ Canonici.

Hæc tibi CORNELIVM SCHVLTINGH *præsentat imago*
Viuum, qua viuus conspiciendus erat.
Robore vastus erat, canus, vultuq; decorus,
Dotibus ingenij summus & oris erat.
Laurenti primum docuit, post rexit alumnos,
Hinc grauitas, illinc dulcor & oris erat.
Illud Apostolicæ, fecit hoc ædis alumnum
Andreæ merito præmia digna viro.
Hæc vbi pertæsus scriptis inclaruit vrbi
Quin orbi, ingenij dans monumenta sui.
Ossa sub hoc saxo latitant defossa sepulchro
Spiritus in cælo carcere missus agit.

Vt LVX aXe poLI fortIs CasVra GeorgI
CæLItVs à Chara Morte VoCatVs abest.

Obijt ann. M. D C. IV. XX. April.

APVD

APVD SS. MACHABAEOS.

AD SOLIVS DEI GLORIAM, ET AEDIS HVIVS PATRONORVM *honorem, memoriam verò clariss. proximor. maiorum suorum.*

Optimis ciuibus IOANNI BROELMANO apud hanc Coloniam Claud. Aug. Agrippinen. Anno post Chri. N. CIↃ. CCCC. XXCIIX. I. & anno XCI. II. Coss. Gertrudi Kolginæ coniugibus Proauis: Petro Broelmano Patric. Ord. Elisabethæ Bratfischiæ, coniugibus Auis: Petro Broelmano patric. Ord. Elisabethæ Songinæ coniugibus, parentibus cariss. cum his sibi & coniugi incomparabili Claræ Bachouiæ Echthiæ, liberis dulciss. posterisque sortis humanæ memor, Anno post Christi Nat. CIↃ. IↃC. VI. Stephanus Broelmanus Agrippinensis I. C. in Academiâ patriæ per amplius quàm XX. annos Professor intra numerum Ordinarius; & Canonum demum primarius Augusta Vicaria Comitiua dignitate adepta ponebat hunc apud suos cineribus quietis L. L. dum ad eos æternum victuræ redeant animulæ: precibus eas, quales optabis, tui non oblitus, adiuua, quisquis postea legis.

AD PRAEDICATORES.

D. O. M. S.

MARIAE ECHERIAE BARTVICENSI Belgæ, piæ, fideli, Ioannis Baruicius matri B. M. POS. Vixit annos plus minus LX.

Nascendo vt morimur, sic morte renascimur; ergò
Ad vitam, mater, mors tibi pandit iter.
Octo hyemes patria mecum ciuilia propter
Bella aberas, patria nunc fruere æthereâ.

IBIDEM.

GERARDI MATTHISII CANONICI, ET REGENTIS GYMNASII Montani.

Quod satis est, vixi: iam quina decennia natum
Mors rapit. heu! nullus sum, nisi, Christe, iuues.

Obijt anno M. D. LXXIV.

Hoc distichon fato vicinus spiritu & voce alacri cecinit.

D. O. M.

Margaris Eltena nec non antistita Vreda,
Hic Manderscheidia conditur orta domo.
Vicerat ingenio sexum, virtutibus æuum,
Rem meritis, morum dexteritate genus.
Ad voces inopum non ostia surda fuere,
Haud ægros vacuâ sinit abire manu.
Tresq; decemq; dies ierat Sol piscibus, horam
Sol tenuit, Martem nox, quoq; Mensis habent.
LVstrIs bIssenIs, trIbVs annIs, MensIbVs oCto,
OCCIDIt eXtInCtIs pLaVDIt In aXe poLI.

Obijt Coloniæ,
absoluto nono Climacterico,
& mensibus vitæ octo, die Martis
quarta Martij ante sequentem mediam noctem, hora decima.

DEVS ANIMA AETERNAE SIT SALVS.

AD MINORITAS.

EPITAPHIVM F. IOANNIS DVNSII Scoti.

Scotia me genuit. Anglia me suscepit,
Gallia me docuit. Colonia me tenet.

IN MEDIO CHORO HVMI,
SARCOPHAGO IN AEREA LAMINA
incisum.

Ante oculos saxum Doctorem comprimit ingens,
Cuius ad interitum sacra Minerua gemit.
Siste gradum lector, fuluo dabis oscula saxo,
Corpus IOANNIS *hac tenet vrna* SCOTI.
Anno milleno ter CCC. *cumq; adderet octo,*
Postremum clausit Letho agitante diem.

IBIDEM.
Ad septentrionem retro tertium Altare.
QVANDO TANDEM?
DEO OPT. MAX. SACR.
GEORGIO CASSANDRO BELGAE Theologo, in perscrutandis sacris Biblijs & expendendis Sanctorum Patrum monumentis atque sententijs diligentiss.
qui hoc nomine tum pietate, animiq; moderatione clarus, ab inuictiss. Imperatorib. Ferdinando I. & Maxim. II. de conciliandis articulis in religione controuersis consultus, & in aulam adscitus fuit.
Iter autem eò propter podagram, cuius post doloribus occubuit, suscipere prohibitus, librum de ea conciliatione per vtilem pacis amantibus Ecclesijs, ex eorundem Cæsarum auctoritate iussu mandatoque confecit.
Viro itaque vario doctrinæ genere præstanti,
CORNELIVS GVALTERVS GANDAVENSIS, stu-

SIS studiorr. eius atque peregrinationum socius individuusque comes populari suo

posuit.

Vixit ann. LII. M. v. D. x. H. V.

Obijt III. Non. Februar. ∞. D. LXVI.

Te viuente, mihi gratißima docte GEORGI
Vita fuit; liceat te moriente mori.

MORS META LABORIS.

IBIDEM.

DEO IMMORTALI SACR.

IOANNI BAPTISTAE TASSIO, ex nobili apud Bergamas Tassiorum familia, Foesseni (inclyta comitatus Turolensis ciuitate) nato, qui dum, post multa apud Belgas militaria munia, pro inuictiss. Hispaniarum Rege Philippo praeclarè gesta, Praefectus Germanicae legionis, ad Bonnae obsidionem expeditionem agit, ex insidijs plumbeae glandis ictu infeliciter cecidit.

Monumentum hoc

INNOCENTIVS Pater filio moestus pos.

Vixit ann. plus minus XXXVI.

Obijt XII. Kal. Maias,

Anno M. D. LXXXVIII.

ANTE ALTARE SVMMVM IN SARCOPHAGO.

Miles eram Regis, PREINORVM stemmate claro
Ortus, militia nunc fruor aetherea.
Sic nec nobilitas generis, nec firma iuuentus,
Nec vires, nec opes rumpere fata valent.

Obijt anno M. D. LXXXIIX. in profesto SS. Simonis & Iudae.

AB

AD CARMELITAS.

Matronam piam præſtantis viri CONONIS à VLATTEN Iuliaci Ducatus Conſiliarij & Pincernæ perpetui coniugem viduam mors ſuperûm miniſtra mortalibus eripuit, immortalibus reddidit. Animam tulit Deus, carnem & oſſa VLATTENI FF. hic condidêre, & hoc monumentum pro erga charam matrem affectu poſuêre: proinde optime viator, eam cum Chriſto perpetuè viuere, & æterna requie frui, ne dubita, Heres quippè regni Dei erat, indigna vt diutius inſanis hic belli tumultibus exularet, & auita dulcia linqueret arua. Anno Domini M. D. XLIII. Kalend. Maij.

EPITAPHIVM CLARISSIMI VIRI, IOANNIS CAESARII IVLIACENſis Medicinæ Doctoris, qui obijt Anno 1551.

Per Magiſtrum Ioannem Fabritium Bolandum.

A puero colui Muſas ſtudioſus honeſtas,
Cura quibus vita qualibet huius abit.
Non mihi diuitias contraxi turbidus amplas,
Contentus modico parcior vſque foco.
Ad ſenium veni celebs, mea tempora cani,
Ornarunt crines, barbaq; cana fuit.
Sed breue momentum videor vixiſſe, quid in ſe
Portio temporis hac quantula quaſo capis?
Eſſe Dei verbum Chriſtò doctore colendum
Duxi, quod ſuperat catera cuncta petens.
Hoc manet aternum florens duntaxat, ab illo.

Perpetua redit huc grande salutis opus.

Coloniæ in Monasterio fratrum S. Hieronymi ad riuum Salicum, vulgò, zu Weidenbach.

DVSSELDORPII.

EPITAPHIVM SERENISSIMI ILLVSTRISSIMIQVE PRINCIPIS D. VVILHELMI Ducis Iuliæ, Cliuię, Montium &c. Dusseldorpij in Collegiata Ecclesia, post summum Altare sepulti, in infima tumba positum.

Quis iacet hic? Dux Iuliacus. Qua stirpe parentum?
Cliuorum illustri sanguine natus erat.
Quæ Coniunx? Maria illa fuit? Quo stemmate? magni
Cæsaris ex diuo Cæsare nata soror.
Quid coluit Iuuenis? Martem. Quid adultior annis?
Pacem. Quid semper? Iustitiam atq; Deum.
Quo morbo perijt? Senio cordisq; dolore.
Qualiter? inuicta spe, stabilisq; fide.
Ergo fuit? viuit pars prima. Quid altera? surget
Vnde? ex hoc tumulo. Quando? vocante tuba.

Iacobus Lom Ruræmundanus P.P.

NVMERALE ANNVM ET DIEM LAMENTABILIS obitus continens.

QVIntarenasCentIs CVM LVX assVLserat annI,
CLIVensIs prInCeps regna beata petIt.

ALIVD.

IanI qVIntaneCat MartIs bIs qVInta sepVLCbro,
NobILe fert CorpVs prInCIpIs heV IVLIæ.

ALIVD.

ALIVD.

PER IANVM QVAESTOREM VVINDECANVM.

Viator heus quamuis citus pertranseas,
Hoc te tamen saxum rogat, digneris vt
Relegere, quod scriptum est. In isto condita
Iacent sepulchro, CLIVIAE magni DVCIS
Ossa GVLIELMI; dic aueto HEROICVM
Corpus, ANIMAE dic, in polis congaudeas
CHRISTO redemptori tuo, tunc perfice
Iter: hoc volebam nescius ne esses: Vale.

TEVTOBVRGI, SIVE DVYSBVRGI IN CLIVIA.

D. O. M. S.

GERARDO MERCATORI Flandro Rupelmundano, Iuliacensium Prouincia oriundo, Domestico CAROLI V. Rom. Imp.

Et GVILIELMI P. ac IOANNIS GVILIELMI F. Iuliacensium, Cliuensium, &c. Ducum Cosmographo.

Mathematicorum sui temporis facilè Principi: qui globis artificiosis radio dimensis, cælum ac terram interiùs & exteriùs, qua licuit, demonstrauit. à varia doctrina laudato.

Virtute, quod caput est, & integritate vitæ, & omni morum comitate claro, hæredes Patri B. Merenti dolentes, & eruditorum studiosa cohors amico P.

Editus in lucem fuit III. Nonas Martij,
H. VI. A. M. ∞. D. XII.
Excessit è viuis IV. Non. Decnmbr.
H. XI. A. M. ∞. D. XCIV.

BELGICA, ANTVERPIENSIA.

IN ANTVERPIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Oppida quot spectant oculo me torua sinistro;
Tot nos inuidiæ pallida tela petunt:
Lugdunum omnigenum est: operosa Lutetia: Roma
Ingens: res Venetum vasta: Tolosa potens.
Omnimoda merces, artes priscaq; nouaq;,
Quorum insunt alijs singula, cuncta mihi.

IN EANDEM.

MAXAEMILIANVS VRINTIVS S.P.Q. Gand. à secretis.

Regia Mercurij, fortis domus, area Martis.
Merce vigens, opibus turgida, ciue potens.
Legibus æqua, superba foro, admiranda penate,
Turre stupenda sacrâ, mole timenda sua.
Meta hosti, vindex LIRAE, cæso inclyta Gallo,
Apta salo, cælo grata, benigna solo.
Orbis miraculum, famæ stupor, vnica Phœnix;
Vix præsente oculo, vix capienda fide.
Nescio quam dicam, minor est vox omnis, at ipsa
Se validè ANTVERPAM dicere sola potest.

IN

INSCRIPTIO PORTAE CAESAREAE.

CAROLVS V. CAES.

Hanc portam primus mortalium introgressus, CAESAREAM nuncupauit, Die XXV. Nouembr. Anno M.CCCC. XLV.

IBIDEM.

ALBERTO ET ISABELLA

Per maiorum vestigia ANTVERPIAM ingredientibus, & eorum exemplo piè ac prudenter recturis; S. P. Q. A.

IN PROPVGNACVLIS

Diuæ MARIAE Hung. Reg. Diui Carol. V. Cæsaris sorori, patriæ ex fratris auctoritate tutrici S.P.Q.A. hanc molē ex eius nomine Marianā nuncupantes, pijs votis D. D. Quòd sollicito illius hortatu tantæ hæc vastitatis mœnia grauiss. Reip. impēsis vel quadrimestri spacio, ad mille passuum longitudinem in superiorem vsque limbum excitata sint, vniuersumque vrbis ambitum hac parte complerent, mense Augusto, M. D. LII.

Constant. Halmalus, eques auratus huic moli primum iecit lapidem, die XVII. Iulij M. CCCC. LII.

IVSSV CAROLI V. CAES.

IOANNES à CROMBACH, eques aur. huius vrbis Senator, huic moli indito nomine, D. Iacobi, primum iecit lapidem anno M. D. LII. d. III. Iunij.

IN CATHEDRALI B. MARIAE.

D. O. M. S.

LAEVINVS TORRENTIVS patria Gandauen-

sis, litteris & legationibus domi forisque spectatus. Ex Archidiacono & Leodiensis Principis Vicario generali II. Antuerpiensium Episcopus, III. Mechlin. Archiepiscopus designatus. Collegij Societ. IESV apud Louanienses fundator. Ad rerum status Belgij Concilium ascitus, dum præcipitantem Rempub. fractus viribus animo infracto, consilijs sustento, Bruxellæ decessi VI. Kal. Maias, CIↃ. IↃ. XCV. Vixi ann. LXX. M. I. D. XVIII.

D. O. M. S.

CHRISTOPHORO PLANTINO TVRONENSI, Ciui & Incolæ Antuerpiano,
architypographo regio,
Pietate, prudentia, acrimonia ingenI, magna
CONSTANTIA AC LABORE maximo;
cuius industriâ atq; operâ,
infinita opera, vetera, noua,
magno & huius & futuri seculi bono in
lucem prodierunt:
IOANNA RIVIERA coniux, & liberi, hæredesq;,
illa opt. viro, hi parenti,
mœsti POSS.
Tu qui transis, & hæc legis, bonis manibus,
bene precare.
Vixit ann. LXXV. Desijt hic viuere
Kalend. Quinctilibus.
Anno Christi CIↃ. IↃ. XXCIX.

AENEAE A MARIVORTA.

Iconoclastæ fregerunt.

Quis sim, quis olim, quis deniq;
Viuens fuerim, requiris hospes optime:
Sum puluis, olim nobilis.

Dum,

Dum fata vitam haud inuident superstitem
Belli, togæ, domi, foris.
Heroas inter splendidos haud infimus,
Et miles & dux agminis.
At forte nomen & genus quæsiueris
Et patriam de nomine;
Respondeo quod Cypridos quondam fuerit
Gnato, Creusæ coniugi;
Idem parentes indidere infantulo,
Vocatus AENEAS *fui.*
Gens Mariuoorta originem mihi dedit.
Antiquitate splendida.
Brugis in aureas me mater primum tulit,
Herois inclyta & pia.
Quid sim, quid olim (vel potius nuper) fui,
Scis hospes. at tu quis sies,
Tenebris situs nequeo quidem cognoscere;
Sed tute te ipsum noueris.
Abijt ad superos XIX. Maij, anno M.D.LXXVI.

IN S. CIRCVNCISONIS SACELLO.

RESVRRECTIO CHRISTI, VITA MORTVORVM.

D. O. M.

FRANCISCO I.F.I.N. SCOTTO Belgæ, ciui & mercatori Antuerp. D. de Bouterfen, inter huius R.P. pauperum, patronos quondam adoptato, deq; patria B.M. & ANNAE BOSCHAERT eius coniugi, parentibus chariss. liberi mœsti PP. Obijt ille ætatis suæ anno LXXII. Christi CIƆ. IƆ. LXXXVII. IX. Kalend. Maij. Hæc verò ætat. LIX. Chri-

Christi M. D. LXXII. X. Kalend. Februar.

R. I. S. T.

MORS TRANSITVS AD VITAM.

IBIDEM.

Louanij doctus, Dordraci natus, IOBVS,
Hoc est NAVCLEROS conditus in tumulo.
Quem virtus, pietas, & docta gratia linguæ
Huius Plebanum fecerat esse domus.
Illum, heu! Parca ferox, nostro nimis inuida Clero
Vix passa est vitæ lustra videre decem:
Sed febre confectum dedit hoc sub marmore corpus,
Hac cineres atros ossaq; texit humo.
Disce hospes, nulli crudelia parcere fata,
Atq; silenti vmbræ vota benigna face.

Anno M. D. XCI. X. Februar.

IN LAMINA ANTE SACELLVM D. Virginis.

BARTHOLOMAEO TVCHER

Ex Norica illa gente, quæ ab Henrici IV. Aug. temporibus, continua maiorum serie Reip. suæ præest; Anno M. D. XLII. Die XXVI. Octobr. defuncto.

HERBERTAE DENS.

Eius vxori, Anno M. D. LVII. Die XXIX. Martij, posteris omnibus, & coniugibus eorum, in spe resurrectionis heic quiescentibus.

IBIDEM.

HENRICVS RANZOVIVS Regis Daniæ in Duca-

Ducatibus Administrator, Francisco ab Hallen, Domino in Drakenburg & Rintclem, ex equestri Brunsuicensium ordine nato, socero suo, hac in vrbe piè defuncto, anno nimirum 1553. die 27. Septemb. marmoreum hoc monumentum constituit: & iam secundùm belli tumultibus destructum, innouauit.

POSTERITATI
S.
LVDOVICO GVICCIARDINO
Patricio Florentino,
Iacobi F.
Francisci Guicciardini
Historiographi celeberrimi ac laudatiss. N.
de Belgio & præcipuè Belgij vrbe
bellissima bellicosissimaque
ANTVERPIA
præclarè meritò,
FRANCISCVS SVVEERTIVS F.
H. M. P.
donec Coss. nationis Florentinæ
dignum se, dignum viri virtute
erigant Cenotaphium.
Obijt XI. Kal. April. anno CIↃ. IↃ. LXXXIX.
AEtatis suæ LXVI.
OPTIMVM VITAE BONVM MORS.

D. O. M. S.

Inscriptio Lipsiana, Tumulum ex marmore.

Mortalis audi pauca verba mortua.
Ego MARIA sum DECKERIA, nata Antuerpiæ,
Sed me Religio misit hinc Coloniam,

Illic

Christi M. D. LXXII. X. Kalend. Februar.
R. I. S. T.

MORS TRANSITVS AD VITAM.

IBIDEM.

Louanij doctus, Dordraci natus, IOBVS,
Hoc est NAVCLEROS conditus in tumulo.
Quem virtus, pietas, & docta gratia linguæ
Huius Plebanum fecerat esse domus.
Illum, heu! Parca ferox, nostro nimis inuida Clero
Vix passa est vitæ lustra videre decem:
Sed febre confectum dedit hoc sub marmore corpus,
Hac cineres atros ossaq́; texit humo.
Disce hospes, nulli crudelia parcere fata,
Atq; silenti vmbræ vota benigna face.

Anno M. D. XCI. X. Februar.

IN LAMINA ANTE SACELLVM D. Virginis.

BARTHOLOMAEO TVCHER

Ex Norica illa gente, quæ ab Henrici IV. Aug. temporibus, continua maiorum serie Reip. suæ præest: Anno M. D. XLII. Die XXVI. Octobr. defuncto.

HERBERTAE DENS.

Eius vxori, Anno M. D. LVII. Die XXIX. Martij, posteris omnibus, & coniugibus eorum, in spe resurrectionis heic quiescentibus.

IBIDEM.

HENRICVS RANZOVIVS Regis Daniæ in Duca-

Ducatibus Administrator, Francisco ab Hallen, Domino in Drakenburg & Rintclem, ex equestri Brunsuicensium ordine nato, socero suo, hac in vrbe piè defuncto, anno nimirum 1553. die 27. Septemb. marmoreum hoc monumentum constituit: & iam secundùm belli tumultibus destructum, innouauit.

POSTERITATI
S.
LVDOVICO GVICCIARDINO
Patricio Florentino,
Iacobi F.
Francisci Guicciardini
Historiographi celeberrimi ac laudatiss. N.
de Belgio & præcipuè Belgij vrbe
bellissima bellicosissimaque
ANTVERPIA
præclarè meritò,
FRANCISCVS SVVEERTIVS F.
H. M. P.
donec Coss. nationis Florentinæ
dignum se, dignum viri virtute
erigant Cenotaphium.
Obijt XI. Kal. April. anno CIↃ. IↃ. LXXXIX.
AEtatis suæ LXVI.

OPTIMVM VITAE BONVM MORS.

D. O. M. S.

Inscriptio Lipsiana, Tumulum ex marmore.

Mortalis audi pauca verba mortua.
Ego MARIA sum DECKERIA, nata Antuerpiæ,
Sed me Religio misit hinc Coloniam,

Illic

Illic maritum MICHAELEM BOOTIVM
Deus dedisti, in patriam rediuimus,
Annos quaternos & decem vna viximus.
Sex liberos dedi, datos mors abstulit,
Et me quoq; ipsam in partione sustulit.
Placui marito, adfinibusq; & ciuibus,
Industria domi, & foris modestia.
Deo placere cura nunc vna est: iuua
Mortalis ô votis tuis me mortuam.

POSVIT LECTISSIMAE FAEMINAE
ET DILECTISSIMAE, HEV, VXORI
MICHAEL BOOT; HVIC VRBI QVONDAM
AB ELEEMOSYNIS.
Vixit illa annos XXXIII. Obijt anno CIↃ IↃ. CI.
Non. Nouemb.

ANTE SACELLVM SS. SACRAMENTI.

IESVM CHRISTVM

Verum Deum & hominem in SS. altaris esse Sacramento.
Omnis ratio est in virtute Dei: omnis scientia in Fide.
Quod possit esse, à Dei potentia est: quod sit ab eius voluntate.
Quod scimus esse, habemus ab Ecclesia, quæ non errat, & à S. Scriptura quæ non fallit.
Quod non capimus, ab intellectus est infirmitate.
Quod non credimus, à patre mendacij, qui non stetit in veritate.

Authore
R. P. D. CORNELIO MVSSO Episcopo Biton.

IN SA-

Inscriptio Lipsiana, marmoreus tumulus.

IN SACELLO SS. SACRAMENTI.

D. O. M.

SEPVLCHRVM HIC VIDES
MAG. VIRI IOANNIS VAN HOVE
QVI INTER PRIMARIOS CIVES,
PIETATE ET ALIA VIRTVTE EMINVIT;
AB EELEEMOSYNIS HVIC VRBI FVIT,
ID MVNVS OPTIME OBIVIT.
VXORES HABVIT MARIAM VAN DE
CRVYCE
MORIBVS ET INGENIO ELECTAM,
ET EX EA QVINQVE LIBEROS.
OBIITQ. III. NON. SEPT. AN. ∞. IↃ. LXXIII.
ITERVMQ. MARIAM VAN SANTFORT,
SED SINE PROLE,
SINGVLARIS EXEMPLI FAEMINAM,
QVAE ET LIBEROS MARITI SVI HAERE-
DES INSTITVIT;
OBIIT POSTRID. NON. DECEMB. ∞. IↃC III.
AT ILLE VT IN VITA SIC IN MORTE
TRANQVILLVS,
OBIIT XV. KALEND. IVL. ∞. IↃC I.
FILII ET HAEREDES MAESTI. P.P.

Vide ista Lector, cogita, & quod est caput
Morti parare, & bene precare mortuis.

AD TEMPLI INGRESSVM.

CORNEL. SCRIB. GRAPHEVS, præclaræ huius vrbis à secretis, sibi suisque, & Hadrianæ Philippiæ dulciss. vxori viuens pos. Ipsa quidem vixit annos LXXI. decessit autem XVII. Aug. M.D.

 LVI.

LVI. vno & XL. ann. marita, matrona & prudentissima, & pietatis cultrix eximia: Ille verò caram secutus coniugem migrauit XIX. Decemb. M. D. LVIII. cùm vixisset annos LXXVI.

IN MAGNO COEMETERIO.

Aeuiternitati Sacr.

CORNELIO KILIANO Dufflaeo
constantis laboris
&
perennis industriae laude,
ornato & amato viro.
L. annis Plãtinianae typographiae correctorẽ gessit
quàm fideliter, peritè, doctè,
ipsos rogate libros, elegantia, nitore, famâ,
aeternae artis primos.
Nec semp alienos tractauit, cũ & suos reliquerit,
Latina oratione disertus, versificatu felix,
Patriam quoq; eloquentiam excoluit,
cultumque eius & proprietatem reuocauit.
Obijt aetate operibusq; grauis.
Anno CIↃ. IↃ C. VII. ipso Paschatis festo.

IN DIVI IACOBI.

ALVARO NONIO LVD. F.
Nato an. lx. Denato v. Id. Dec. ann. CIↃ. IↃ C. III.
Philosopho & Archiatro,
doctrina & virtute claro,
Principibus claro,
prolixa in omnes comitate:
cui in vita nil carius, quàm alijs eam dare,
nihil in morte iucundius,
quàm ad meliorem transire.
Vxor marito, liberi parentibus
M. M. PP.

IN

IN D. ANDREAE.

IACOBI IONGELINGI ANTVERPIENSIS
Duc. Brabant. monet. Præfect.
tumulus.

Qui statuis animam, mirabilis, indidit ipsis,
Phidia & arte potens, Praxitelisue fuit;
Hesperijs qui notus erat, qui notus Eois,
Regibus & gratus, Principibusq; viris:
Atq; Ducali ideo Præfectus ritè Monetæ,
Qui laude egregia munus obiuit idem;
Ergo mori IVVENIS potuit, vel debuit ille?
Qui æquauit veteres Dædala in arte viros?
Perpetuaq; fuit dignus florere Iuuenta?
Viuere & Artificis ære perenne magis? (bra.
Ah! iacet ille tamen IVVENIS modò puluis, & vm-
VIVE BENE. Omnia sunt vana, caduca, nihil.

Vixit ann. LXXV. M. VI. D. X.
Obijt vltima Maij, anno M. DC. VI.
MICHAEL VAN DER HAGEN amico
opt. P.

IN D. GEORGII.

PIAE MEMORIAE DICATVM.

Viator heus resiste: rem tuam loquar,
Aut id, quod esse non neges in rem tuam.
De morte sermo est, mortuisq; : cogita
Et hoc tibi fore. Seriò si cogitas,
In rem tuam, quod esse dixeram, tenes,
Et melior hinc abiueris, quàm veneras.

FRANCISCVS SWEERTIVS GERTRVDI VAN
OS VXORI OPT. CARISS. POS. DEIN ET

SIBI NECNON VXORI SECVNDAE ISABELLAE DE SORBRVECQ. VT QVISQ. AD METAM VENERIT. SED È FILIIS POSTERISQ. SVIS.

Nam longus ordo est. Hos & illos subsequi
Lex summa iussit. Fata quis homo vicerit?
Quæ non timere si voles, semper time.

MISERATOR DEVS MISERERE.

Obijt GERTRVDIS A. ∞. IↃ. XCIV. XII. Kal. Nouembr.

Obijt FRANCISCVS.

Obijt ISABELLA.

IN SARCOPHAGO.

FRANCISCVS SVVEERTIVS,
&
GERTRVDIS van OS
humanæ fragilitatis memores,
spe indubia resurectionis suæ
sibi suisque H. M. F. C.

IN AREA COLLEGII SOC. IESV.

Inscriptio fontis, cum Termino.

HOSPES,
heic sta.
Venisti ad Terminum.
Cur porrò ego stem, disce:
nam doceo.
vt aquas pede,
ita terram
mente calco.
Prorsum quoi qua possum.
Rigo siccos:

Quod

Quod haurio,
id
abundè refundo.
Credes, si vel ferrum motes.
HOSPES
abei,
mei memor,
demum
ad me reuersurus.

IN OFFICINA PLANTINIANA,
Præsentibus Principibus nostris ALBERTO,
& ISABELLA.
Læti faustique, vt in hanc vrbem
Belgicæ vestræ principem,
SERENISSIMI POTENTISSIMIQ.
PRINCIPES,
in alias pariter omnes introite,
Iustitiæ Pacisque legibus
diu feliciter imperantes
subiectas fouete;
lapsas erigite;
erectas conseruate.
Ad liberos nepotesque exemplis vestris
Iustitiam cum pace edoctos
Imperium serò transmittite.
Hæc sua, & totius Belgicæ vota
PLANTINIANA OFFICINA
vestris, vt æter. mem. Regis Catholici
M. L. Q. imperijs addicta,
deuotionis ergo, vobis præsentibus
SERENISSIMI DVCES,
gratulabunda concepit impressitq;.
XVIII. Kalend. Ianuar. anni M. DC.

Auctore Balthasare Moreto.

IN CATHEDRALI B. MARIAE.

D. O. M.
BEATRICI RAMPARTIAE NIC. F.
Fœminæ lectissimæ,
Rara in Deum pietate,
Coniugem liberosque amore,
In quinctæ filiæ partu raptæ,
& ad vitam meliorem traductæ.
PAVLVS MECHELMANVS I. C.
Regi à consilijs, Iudexq; militaris
Laudabili in coniugem memoria,
mœstus cum lacrymis
Ipsi sibi suisque pon. cur.
Vixit illa ann. XXXIII. in coniugio IX.
Obijt anno orbis redempti CIↃ. IↃ C. III.
A. D. XIII. Kalend. Iunias.
At ipse PAVLVS.
Vt sit BEATRICI beatè te rogo
Rogare lector, & marito & liberis.

IN D. MICHAELIS.

ABRAHAMI ORTELII
Quem vrbs vrbium Antuerpia edidit,
Rex regum Philippus Geographum habuit,
monumentum hic vides.
Breuis terra eum capit,
Qui ipse orbem terrarum cepit,
stylo & tabulis illustrauit,
sed mente contempsit;
Qua cœlum & alta suspexit,
Constans aduersum spes, aut metus.
Amicitiæ cultor, candore, fide, officijs:
Quietis cultor, sine lite, vxore, prole

Vitam

Vitam habuit, quale alius votum,
Vt nunc quoque æterna ei quies sit
Votis faue Lector.
Obijt IV. Kal. Iul. Anno ∞. IↃ. XCIIX.
Vixit ann. LXXI. Menſ. II. D. IIXX.
Colij ex ſorore Nepotes B.M. Pos.

AD FRANCISCANOS.

IN FENESTRA VITREA.
Honori D. FRANCISCI,
Amori ordinis,
Pietati item loci huius,
I. LIPSIVS fragili monum.
ſed fido affectu P. C.
A. ∞. IↃ CVI.

IN AREA ARCIS ANTVERPIENSIS, SVB DVCIS ALBANI STATVA.

FERDINANDO ALVAREZ à TOLEDO, Albæ Duci, Philippi II. Hiſp. apud Belgas præfect. quòd extincta ſeditione, rebellibus pulſis, religione procurata, iuſtitia culta, prouinciæ pacem firmarit, regis optimi miniſt. fideliſſ. poſitum.

BRVXELLENSIA.

IN BRVXELLAM MAXAEMILIANVS VRINTIVS S.P.Q. Gand. à ſecret.

Non potui BRVXELLA caput regni eſſe Brabãti,
Sed potui Belgi Principis eſſe domus.
Regia Concilio, cultu aurea, prodiga ſumptu,
Fontibus vda, ſitu lata, beata ſolo.

Collibus assurgens & amœno florida luco,
Aulai splendor, scena potentis heræ.
Grata Deis pietate, polo contermina tectis,
Aula vbi regalis qualibet vna domus,
Quaq; puella Venus, Mars ciuis, Iuppiter ipse.
† *Dux meus, &* † *Iuno Regia* † Albertus & *nupta Ducis.* Isabella.

IN D. GVDVLAE.

Iconoclastæ delerunt.

Quisquis ades, summi tangit quem cura Tonantis,
Dum properas, cœptum siste viator, iter.
Hæc tibi viua caro, æterni sapientia patris
Christus adest, viuus panis & vna salus.
† *Inuida Iudæum quam dum laniare laborat*
Impietas, meritis ignibus ecce ruit.
Quare age diuinos huic funde, viator, honores,
Funde Deo dignas supplice mente preces.
† Tempore VVenceslai Brab. Ducis.

IN SVMMO CHORO.

Inscriptio subterranea supra cistam plumbeam egregiè ornatam.

ERNESTVS D. G. Archidux Austriæ, Dux Burgund. Stiriç, Carintiæ, Carniolæ, VVirtembergiç, Comes Habsburgi & Tirolis, Maximiliani II. Imper. F. Belgicarum prouinciarũ Gubernator, moritur Bruxellis anno M. D. XCV. Die XX. Febru. ætatis suæ anno XLI. M. VIII. D. V.

TVMVLVS VVILHELMI ASSONLEuillij C. V. Christophori, in sacro Consistorio Senatoris apud Belgas Fil.

Inscri-

Inſcriptio honoraria Ludouici Dorleans.

Ergo iaces VVILLELME fili, & te mors obruit inclementius? Non obluctor. Sint fatis ſua imperia, noſtra erunt obſequia. Moreris, nam mortalis eras; & moreris probus, hoc nobis ſolatium. Si te iuuenem rapit, eſt fati cæcitas; ſi intra triduum, rapacitas; ſi nouellum patrem, inhumanitas; ſi anniculum maritũ, crudelitas; Vixti tibi ſatis, nimium ſeculo, ah! impuro & turbido, mihi parum, filiolæ tuæ pauxillum, vxori tãtillum, quæ liqueſcit in lacrumas. Cape pro inferijs meos canos, imò meos annos & hunc tumulum. Tu præiſti, ſequimur nos & volentes. Sic lex iubet. Sed dum moramur, SALVE æternum fili, & æternum VALE.

Vixit anno à Chriſto nato
CIↃ. IↃ. XCVII. V. Eid. Iun.
ætatis verò ſuæ
XXXII. Menſ. IIX. die XII.

AD FRANCISCANOS.

D. O. M.

LVDOVICO BROOMANNO
Iacobi & Corneliæ Verheyleyveghen F.
à natiuitate cæco,
Artium liberalium Doctori,
Iuriſprud. Candidato, Muſicesq; Principi.
GEERTRVDIS KEYSERS,
Iodoci ex Maria Cleerhaghen F.
marito B.M. ſibique poſ.
Vixit annos LXIX.
Obijt VIII. Ianu. M. D. XCVII.

INSCRIPTIO COLVMNAE POSTEA DEMOLITAE.

Regnante PHILIPPO II. Cathol. Hispp. Rege, in his suis inferioris Germaniæ regionibus, gubernante verò eius nomine FERDINANDO ALVAREZ de TOLEDO, Aluæ Duce &c. Florentij Pallant, Comitis Culenburgi, quondam domũ solo æquari sancitum est, ob execrãdam memoriam repetitæ in ea coniurationis aduersus religionem Ecclesiæ Cath. Romanæ, Regiam Maiestatem & ipsas regiones, anno salutis CIↃ. IↃ. LXVIII. Quinct. Kal. Iunij.

IN AEDIBVS PATERNIS R.D. AVBERTI MIRAEI CANONICI ET SCHOLASTICI Antuerpiens.

Ad effigiem D. GASPARIS SCVRERII.

D. O. M.

Quis sim, si nescis, Lector, breuiter dicam.
GASPAR SCVRERIVS est nomen mihi.
Patria sum Mechliniensis,
Professione Religiosus Grimbergensis:
Nec mireris me, qui candido Præmonstratensium
Ordini nomen dederim,
nigro Laicoque habitu palliatum;
ea temporum calamitas ac necessitas fuit,
anno Christi CIↃ. IↃ. LXXXI.
Caluinianis res sacras & ciuiles in Belgio
turbantibus.
vt si saluus apud Catholicos vrbis huius
Bruxellensis ciues esse vellem,
hoc isto vulgari habitu,
Clero insidiantes fallerem.

Sed

Sed nec fructu suo piam hanc caruisse fallaciam,
vel ipsa Deo Regique fida
LE MIRAEORVM familia testis est,
quam annos ipsos amplius tres,
in ista nocte temporum,
sacris mysterijs foui,
& diuini verbi pabulo alui.
Tu quisquis hæc leges,
disces in tumultu Panico
vtilem, atque imprimis necessariam
esse prudentiam.
SCVRERIVS silens sapit.

IN AEDIBVS CVIVSDAM PRIVATI.

Curia dat curas, ergo si viuere curas
Et bene securè, non curia sit tibi cura.

IBIDEM.

AVLAE eadem est omnino fides quæ mobilis aura
Blanditur, sed post mordet ceu Scorpius AVLA.
Consilijs rarò melioribus vtitur AVLA.
Dissimulet, regnare diu qui poscit in AVLA.
Exulat integritas, probitas & candor ab AVLA.
Ferre mora, atq; irã frenare, docemur in AVLA.
Grande sophos, ridere bonos censetur in AVLA.
Horrent vera loqui cupiunt qui crescere in AVLA.
Inuidiam qui ferre nequit, discedat ab AVLA.
Kyrie qui senuêre canant eleison in AVLA.
Languent virtutes, scelus omne at regnat in AVLA.
Muneribus mentes hominum capiuntur in AVLA.
Nugas AVLA leues, & fumos vendit inanes.

Ocia

Ocia quisquis honesta cupit, discedat ab AVLA.
Porta Erebi in terris AVLA, & tua Tātale pœna est.
Quæstus adulari & mentiri est primus in AVLA.
Rara auis in toto est verè pius AVLICVS orbe.
Sinceris & simplicibus va semper in AVLA.
Turpe senex & inops quando incolit Aulicus AVLAM.
Vita difficilis methodus bene dicitur AVLA.
Xanthe retro ibis, erit quando constantia in AVLA.
Ydra AVLA est capitum multorū horrenda venenis.
Zenones fatui sunt atq; Thrasones in AVLA.

ergo

Exeat AVLA, qui vult esse pius.

LOVANIENSIA.

IN LOVANIVM MAXAEMILIANVS VRINTIVS S. P. Q. Gand. à secretis.

IVPPITER *hoc vrbis spatium, fundamina* PALLAS, *(rum.*
MARS Burgum, mediū struxit APOLLO *fo-*
Arua CERES *circum,* DRYAS *herbida prata,* LYAEVS
Vitiferos colles, DILIA *fudit aquas.*
Aëra, SOL *purum, varias* CYLLENIVS *artes,*
*Ingenij cultum turba nouena dedit. (*CEPS,
Templa Deo PIETAS, *Gymnasia publica* PRIN-
Splendida doctrinæ præmia fecit HONOS.
Eloquium PITHO, *Sophiam Dea* GLAVCA, THEMISTIS *(opem.*
Iura, docet medicam PHOEBIGENA *auctor*

Omni-

Omnibus vt numeris veteres exequet Athenas
Vrbs GRVDIA, & Belgas non sinat esse rudes.

IN D. PETRI.
MEMORIAE SACRVM.
IOANNES VVAMESIVS H.S.E.
Quem breuiter lector nosce.
Natus Leodici Eburonum An. ∞.IↃ.XXIV.
Ad studia inde Iuris transijt;
In ijs quoq; famam adeptus, etiam Græcis,
Natura & Industria Duce.
At in Iure ad culmen ipsum conscendit,
Doctor renunciatus An. ∞.IↃ.LIII.
Publicè Professor in hac schola A.∞.IↃ.LVI.
Deniq; primarius antecessor A.∞.IↃ.LXX.
Hoc munus cum laude An. XX. obijt.
Primoribus gratus, vulgò venerabilis, omnibus carus.
Breuiter doctrina, prudentia, auctoritate,
Inter æui sui primos.
Obijt diutina inualetudine A.∞.IↃ.XC.
XI. Kalend. Sext.
Iste vir fuit, Lector, sed fuit,
Tu quoq; quod es, non eris.
Alius alias; sed omnes huc imus.
Cogita & huic bene apprecare
ita posteri tibi.
Magne Deus ipse & nobis miserere.
Hæredd. P P.

IN SARCOPHAGO.
Viuus mori qui cogitat,
Sperat perennem gloriam.

D.O.M

D. O. M.

D. PETRO NANNIO Alcmariano, Presbyt. & Canonico Atrebatensi, viro Doctiss. humaniores litteras in celeberrimo Collegio Busleidiano XVIII. an. professo, SIGISMVNDVS FRID. FVGGARVS Baro in Kirchberg & Viana B. M. & amico paterno, memoriæ & virtutis ergo iussu Parent. opt. pos. Vixit ann. LXII. Obijt anno M. D. LXII. die XXI. Iulij.

IBIDEM.

Heu flos iuuenum quomodo abijsti
præcipiti fato?
Antuerpia genuerat stirpe nobili,
indole eximiâ:
Louanium rapuit, studiorum incursu,
Sed cælo reddidit, cælo dignum.
IOANNI TVCHERO Fil.
mœstus parens posuit.
Obijt IX. Octobr. An. ∞. IↃ CV.
Annos natus XIX.
O vita, longa, vilibus, bonis breuis!

IN D. IACOBI.

Nobili variaq; eruditione vtriusque linguæ monumentis, claro viro GVILIELMO CANTERO Vltraiectino, qui XXXIII. ann. natus minus LVI. dieb. Obijt XV. Kal. Iunij, anno M. D. LXXV. Fratri suo chariss. Theodorus Canterus POS.

AD MARTINIANOS.

F. MARTINVS LIPSIVS Bruxellensis, vir egregiè doctus, & qui perpetuò studijs, quib' & immortuus est, incubuit, In castigandis veteribus auctoribus vsq; ad supremum spiritum insudans. Testâtur id ope-

id opera Augustini, Hilarij & aliorum multorum, ex ipsius recognitione edita. Testis est & ipse Macrobius cum Symacho ab illo castigatus. Fuit præterea vir iste D. ERASMI ROTERODAMI amicitia & scriptis epistolis satis clarus. Præfuit monasterio Crucilensico cum multo ipsius cœnobij fructu. Moritur anno CIↃ.IↃ. LV. Martij. XXIV. die, ibi honestè sepultus.

AD CARTHVSIANOS.

D. MARGARITAE VXORIS CAROLI Ducis Burgund.

MARGARIS Anglorum sum stemmate nata superbo,
Regis soror recitanda, Regis filia.
CAROLVS est coniux Burgundio Marte peremptus:
Dein ter nouem viduata dego Consules.
Interea quæ cura rogas? fuit vnica cura
Viros fouere sacros, sacrasq; fœminas.
Quid docti? doctis templorum confero curas
Quibuslibet, legem modò norint sacram.
Quid sibi Magnates? sibi quid Simonis alumni?
Malè audiunt, petentes quod dari est nefas.
Hæc mihi fas de me, narrabunt cetera veri
Similem expetentes & sacri & docti viri.

R.P. AC D. GVILIELMI à BRVXELLA, ABBATIS S. AMANDI ET S. TRVDONIS.

Obijt ann. M.D.XXXII. XIV. Nouemb.

In tria diuisus nunc sum, qui mole sub vna
Quamuis Natura duplicis, vnus eram.
Reddita mens cælo, cor & hic, & viscera marcent,
TRVDO fouet molli cætera membra sinu.
Cum Iudex aderit magnus, dispersa coibunt,
Et fiam rursus de tribus vnus homo.

IBIDEM.

MARTINVS vbi terras reliquit DORPIVS,
Suum orba patrem flet parens Hollandia;
Theologus ordo luget extinctum decus;
Tristes Camœnæ candidis cum Gratiis
Tantum patronum lacrymis desiderant:
Louaniensis omnis opplorans schola
Sydus suum requirit, ô Mors, inquiens,
Crudelis, atrox, sæua, iniqua & inuida,
Itan' ante tempus floridam arborem secans
Tot dotibus, tot spebus orbas omnium
Suspensa vota? Premite luctus impios;
Non periit ille, viuit, ac dotes suas
Nunc tutò habet, subductus æuo pessimo.
Sors nostra flenda est, gratulandum est DORPIO.
Hæc terra seruat, mentis hospitium pia
Corpusculum, quod ad canora buccina
Vocem, refundens optimâ reddet fide:
Obijt anno M. D. XXV. Prid. Kal. Iunias.

AD MINORITAS.

IN SACELLO B. MARIAE.

Quis hic sepultus, quæris? ipse edisseram.
Nuper locutus & stilo & lingua fui;
Nunc altero licebit, ego sum LIPSIVS:
Cui litteræ dant nomen, & tuus fauor.
Sed nomen. ipse abiui. abibit hoc quoque:
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
HVMANA CVNCTA fumus, vmbra, vanitas,

Et sca-

Et scenæ imago, & verbo vt absoluam, NIHIL.

Externum hoc te alloquor:
Æternum vt gaudeam, tu apprecare.

IVSTVS LIPSIVS vixit annos LVIII. M. V.
Obijt anno Christiano CIↃ. IↃ C. VI. x. Calend.
April.

LAPIDIS SEPVLCRALIS INSCRIPTIO IVSTI LIPSI.

QVOD CLAVDI POTVIT,
HIC IACET.
S. P. Q. ANTVERPIEN.
INCLYTI VIRI
FAMAE ORBI NOTAE,
VIRTVTI, CAELO RECEPTAE
H. M. P.

AD PRAEDICATORES.

Quis lapis hic? GEMMAE. GEMMAM lapis antegit? inquis
At condi in GEMMA debuerat potius.
Non ita; nam quauis minor illo GEMMA fuisset,
Et posito à GEMMA; GEMMA fit iste lapis.

IN AEDIBVS LIPSIANIS, VIDERE licet III. canes depictos additis his inscriptionibus.

SAPHYRVS CATELLVS, GENTE BATAVVS, CORPORE ALBET, CAPITE AVRIBVSQ. PVRPVRAT, DISCRIMINE TAMEN ALBO à SVMMO EO, INTER AVRES, CVNEATIM AD OS DESCENDENTE. SENECIO NVNC EST, ET TREDECENNIS: CVM

IN FLORE PVLCHERRIMVS ET LEPIDISSIMVS CATVLORVM.

Gemma dedit nomen. sum verè gemma catellum
Quotquot terra habuit Belgica, habebit, habet.
Tale decus vultus, talis venus. adde lepores
Ingenij, humanum qui sapiant Genium.
Et sanè est aliquid mî hominis. vis argumentum?
Vina bibo, & vino nata me habet podagra.

MOPSVLVS CATVLVS, DOMO ANTVERPIA, DONVM A CL. V. ARNOLDO BORCOVTIO, AMICO VETERI, ET Ito. IS CORPORE ALBET, CAPITE, AVRIBVS, ATQVE ALTERO OCVLO SVFFLAVIS. ROSTRVM È RVBRO ALBICAT, BREVE ET OBTVSVM, ET NARE PRORSVS REPANDA. CRASSVLVS, ARGVTVS, MORDAX EST, AETATE BIMVS.

MOPSVLVS aSt ego sum, domini conuiua: quid vltra?
En etiam lectum participo domini.
Estne aliud? Domini Dominus, si dicere fas est:
Vsq; adeò forma huic iungitur improbitas.
Sed forma, qua rara cluet. si examine iusto
Pendor, quod nec ames est mihi, plus quod ames.

MOPSVS CANIS, GENTE SCOTVS. COLORE CRASSO SPADICEO; SED CIRCA ORAS AVRIVM, ET IN IPSO ORE, DILVTIVS FLAVO. SVPER OCVLVM VTRVMQVE ORBICVLI AEQVALES DVO, ITIDEM FLAVI. IDEM COLOR IN PEDIBVS INTERIORIBVS, INTRA FEMORA, SVB CAVDA, ET IN ANO. AT PECTVS LATVM ET HONESTVM, PANTHERINA PRORSVS SPECIE,

CIS, ALBVM ET MACVLIS SPADICEIS SPARSVM. TALES IPSI IMI PEDES. ANNVM AGIT TERTIVM, AD INVIDIAM PVLCHER.

MOPSVS ego, formâ qui vinco sæcla canina;
Quod nolim, in magno corpore nil habeo.
Quodq́; velim, dominum, dominam, ancillamq́; volentes
Conciliat probitas, simplicitasq́; mihi?
Ille canis redeat, meruit qui cælica templa:
Si certet, terra hunc, me sibi cælum habeat.

IN COLLEGII DALENSIS vulgò ANTVERPIENSIS SACELLO,

D. O. M.
&
P. M.
R. Viri PETRI VAN DALE, Arnoldi F.
I. C. Decani Alostensis, Canonici Antuerp.
Toparchæ in Ballaer, Gheſtele, Putte, Beersele,
Qui in lauta re & supra priuatum modum,
modestè, prouidè, piè ea vsus,
Collegium hoc instituit, vectigalibus iustruxit,
alendæ in B. P. iuuentuti.
Natus Antuerpiæ ann. CIↃ. IↃ. IV. ibidem
obijt anno CIↃ. IↃ. LXXXII.
Hic monumentum habet, ossibus eius
voluntate translatis,
vt anima eius in beatas sedes, tu apprecare
pie lector.

IN COLLEGII PONTIFICII *Sacello.*

Hic iacet sepultus egregius Vir D. ac M. N.

MICHAEL de BAY Athensis, Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Louanij Decanus, vniuersitatis Cancellarius, & conseruator, Generalis per Belgium Inquisitor, Regius S. Theologiæ Professor, & Collegij Pontificij Præses. Decessit XVI. Septemb. M. D. LXXXIX. Decanatus anno XIV. Professionis XL. Præsidentiæ XXXIX. ætatis annum agens LXXVII.

EPITAPHIVM IOANNIS A MOGVNTIA PRIMI MONACHI APVD MARTINIANOS Louanij.

Ecce Moguntina vixi certissima Gentis
Progenies, tellus quem peregrina tegit.
Sed natalitios diuino munere fines
Deserui, & quicquid patria dulcis habet.
Classicus Aurelio tandem sub Principe miles,
Signifer hac diua primus in arce fui:
Scriptaq; supremo liqui pro munere charis
Fratribus, ætatis ceu monumenta meæ.
Annosum hinc miserata senem natura dolori
Præclusit fato prædominante, viam.
Si prius ingenuos potuisti inflectere sensus,
Da paradisiacam mi Paraclete domum.

AD INGRESSVM ARCHIDVCVM ALBERTI & ISABELLAE,

Anno CIↃ.IↃ. XCIX. ipso D. CATHARINAE.
Octauiani Augusti in vrbem aduentu
Corona Iridis specie circa solem apparuit.
Nouæ potentiæ,
Nouæ pacis auspicium.
Hanc vobis, ô Principes nostri,
S. P. Q. Louaniensis

In ipso

In ipſo ingreſſu dedicat,
Nouæ potentiæ,
Nouæ pacis auſpicium.
Sol vobis ab Heſperia fulſit,
Circa eum & ab eo corona
Prouincijs variegata, Iridis ſpecie refulſit.
O fauſta, firmaque iſta ſint!
Et tu ille vtrumq; orbem,
Vos iſti noſtram Belgicam
Salutari luce perfundite,
Vitam & vigorem reddite
Heu bellis ciuilibus amiſſum.
Deus & Superi vota noſtra audite,
Vos Principes obſequia admittite,
Quæ fideliter & æternum defert
S. P. Q. veſter Louanienſis.

AD LAEVAM DOMVS SENATORIAE.

BRABANTIA prima Prouinciarum,
In triplici ſuo ordine
Antiſtitum, nobilium, ciuium,
Sereniſſ. potentiſſ. Principes,
ALBERTVM & ISABELLAM Duces ſuos
læta fronte ſuſcipit,
deuota mente ſuſpicit,
& fidem obſequiumque,
more & candore maiorum
æternùm vouet.

IN GELRO-GALLORVM GRASSATIONEM IN LOVANIENSES, PER MARtinum Roſſemium. Auct. LEVINO TORRENTINO ibidem ſtudioſo.

Hinc, hinc Galle procul, procul aut bōbarda repellet.

Heus fugito, sedes hic Iouis ales habet.
Perfidus ille nihil Gelrus, nil Cymber iniquus
Profuerit: cristas erigere ergo caue.
Quos duce Borbonio sensisti lenius vngues,
Ni fugis, hos acres experiere magis.
Semiputata tibi Latio calcaria quondam
Ergo fuge, aut totus diripiêre miser.

SYLVAEDVCENSIA.

MAXAEMILIANVS VRINTIVS
S. P. Q. Gand. à secret.

DElitium Triuiæ, Belgi Dodona, Batauum
Terror, & Auriacæ Scylla probrumq; fugæ,
Arx Fidei, cos virtutis, constantia asylum,
Regnum Aquilæ, Harpyis inuia tota domus.
Laurorum nemus & palmarum illustre viretum;
Sylua Iouis fuerit, sit nisi Sylua Ducis.

IN S. IOANNIS EVANGELISTAE.

Memoriæ Sacr.

DIVO PHILIPPO II. inuictiss. Hispp. Regi Catholico, D. CAROLI V. Imp. Aug. Filio vnico, Brabantiæ Duci inclyto, Patriæ huius Protectori clementiss. S. P. Q. Sylu. mœrore perfusi, pietatis & obseruantiæ gratia VIII. Nouemb. ann. CIƆ. IƆ. XCVIII. poni curarunt.

Qua lucet Eous, Regia fama volat.

AEVITERNITATI SACR.

Prouoċatus ab hoste Gallicæ turmæ Duce D. de BREAV-

BREAVTE genere claro; ætate feroci, GERARDVS ABRAHAM Sylnæducẽsis inducenda equitum, item turma D. ANTONI SCHETS de Grobbendonck vices gerens, cum XX. duobus commilitonibus contra totidem Gallos, veteri Horatiorum exemplo, virtute & successu admirabili, cæsis hostibus XVII. in conspectu patriæ ac pro eius gloria fortiter dimicans, cum fratre ANTONIO ac duobus alijs militibus suis cecidit, qui à turmę suæ Duce solenni funere huc delati, ob mortem, qua non potuit contingere gloriosior, resurrectionem gloriosam hic expectant.

Anno CIↃ. IↃ C. Non. Februar.

Viuite magnanimi iuuenes fortissima nostra
Robora militiæ, patriæ vobisq́, parastis
AEternum virtute decus, victricia gentes
Arma stupent aliæ, certamine viribus æquo
Marte pari, numero palmam sed dispare Gallus,
Hostis in hoste probat: volucres victoria pennas
Exuit, Aduaticis sedes vt figat in oris,
Belgica terrarum dum gloria circuit orbem.

IN COENOBIO FRATRVM D. HIEronymi normam imitantium.

Cælo potitus post labores plurimos
GEORGIVS MACROPEDIVS,
Scholastici moderator optimus gregis,
Toto orbe nobilis senex.
Corpus reliquit hoc podagricum loco,
Longo labore exercitum.
Humanitas, studium, iuuandi maximum,
Benignitas amabilis,

 Candor

Candor animi, Pietas & Eruditio,
Hunc reddidêre cælitem.

Obijt anno M. D. LVIII. menſe Iulio.
CORNELIVS VALERIVS poſ.

AD FRANCISCANOS.

Poſteritati.

FRANCISCVM de AGVILAR ALVARADO virum nobilem hoc monumentum habet,
Quem
Torum Caſtellæ opidum edidit v. Non. Octob.
ↀ. IↃ. XXIII.
Imper. Cæſari Carolo V.
ſtrenuum militem,
Philippo II. Regi Catholico
Centurionem, Tribunum, Gubernatorem
Duynkerckanum,
Virtute, Prouidentia, Conſtantia conſtantem:
Animi & corporis fortitudine ſupra fidem
pro Fide inſignem:
Sed & Philippo III. ac BelgI Principp.
à Conſilijs militaribus,
cui denique
Quod prudentem & fortem decuit
contigit in actu mori,
Nempe in caſtris pro iſta vrbe II. Kal. IXbris.
ↀ. D C. III.

Qui diu vixit & malè, non diu vixit, ſed fuit.
Qui parum vixit & benè, non diu fuit, ſed vixit.
At qui diu benè vixit fuit, an non vita dignus altera?
Iſtud cogita, Lector, & hoc iacenti voue, ſic poſteritas tibi.

ELVI-

ELVIRA de VALENCIA Brugensis, marito, (heu quondam suo) Amoris & mœroris monumentum P. C.

TRAIECTENSIA.

AD FRANCISCANOS.

D. O. M.

IOANNI GOROPIO BEÇANO, diuinar. atque humanarum rerum bonarumque artium periss. KATHARINA DECORDIS vxor, & filiolæ duæ coniugi ac parenti dulciss. cum lacrumis POSS.

Procurantibus LAEVINO TORRENTIO & GASPARE SVRCHIO, quibus ille res suas moriens commendauit.

Vixit ann. LIII. Obijt IV. Kalend. Iulij, anno M. D. LXXII.

IN TEMPLO CRVCIFERORVM.

HENRICVS DIONYSIVS hic tumulatus,
Nominis excellens religiosus erat: (IESV
Diuini verbi doctor clarißimus, idem
Qui vigil hac Geusias arcuit vrbe faces.
Qui legis hæc, da vota Deo & deposce quietem
Defuncto, & mortis sedulus esto memor.

Obijt anno CIƆ.IƆ. LXXI. Die VIII. Nouemb.

DE S. SERVATIO S. P. Q. TRAIECTINO ded. *cuius tutelaris iste est Diuus.*

Anag. { SERVAT-VIVS
HY BEWAERT T'RICHT .i. Ius, vel Traiectum.

Viuere nos medijs, si quis miratur in armis,
Cumq; pericla premant, esse pericla procul:
Caussa est; cum nostrā seruat SERVATIVS *vrbem,*
SERVAT-IVS; *seruat nomen & ipse suum.*
Vrbem ni seruet; perdet Seruatio nomen,
Si rursum in Batauas vrbs cadat ista manus.
Sic cùm nostra salus SERVATI *nomine constet,*
Quamdiu nomen erit illius, vrbis erit.
Bernardus Bouhusius de Soc. IESV. facieb.

IN SACELLO REGVM FRANCIAE, *ad D. Seruatij.*

MEMORIAE,
&
CAROLO RICHARDOTO
Magni illius Richardoti
Principp. P. Q. Voto
cum potestate, fide, fama max.
sanctioris concilij Præsidis
filio,
magnæ spei adulescenti,
paternarum virtutum hæredi,
qui
ob raram indolem,
ad mercatum bonarum artium
Traiectum missus,
speratæ virtutis documenta
cottidie exhibebat,
sed
ô infortunium!
lex fati intempestiua & ineuitabilis
inter adulescentiæ primordia
continuis calculi doloríb.

grauis-

grauiter afflictum,
&
iam tertio sed frustra incisum,
ter quintum ætatis annum
necdum ingressum
absumpsit anno CIↃ. IↃ C. Nouemb. III.

AD DIVI FRANCISCI.

Quis tegitur tumulo? ROLANDVS DELPHIVS (ille,
Deliciumq; hominum, deliciumq; Dei.
Illius sed enim mentem finxisse videtur,
Candida ter puris simplicitas manibus;
Innocuos mores Probitas, Industria corpus,
Ora lepor; cineri tot bona Parca dedit.
Simplicitas, probitas, industria, flete leporq;:
Nam iacet hic vestro DELPHIVS exitio.

MEMORIAE SACR.

F. ROLANDO DELPHIO, ORD. F. MInorum, modestia & patientia ad miraculum prædito:
Monasticarum obseruationum laudi nato,
harundem æterno damno denato,
confratres religiosi
hunc titulum & tumulum mœsti POSS.
Hospes prece me viuus iuua, mortuus iuuabere.

MECHLINIENSIA.

MAXAEMILIANVS VRINTIVS
S. P. Q. Gand. à secretis.

M*Aiestate fori, sacroq; verenda Senatu,*
Arx legũ, & Domina meta suprema Toga,

Arx

Arx eadem Martisq; domus, Vulcania fornax,
Tam rigido ferro quàm reuerenda foro,
Clara viris, spatiosa vijs, argentea lymphis,
Cælo hilari positu commoda, pulchra lare,
Tota increta solo & pariter discreta Brabanto,
Vrbs Domina & Domino pro Regione suo.
Gemmula munditiæ, RVMOLDI mole decora,
Aucta pio Clero, Pontifice aucta sacro.
Omnibus illustris, lux & nitor vndiq; amœnus,
Quam nisi MECHLINIAM, Melliniam esse putes.

IN AEDE PRIMARIA.

D. O. M.

IOANNES HAVCHINO Archiepiscopo Mechliniensi II. viro incomparabili, qui non subnixus iam absoletis maiorum suorum imaginibus, sed propria virtute per omnes sacræ militiæ gradus, ad Archiepiscopatus apicem fauente numine euectus, ita se vbique gessit, vt candore, comitate, prudentia, pietate, viuus exactũ omnibus exemplum, mortuus ingens sui desiderium reliquerit.
Vixit ann. LXII. in Archiepiscopatu VI.
Obijt anno restauratæ salut. M. D. XXCIX.
ipsis Non. Ianuarij.

NEMO SACRVM TVRBET CINEREM.

Qui sua sacra Deo, qui Principibus sua iura,
Qui voluit populo commoda salua sua:
Cui sua priuatim ratio sic constitit, omnem
Vt fortunam æquo pectore pertulerit:
Qui resipiscentes adapertis obuius vlnis
Excepit; cunctis mitis vbiq; Pater:

Et ra-

Et tamen in dignas generosus surxerit iras,
Sic quoties fieri nempe necesse foret.
Qui prudens, sapiens, pius & candore niuali,
Nullo virtutum non genere eminuit:

PrasVL Ioannes IaCet haC HaVChInVs In Vrna;
Cætera sCIre qVeVnt IpsI etIaM antIpoDes.

D. O. M.

Nobili ac strenuo Viro
CATERINO VVYTS, leg. Burgund. in regia militia Centurioni,
Qui apud Ardriam in præsidio, dum animose in hostem lacessentem equo erumpit,
Solus à pluribus circumuentus, aduersus resistensque cæditur,
Glande plumbea caput traiectus,
Sed sic quoque, nec ensem nisi mortuus, & extortum demisit.
Cecidit ætatis suæ ann. XXIX. Christi ∞.IƆ. XCVII.
Non. Martij.
Pijssimo filio parentes heu mœsti & superstites
PP. Cenotaphium circa cineres Maiorum.

AD D. MARIAE.

Clariss. D. NICOLAO EVERARDO Middelburgensi, summi Consilij Præsidi, marito cariss. patrique pientiss. vxor liberique cum lacrymis poss. Vixit ann. LXX. Obijt anno à salute restituta CIƆ. IƆ. XXXII. v. Id. Aug.

GAN-

GANDENSIA.

IN GANDAVVM MAXAEMILIANVS VRINTIVS S.P.Q. Gand. à secret.

CAEli delitium, Flandri decus orbis, ocellus
Belgica, & enixo Cæsare virgo parens.
Consilio illustris, bello horrida, florida pace,
Pulchra situ, felix aëre, diues aquis.
GANDAVVM breuiter, nil vltra quære, nec vrbẽ,
Verùm orbem in tanta mole videre puta.

IDEM BREVIVS.

Iuppiter hanc molem, purum dedit aëra Phœbus,
Florida prata Dryas, cærula Nais aquas.

IN D. IOANNIS BAPTISTAE.

Vnicus es Phœnix? cineres hac tumba duorum
Phœnicum vera Relligionis habet.

D. O. M.

Reuerend. in Christo PP. S. Theol. D.D. CORNELIO IANSENIO, & VVILHELMO DAMASI LINDANO, primo & secundo huius vrbis Episcopis, ob multos in scrutandis & interpretandis sacris scripturis exantlatos labores, & merita in Dei Ecclesiam & Rempubl. Christianam positum. Obijt hic II. Nouembr. CIƆ. IƆ. LXXXVIII. Ille verò XI. April. ann. M.D.LXXVI.

Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in
morte non sunt separati.

ALIVD

ALIVD R. D. LINDANI SED HONORARIVM, PER MAX. VRINtium.

Dordracū patria est, Grudiæ patria altera Athenæ,
Illa animi altrices, corporis illa mei.
Conspicuum sancta coluit Rurmunda tiara;
Et Ganda in cineres officiosa meos.
Non meliore loco nasci potuiue renasci,
Non meliore coli, non meliore mori.

IBIDEM.

Admodum Reuerendo viro D. VIGLIO AYTA de ZVICHEM Frisio, I. C. clariss. Cathed. huius Ecclesiæ I. Præposito mitrato, Aurei velleris Cancellario, supremi Belgicę status, & sanctioris Concilij sub potentiss. Principp. CAROLO V. Imp. & PHILIPPO II. Hispp. Rege Præsidi summo, vigilantiss. integ. qui cùm hanc Ecclesiam pijs fundationibus, plurimis munimentis decorasset, Academiam Louaniensem, structo sui nominis collegio, non minus liberaliter, quàm magnificè dotasset, natale solum noui hospitalis beneficio perpetuò sibi demeruisset, tandem post longas vigilias, post indefessos labores, plenus dierum, plenus honorum, Regi fidus, patriæ charus, vtilis omnibus, iniurius nemini, magno sui relicto desiderio, quieuit in Domino anno M. D. LXXVII. VIII. Maij, ætatis suæ lxx.

Iste vir fuit Lector, sed fuit.
Mirare, imitare, vigila,
memor prudentissimi illius sciti
VITA MORTALIVM VIGILIA.

ANO-

ANONYMI.

VIGLIVS hic recubat, decorat quem Gamma Pe-
Quo dempto, inuenies vilius esse nihil. (lasgen:

IN D. PETRI ABBATIA.

EPITAPHIVM ISABELLAE CAROLI V. Cæs. Sororis. Obijt anno M.D.XXV. Ianuar. XIX.

Dania me coluit, pulsam Germania vidit:
Primum ortum dederat terra Brabanta prius.
Nulla harum potuit morientem cernere, sed quæ
Ganda habuit mentem, nunc quoq; corpus habet.
Tempora si quæris quæ me rapuêre sub vmbras,
Accipe, & in memori scripta reconde sinu:
Pectore sub medio Phœbum cernebat Aquarius,
Marsq; horam tenuit, sed Venus ipsa diem.

EPITAPHIVM IVDITH VXORIS BALDVINI COMITIS Flandriæ.

Regis Francorum Caroli sum filia Calui,
Nobilis illa IVDITH & speciosa nimis.
Vxorem sibi quam me sumpsit Ferreus olim
BALDVINVS, duce quo Flandria pacem habuit.
Gloria qui veterum mihi quondam magna meorum
Extitit. heu! Carolum mors rapuit iuuenem.
Alter succedens patri, regnauit & ipse
Tempore sat longo, mors rapit hunc at eum.
Omnia deficiunt mortalia gaudia mundi,
Et sub Sole nihil permanet hic stabile.
Princeps prima fui Flandrensis inclyta quondam,

Nunc

Nunc sed in angusto contrahor hoc tumulo.
Iam mihi nil prosunt vir, proles, patria diues,
Est mea sed fœdis vermibus esca caro.

AD PRAEDICATORES.

PETRVS BACHERIVS, DOMINICANVS Doctor Theologus, Poeta, & Ecclesiastes eximius, hoc sibi Epitaphium in extremis decantauit.

SI canitur niueis sub mortem nœnia cygnis,
Dum premit innocuum longa senecta caput;
Cur mihi non liceat triplices mea fata sorores
Dum truncant proprias concinere exequias?
Intempestiuis albescunt tempora canis
Vtraq;, quin frontem ruga senilis arat.
Caligant oculi, sunt hæc præludia mortis:
Torpent officio pesq; manusq; suo.
Ganda vale, fratresq; valete, valete propinqui:
Liber ab exilio regna paterna sequor.
Consequar hæc meritis Christi, rogo: subleuat ægram
SPES mentem, trepidis anchora firma viris.
Sæpe per infestos scopulos, & naufraga saxa,
Nostra est insanis cymba rotata Nothis:
Non tamen à vero me deuius abstulit error;
Dogmate tentata est non temerata fides,
Sæpe (fatebor enim) peccati Nectare captus
Neglexi æterni iussa verenda Dei.
Da veniam fasso, pauidaq; illabere menti:
Vulnera vulneribus dilue, Christe, tuis.
Discute mortales nebulas Dominator Olympi,
Migrantemq; animam qua potes arte iuua.

Lux perit, intereo, mors vrget, corporis huius
Exuuias viridi suscipe terra sinu.
Sic placuit Cyro viridanti in gramine condi
Rex tantus tumuli saxa operosa fugit,
Hic locus arridet, maiorum hic ossa quiescunt,
† Bunderij cineres, † Gruterijq; patris.
Iungo † Rigermannum, † Syluanum, VVincusiumq;
AEtate, & meritis, eloquioq; pares.
Non ego † Coyanum, non te † Rufelaerde silebo;
Olim nam impense fauit vterq; mihi.

Obijt Gandaui in patria prid. Id. Febru. M. D CI. ætatis suæ LXXXIV.

† *Fuere oẽs magni viri, & celeberrimi diuini verbi præcones.*

MAXAEMILIANVS VRINTIVS
S. P. Q. Gand. à secretis.

Effundent alij laudum præconio longis
Versibus ad tumulum, culte Poeta, tuum
Effundent meritò, quumq; omnia, nil tamen vllus
Fuderit ex merito satq; superq; tuo.
Verùm ego sic paucis: MVSARVM HIC AVREA SIREN,
ET PHOEBEIVS *olor*, BACQVERE *cane, iaces.*

ANTE D. FRANCISCI.

Qui FRANCISCE, *tui subeunt pia limina templi,*
Fac subeant precibus cælica templa tuis.

MAGNAE VIRGINI, MAGNAE MATRI, DEIPARÆ *Mariæ.*

MAXAE-

MAXAEMILIANI VRIENTI VOTVM
decastichon. Cùm eius sacro Sodalitio apud
RR. PP. Soc. IESV Gandaui
nomen daret.

Hac ego luce, Poli qua, tu Dea, templa subisti
Me voueo æterna relligione tuum.
Tu vatis, Regina, tui famulantia vota
Prona cape, atq; humili si tibi mente lito;
PARTHENIO da posse Choro dare nomen, & Aræ
Casta tuæ obsequij ponere serta mei.
Serta tui dulcem spirantia Numinis auram,
Mutua mi veniæ spiret vt aura tuæ.
En, ego teu vitis, tua sum, Dea, plantula, vitam
Et viti & plantæ tu dare sola potes.
Quod potes, ah! dare Diua velis, tibi surgat vt ingens
Arbor, & effusis vinea læta comis!
Qui tener, ecce, tuo modo Surculus incipit horto,
Victurus genij non nisi rore tui.
Ille adsit, sensimq; grauem densatus in imbrem
Intima sic animi perpluat arua mei;
Indubia inde meæ subolescat vt herba salutis,
Nec minus inde tui Numinis exstet honor.
Sic mihi reptanti tua per vestigia, detur
Lætum iter ad Nati templa serena tui.

Ipso assumptæ Virginis festo ad eiusdem
aram supplex cecinit
Maxæmilianus Vrientius.
Anno salut. Christ. CIↃ. IↃ C. VI.

INSCRIPTIO DAMPORTAE IN ADVENTUM ARCHIDUCUM ALBERTI & ISABELLAE.

Magni Principes; magnam subituri vrbem, saluete.
Pijs conatibus, paruis apparatibus benigni fauete.
Si quid decus probate, si minus excusate,
Temporis angustiæ, cæli inclementiæ, clementer condonate.
Obsequium atq; animi fauentiam mage,
Quàm magnificentiam in re tenui nostra spectate.
Ita vos regat, ita vos tegat,
Qui nos, qui ceteros Belgas vobis regendos, vobis tegendos commisit propitius Deus.

IN ECCLESIA MONASTERII TRUNCINENSIS, ORD. PRAEMONST. vulgò Drongen, propè Gandauum.

Quem spectas Pario marmore gnauiter
Expressum celebri vase quiescere
TUUAINNUM Comitem, nuper Alostiæ
Ac sacrum haut aliter Numen amauerat,
Gandaui generis stemmate prodiens.
Hic cœtus niuei iecit originem,
Elargitus opes, tum patrimonia.
Ergo perfruitur Mens supero Ioue.
En corpus tumulo nobile saxeo.
Quæso plange scelus quisquis obambulas,
Nam quo decubuit, te vocat exitus.

Obijt anno M. C XLIV.

LOCRAE,

LOCRAE, YPRAM INTER ET BALLIOLVM, LOCO MONTANO, *in marmore.*

D. O. M.

HADRIANVS SCRIECQVIVS BRVGENSIS
V. PRAETORIVS
SVSANNAE GODCALCAE ANTVERPIENSI
CONIVGI DESIDERATISS.
ANNA FILIA INLACRVMANTE CARAE
MATRI
MONVM. HOC RES HVMANAS MOESTE
GEMENS P.

SVSANNA.

Ad Scaldim genita Borealis Vistula lusum
Dum praebet, rapuit ripa Borussa Patrem.
Rem Mare dum minuit, melioribus aequior auris
Erexit thalamum mî Ria, Lisa domum.
Lisa sed exequias Matris cùm vidit, in istis
Quaesiui anne foret montibus alta quies.
Sed didici quod sint VNDAE OĪA. *&* OĪA
vt VNDE;
Consedit caelo mens mea, corpus humo.
OBIIT KAL. FEBR. A. D. ∞. DC. IV.
AEtat. XXXV.

R. I. P.

VNDAE OMNIA. VNDE OMNIA?

INCERTAE POSITIONIS.

GRAMMATICI TVMVLVS.

Grammaticen sciui, multos docuiq; per annos:
Declinare tamen non potui tumulum.

BRVGENSIA.

IN BRVGAM IANVS LERNVTIVS.

Ardua culminibus tectorũ adit æthera Brugis:
Et famâ clari nominis omne solum.
Qua Sol cumq; iubar spargit roseo ore per orbem,
Inclytus in populas illius iuit honor.
Et quamuis motu ciuili pressa tot annis
Mutarit priscum scæna per arma decus;
Mole tamen pulchrâ constans caput erigit altum,
Et meritò Morinûm dicitur esse caput.
Flumen ei debet prima incrementa Tabuda:
Vrbis & Aluaticæ maxima origo fuit.
Imò quod externis sit Flandria cognita in oris
Hinc est; auspicium luminis inde trahit.

IN EANDEM

MAXÆMILIANVS VRINTIVS S. P. Q. Gand. à secretis.

Flandorum Elysium, Morinum regina, superbis
AEdibus, attonis penè stupenda Deis.
Merce frequês, animosa, potens, magna æmula Ganda,
Et par, ni paribus destituatur aquis:
Verùm illi quam sicca negat natura, Aganippe
LERNVTI, hanc pleno fonte rependit opem.
Felix ciue suo, felix vrbs principe vate,
Si, quod habet pretium norit, & illud amet.

IN D. DONATIANI.

Reuer. Domino, D. PETRO CVRTIO Brugensi, primo

primo huius ciuitatis instituto Episcopo, perpetuo Flandriæ Cancellario, quondam apud Louanienses S. Theologiæ Professori ordinario, hoc monumentum extremæ voluntatis desiderio positum est. Sedit in Episcopatu ann. V. M. VIII. D. IX. Vixit ann. LXXVI. Obijt XVI. Kal. Nouemb. CIↃ. IↃ. LXVII.

IBIDEM.

Adsta parumper hospes, & pios iube
manes hauere.
Hîc situs est N. V. IOAN. à PAMELE, Eques
Auratus,
Dñs de Cæstre, &c. F. Adolphi, Francisci N.
frater germanus
Reuer. Iac. Archidiaconi Audomarensis,
&
N. V. Guil. Equitis Aurati, Dn. de Gotthem, &c.
quorum monumentum non sepulcrum est
lapis quem vides.
Cessit ex humanis Iac. nominatæ vrbis Episc.
designatus XV. Kal. Octob. ann. sal. M. D. lxxxvII.
ætatis suæ LI.

Guilielmus sanctioris Concil. per Belgiam Præses
obijt septuagenario maior XII. Kal. Feb. M. D. XCII.
Ille, cuius hoc loco cineres conduntur, Prætura
Brugen. bene gesta, post sena vitæ decennia
fato functus abIt ad plures,
V. Kalend. Ianu. anno M. D. XCVIIII.
Legistin' hospes quæ posui?
non te moror vltra, abi.
Compositos votis prosequens non lacrumis.
Viuentes Deo flere nefas.

Michael Inghelmontius Brugen. Canon. de
R. P. de se
opt. mer. fratribus gratitudinis ergo F. C.

IBIDEM.

Epitaphium Iōis Eyckij Pictoris famosissimi.

Hic iacet eximiâ clarus virtute IOANNES,
In quo pictura gratia rara fuit.
Spirantes formas & humum florentibus herbis,
Pinxit, & ad viuum quodlibet egit opus:
Quippè illi Phidias & cedere debet Apelles,
Arte illi inferior hac Polycletus erat.
Crudeles igitur, crudeles dicite Parcas,
Quæ talem nobis eripuêre virum.
At cùm sit lacrymis incommutabile fatum,
Viuat vt in cæli parte, precare Deum.

IBIDEM.

Siste gradum, heus viator, & quid mundus est,
Audi. Theatrum, in quo peragitur fabula,
Persona vbi nunc vita, nunc est altera.
Abi. IOANNES VISCHER *hoc dixi.* VALE.

IBIDEM.

Adsta viator, & resiste paululum,
Hic ille clarus est reconditus COMES,
Qui quatuor decemq; bis Notarius
Annis fuit Donatianicus, sui,
Vatumq; temporis nec infimum decus.
Eius precare manibus bene: hoc enim
Quod alteri facis, tibi fiet. VALE.

EIVS-

EIVSDEM TESTAMENTVM.

Cælo animam, do corpous humo, do cætera mundo,
Vt capiat partem quilibet inde suam.

AD CARMELITAS ANTE SVMMVM ALTARE.

DEO OPT. MAX.

H. S. E. CASPAR ZAPENA, gente Hispanus,
stirpe nobilis, manu & consilio bonus, militia multiplex eum vidit per varios suos
gradus promotum ad Tribunatum,
& mox à Rege Philippo III. Præfectũ Alexandriæ
apud Insubres destinatum:
quod munus nisi animo non cepit, morte interceptus tristi ad Oceanum pugna,
vbi solus pæne auctor non pugnandi,
sententijs & publico fato victus,
robore & animo inuictus,
fortiter pugnans vulneribus confectus,
captus denique Ostendæ,
obijt piè, & Christianè
Non. Sextilibus, anno CIↃ. IↃ. C.
cùm vixisset ann. XLIV.
Hic in omni munere
Suis amori, hostibus terrori fuit,
Liberalis, magnanimus, prudens.
Togate lector benè precare mortuo.
Sagate lector & imitare mortuum.

IN CONVENTV FRATRVM MINORVM.

DEO OPT. MAX.

R. P. F. CORNELIO ADRIANI F. Dordraceno, huius aliquando Cœnobij ante prouinciæ vastitatem toto Belgio amplissimi splendidissimi-

que Guardiano vigilantissimo, ac S. Theologiæ interpreti facundissimo: viro incomparabilis tum eruditionis, tum eloquentiæ, triumque linguarum quæ sacræ & sunt & dicuntur, callentissimo. Qui annis continuis XXX. populum Brugensem incredibili cum gratia, fructu atq; vtilitate, diuini verbi suauissimo pauit alimento, sementē verè spargens Euangelicam: tantaq; contentione zizania è malignorum spirituum fibris euellēs, vt verus Brugensiū Apostolus, splendor, decus & ornamentū Christianæ reip. Catholicæ, Orthodoxæ, Romanæ fidei propugnator acerrimus; nec secus, quā alter Athanasius validissimus hereticorū malleus dici potuerit, quiq; inter varias huius exulceratissimi seculi calamitates, inter innumeras hæreticorum calumnias, inter obstrigillantiū sycophantarum caninos insult᾽, libellorumq; famosa ludibria, tam inuictā semper animi moderationę tenuit, vt nullis vnquā vel hostiū fidei oppugnationib᾽, vel rerum aduersarum procellis potuerit conuelli: qui denique in hoc D. Frācisci instituto annis ferè XL. summa cū probitate vitæ, eruditionis gloria, religionis zelo flagrātissimo, optimè de hac ciuitate tam in Theologica professione publica, quàm in perpetuis indefessisq; ad populum concionibus ad mortem vsque optimè promeritus fuit. Hoc amoris & obseruantiæ testimoniū ac monumentū Patri opt. eiusdę ordinis fatres poss. anno à partu virginis gloriosæ CIↃ. IↃ. LXXXI. Prid. Iul. Id. laborumque suorum tandem aliquando amplam mercedem, verissimus fidelissimusq; Christi confessor percepit: pijs omnibus ingēs sui desiderium relinquens, eiusq; mortui expressam effigiem F. Franciscus Euerardus huius loci Guardianus, qui viuentē vnicè semper colebat,

lebat, syncerę dilectionis ergo in hoc tēplo pro rerū præsentiū facultate restaurata, appendi curauit.

IN XENODOCHIO S. IOANNIS, *ad cornu summi altaris.*

EPITAPHIVM F. CORNELII DORDRACENI Minoritæ, concionatoris celeberrimi.

Ecquis in obscuro latitans (dic parua tabella)
Tumulo hîc repostus conditur?
Quis fugiens adeò est & famæ & lucis & auræ
Vmbris vt hic velit obrui?
Túne Pater celebri condigno ex marmore crypta,
Hic DORDRACENE recubas?
Quem tam facunda decorauit gratia linguæ
Monita salutis cum dares,
Vt tua fama volet totum vulgata per orbem,
Stridente quamuis Zoilo.
Sed quia Seraphici placuit pia semita Patris,
Placuit sepulcrum ignobile:
Nam tituli & pario excisæ de marmore tumbæ,
AEtate longa intercedunt.
Virtus sola viget viuitq́; æterna, nec æuo,
Labente longo extinguitur:
Hæc iam te æquauit superis cæloq́; beauit,
Sertis decorum fulgidis.
Quid iuuat ignoto hunc igitur requiescere busto,
Qui mente cælo vixerit?

Obijt anno CIↃ. IↃ. LXXXI. mens. Iul. die XIV.

D. O. M.

IOAN. LVDOVICO VIVI Valentino, omnibus virtutū ornamētis, omniq́; disciplinarū genere, vt ampliss. ipsius literarū monumentis testatū est,

est, clariss. & MARGARETAE VALDAVRAE raræ pudicitiæ omnibusque animi dotibus marito simillimæ, sexusque fœminei ornamento, vtrisque vt animo & corpore semper coniunctiss. ita hic simul terræ traditis, Nicolaus & Maria Valdaura sorori & eius marito B. M. mœstiss. POSS. Vixit IOANNES ann. XLVIII. M. II. mortuus Brugis Prid. Non. Maij, anno M. D. XL. MARGARETA vixit ann. XLVII. M. III. D. IX. Obijt Prid. Id. Octob. anno M. D. LII.

IN D. MARIAE.

LVDOVICAE VENETAE, forma, venustate, pudicitia, rei familiaris administratione, ac supra muliebrem sexum, prudentia insigni; quæ ex Italia vixdum pubes aduecta, nostrates omnes in sui admiratione his raris animi & corporis dotibus pertraxit: virum, cum quo vnanimi concordia XXII. ann. vixit, nouem liberorum numero auxit, dum XXXIV. annum ageret, immatura morte extinctę, GVILIELMVS MOSCRON vxori incomparabili, cuius merita nullus amor æquare possit męstiss. posuit. Obijt XVII. Iunij anno à partu Virginis M. D. XXIII.

IN D. VVALBVRGIS.

DEO IMMORTALI ET MEM. PP.
Nob. Viri Guilielmi de Boodt,
Quem per honores plurimos
Ad culmen dignitatis supremæ
Gradatim virtus extulit,
Nam COS. III. creatus,
Exemplo omnibus non præfuit modò,
sed profuit:

Donec

Donec ingentibus curis æger,
Abit è vita simul, & Magistratu,
Ann.ætat. LII. XI.Kal. Nouemb. CIƆ.IƆ.CI,
AE catherina VVynckelman F. Reineri
sibi posterisque lugens posuit.
Haue, salue, vale æternùm mi marite;
ego te,
Quo natura permiserit modo,
lubens sequar.

INCERTAE POSITIONIS.

Hospes eram mundo per mundum semper eundo,
Sic suprema dies sit mihi summa quies.

GREVELINGAE.

IN ECCLESIA S. VVILIBRORDI,
IN CHORO.

D. O. M. S.

H. S. E. VALENTINVS DE PARDIEV
V. N. & fama inclytus.

Toparcha de la Motte, Eeckelsbeke, atque alibi. S. Iacobi Eques, Commendator in Stepa, Philippo II. Cathol.Reg. à Consilijs militiæ, Regijque exercitus armamentario, & machinis Præf. Duodecim Centuriar. ex Gallo-Belgis Chiliarcha, huius oppidi arcisque per annos XXV. Gubernator. Obijt anno Christi ∞. IƆ. XCV. Idib. Iul. vixit ann. LXV. M. III. D. XIII. Bono bonus benè precare.

AD LECTOREM SPECTATOREMVE.

Paulisper hospes siste, me, quis sim, Vide.

Heu

Heu fata! quis ſim, quis fui, vide ac abi.
MI NOMEN OMEN PER DEVM VALENS DEDIT,
Magni Philippi Regis, & domi & foris
Aſſertum ego iui Iura mente, vel manu:
Sub Auſtrio Ioanne; ſub Farneſio;
Sub Auſtrio Erneſto grauia feci & tuli:
Bis quinquies traiectus, hinc dextrum ad SLVSAM
Emiſſi ab ictu brachium amitto globi.
HVIVM *oppidum loco, arce munitiſſimum,*
Bis quinq; cinctus millium armata manu,
(Supremus Imperator hiſce copijs)
Sub Ius redegi Principis priſcum ſui.
DOVRLENIAM *arcem hinc vidimus; ſed vidimus,*
LVMENQ. *læuũ* HIC, LVMEN *heu! heu! quid lo-*
Quin lumen omne glande liqui plumbea (quor?
Transfoſſus. hac eſt vita, hic exitus mihi.
Mihi apprecare lector, & ſi vis abi
In Cattuacos, viſe monumentum hic mei
Gymnaſion ingens, ære conſpicuum meo.
Ergo adprecare, Lector, & ſi vis, abi.

DVACENA.

Sta viator, & immaturo funeri illacryma.

AVGVSTINVS LE MIRE,
Guilielmi F. Domo Bruxella H. S. E.
Quem optimis primum artibus moribuſq;
Duacena imbuit Academia;
Philoſophicis Louanium ſtudijs,
Doctoriſq; titulo & honore.

Medi-

Medicæ dein artis prima laurea
Mer. ornauit.
Inde ad Theologorum castra,
Deo vocante, se contulit,
Animorum futurus iam Medicus.
Canonica mox dignitas Valentianis
obtigit,
Ampliora spondente indole atque industriâ;
At currentem immaturam mors rapit.
VII. Kal. Octob. CIƆ. IƆ CII.
Natum ann. XXII. M. IX. D. XXIIX.

AVBERTVS MIRAEVS Canon. Antuerpiens.
fratri cariss. studiorum socio
cum lacrymis POS.
AEternum placida compostus pace quiescat.

IN TEMPLO COLLEGII MARCHIANENSIS.

DEO OPT. MAX.

Et pijs manibus D. FRANCISCI COMITIS LALANI, Philippi C. L. hæredis filijque, Schornatiorum Dynastæ, Baronis VVarinij & Albinianæ in Catuacis cliētelæ Patroni, Collegij Marchianensis, dum vixit, studiosi, mnemosyni loco posuit MARGARETA ARENBERGIA mater.

Téne mori formose, moríne heroas & illos,
Quos Lalanigenum fert super astra decus?
Ante vicem meritis ieras, virtutibus annos,
Ante diem virtus, mors fuit ante diem.
Quem Phœbū Charites, Rex Nestora, patria patrem
Sperauere sibi, tres, puer vnus obit.

III. Id. Febr. ann. Domini M. D. X C. ætat. XII.

IN

IN TEMPLO SOC. IESV.

BOETII corpus quiescit hic EPONIS,
Animam respice, ô IESV, benigniter.

EPITAPHIVM P. IOANNIS FOSSAE iucundissimi Poetæ, quod sibi scripsit, sed non positum.

Hæc sunt in fossa FOSSAE mirabilis ossa,
Qui sibi condendo versus cere comminuit brum.

INSVLENSIA.

IN D. PETRI.

REuerend. in Christo Patri Domino D. IOANNI SIX, Philosophiæ ac Theologiæ quõdam Louanij magna cum laude Professori, deinde in Parochiali Ecclesia D. Stephani huius oppidi aliquot annis Pastori vigilantiss. Inde ob virtutem & merita ad Canonicatum Audomarensem assumpto; postea Reuer. D. GERARDI ab HAMERICOVRT primi Episcopi Audomaropolitani Vicario generali, ac tandem in Episcopatu successori: dum hâc ad Synodum Prouincialem fidei ac Religionis ergo proficisceretur, febri correpto, ac in hoc opido, vbi vitæ acceperat initium; IV. Id. Octob. anno M. D. LXXXVI. ætatis verò suæ LIII. vitæ functo & è regione chori tumulato, IACOBVS VVILLART ex sorore Nepos, & huius Ecclesiæ Canonicus, Auunculo opt. de se merito mœstus POS. & quem viuens vnicè coluit, eum moriens voluit in tumulo habere socium.

IBI-

IBIDEM.

Sub terra tumulo MICHAEL cognomine dictus
Rex cubat, & vermes putre cadauer alit:
In quo ceu sydus rutilabat regia virtus,
Regia mens, mores regij, & ingenium.
Nunc sua quid mirum mœstus si tundat Apollo
Pectora? si Musa, si Charites doleant?
Lugeat Amphion? moueat nullum Orphea plectrum?
Nec dolor admittat frena modumq; Liui?
Deliciæ periêre suæ, sua gaudia, amores.
Heu! qui semper erat viuere dignus, obit.
Ah! nimium duros obitus, heu! gloria clero
Quanta gemiscenti, quantus honorq; perit!
Lustra nouem vix Mysta sui compleuerat æui,
Frigidus effossa dum tumulatur humo.
Nascimur, & summã cuncti properamus ad horam,
Dura potest nemo frangere iura necis.
Surgat vt æthereas de funere, Lector, in auras,
Sæpe tuæ feriant sydera celsa preces.

EPITAPHIVM D. HELLINI DE LE CROIX HVIVS ECCLESIAE *Canonici.*

Vita hominis labor & dolor. Melior est mors quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perseuerans. Ecclesiast. 30. Obijt 11. Septemb. anno M. D. LIV.

TORNACENSIA.

D. O. M. SACR.

Et memoriæ D. PETRI CORETI S. Theolog. Licentiati, Ecclesiastæ & Canonici.

PETRVS CORETVS. PORTVS ERECTVS.

Ille Dei interpres, Christi Mariaq́; sacerdos,
Hic sua fessa PETRVS membra CORETVS habet.
Qui siue è cathedra, cælorum arcana recludit,
Seu calami hæreticos detegit arte dolos.
Certa Pharus, dubio PORTVSQ. ERECTVS in æstu,
Gens pia naufragium ne pateretur, erat.

Obijt M. D CII.

ANIMAE PAX EX QVIES.

D. GVILBERTI D'OIGNIES EPISCOPI Tornacensis.

Quis iacet hic? ego GVILBERTVS cognomine D'OI-
Quæ tibi conditio? Præsul in vrbe fui: (GNIES.
Quod pietatis opus? Christo nunc Iudice clarum est:
Ecquis opes? templum, pauper & hospes habent:
Quid fuit in voto? sancta perfectio vitæ; (habe.
Euge, & QVAE SVRSVM SVNT, bone pastor

Post genus & titulos, curas, operumq́; labores,
Quis modò te finis candide Præsul habet?
CortraCI fatVM, TornaCI IVra sepVLChrI
ConseqVor, & bona spes ossa sopora tenet.

IN AMBITV CHORI D. VIRGINIS.

Bone lector, audi, pauca commonitum volo.
LIEBARDVS olim (sæpè nomen hoc tuas
Percussit aures) iuris & recti sciens,
Neq; minus ille Iuris & recti exequens;

Sacri

Sacri Senatus ille Cancellarius.
Quicquid vel artis quicquid ingenij aut opum
Possedit, hoc in ciuium effudit sinum,
Collegijq; multus autor Neruij.
Socijs IESV Patribus pubem dedit
Seu pia docendam capita, seu mores probos,
Seu cultioris literatura sacra.
Bene adprecare Lector, & si vis, abi.

IN NAVI ECCLESIAE MONASTERII S. AMANDI.

IOANNI SECVNDO Hagiensi, Poetæ celeberrimo & nulli secundo, cuius tumulum, hæreticorũ furore anno CIƆ.IƆ.LXVI. violatum, Carolus de Par Abbas, ob tanti viri memoriam † restaurari C. obijt anno CIƆ.IƆ.XXXVI. Kalen. Octob. à secretis Georgij Egmundani Traiecten. Episcopi, huius Idci Proabbatis.

† *Hortantibus D.D. Dionysio Villerio, & Hieronymo Winghio Carolus de Par Abbas restituit.*

APVD MINORES IN AMBITV Lapidi incisum.

Quod mater genuit, rursus quoq; filia gignit,
Pergrauida ex ipsa Neruius obstupuit.

IBIDEM.

Cy gist le pere, cy gist la mere,
Cy gist la soeur, cy gist le frere,
Cy gist la femme & le mary,
Et n'ya que deux corps icy.

De pari coniugum postea ad Religionem transeuntium, & in ea Præfectorum. Alter fuit Minorita, altera Clarissa.

ATREBATI.

D. O. M.

D. FRANCISCO RICHARDOTO, Burgundo, Atrebatum Episcopo, viro in omni disciplinarum genere versatissimo, ac cōcionatori Eloquentiss. qui ob singularem doctrinam, & præclaras animi dotes, omnibus Ordinibus vnicè carus; posquam hanc Ecclesiam periculosis temporibus ingenij dexteritate, & assiduis concionibus annis XIII. feliciter rexisset, maximo sui relicto desiderio, annum ætatis agens sexagesimum septimum è viuis excessit. IOANNES RICHARDOTVS, inuictiss. Philippo Regi à rerum status secretisque consilijs ac libellis, & Arthesiæ Præses Auunculo opt. Nepos mœstissimus POS. Obijt VII. Kal. Augusti, anno CIↃ.IↃ LXXIV.

HALLIS.

Hanc, DIVA, PENNAM, interpretem mentis meæ,
Per alta spatia quæ volauit ætheris,
Per ima quæ volauit & terræ, & maris:
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata semper. ausa quæ CONSTANTIAM
Describere, & vulgare: quæ CIVILIA,
Quæ MILITARIA atq; POLIORCETICA;
Quæ, ROMA, MAGNITVDINEM adstruxit tuam;
Variaq; luce scripta prisci sæculi
Affecit, & perfudit: hanc PENNAM tibi

Nunc,

Nunc, DIVA, meritò consecraui LIPSIVS.
Nam numine istæc incohata sunt tuo,
Et numine istæc absoluta sunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hac spiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA peperit, tu perenne gaudium
Vitamq́ue, DIVA, LIPSIO pares tuo.

LEODIENSIA.

D. O. M. S.

GERARDO à GROISBECK S. R. E. Presb. Cardinali, Episcopo, & Principi Leodiensi, Administratori Stabulensi, viro incredibili prudẽtia, pietate ac facundia prædito, qui Prouinciam suã temporibus difficillimis annis XVI. summa Innocentia, atque animi fortitudine, pace & bello non modò conseruauit, verùm etiam auxit, atque ipsis hostibus admirabilis virtute inuidiam superauit. Curatores bonorum ad leniendum parentis patriæ desiderium, monumentum hoc opt. merenti mœstissimi posuerunt.

Quem tegat hic tumulus, quondã si LEGIA quæres,
Te, sis vsque licet maxima, maior erat.
Vixit ann. LXIV. Obijt an. sal. hum. M. D. LXXXIV. Kalend. Ianuar.

ALIVD.

CAROLVS LANGIVS I. C. vir vt scripta eius testantur, doctiss. cui Læuinus Torrentius, & Ioannes Douerinus Collegæ monumentum poss. Obijt anno M. D. LXXIII. III. Kal. Aug.

IANI LERNVTII PARODIA.

Manibus CAROLI LANGI *in Eburonibus sepulti Sacr.*

FLANDRIA LOQVITVR.

Tot bellis infracta, mihiq; ægre ipsa superstes,
Ipsa tuas venio FLANDRIA *ad inferias,*
Vt LANGI, *affatu te extremo, & munere amoris*
Compositum externo prosequerer tumulo.
Quandoquidem historia, linguarum, iuris auiti,
Et rerum naturæ intima notitia,
Virtutesq; simul tecum interière, simulq;
Interière mihi gaudia rapta mea.
Nunc ergo exstinctæ quæ munera sola supersunt,
Debita rite tuis munera funeribus.
Accipe materno veroq; madentia fletu:
Atq; in perpetuum LANGI *hanc atq; vale.*

IN D. IACOBI.

DANIELI MAVCH, & ROSAE STOCKERIN coniugg. qui postquam hæretic. factionibus aris focisque paternis pulsi, in hac Eburonum vrbe exilij voluntarij sedem collocassent, IV. mensium inter vtriusq; obitum spatio interiecto, in æternam patriam migrarunt. Daniel filius vnigena parentibus opt. dulcissimisque mœrens P.

Vixit Daniel ann. LXIII. Rosa LVII. in matrimonio vnà fuere ann. XXXVII. Obijt hæc prid. Id. Iul. ille XVI. Kal. Decemb. ann. Christi M. D. XL.

IN

IN GVILIELMITARVM COENOBIO.

Hic iacet vir nobilis D. IOANNES de MANDEVILE, Al. D. ad Barbam miles, Dominus de Campdi, natus de Anglia, Medicinæ Professor, deuotissimus Orator, & bonorum largissimus pauperibus erogator, qui toto quasi orbe lustrato, Leodij diem vitæ suæ clausit extremum. Ann. Domini M.CCC.LXXI.M. Nouemb. die XVII.

ALIVD.

Hoc iacet in tumulo, cui totus patria viuo
Orbis erat, totum quem peragrasse ferunt.
Anglus Eques q́; fuit, nunc ille Britannus Vlysses
Dicatur, Graio clarus Vlysse magis.
Moribus, ingenio, candore & sanguine clarus,
Et vera cultor Relligionis erat.
Nomen si quaras, est MANDEVIL, Indus, Arabsq́;
Sat notum dicet finibus esse suis.

IN D. MARTINI.

TRISMEGISTO ORBIS SERVATORI.

Dardanida, Ausonij, Gandenses, Musica, Phœbus,
Multisq́; flerunt tristia fata PAPI:
Qui cum plus nimio malefidis credidit vndis
Corpus, abit Mosa sub vada caca miser.

ANDREAS PAPIVS Gandensis, huius ædis Canonicus, vtriusque linguæ peritiss. Musicus & Poeta optimus, magni illius LAEVINI TORRENTINI II. Antuerp. Episc. Nep. & Alumnus, dũ Syrios pertęsus ardores ad Lontigerorũ turrim,

aquæ silenti se committit, meando, remeando tandem fatiscens, occidit Id. Iulij anno M.D.LXXXI. triduo pòst hic sepult⁹. Viuat & ætherea luce fruatur.

Hoc PAPIO pos. Ianus Collega Guilielmius.

IN S. DIONYSII.

Ad Dei omnipotentis honorem & M. DOMINICI LAMPSONII, probitate, varia scientia & functione publica clari, in hac Ecclesia sepulti, suique memoriā D. NICOLAVS LAMPSONIVS eiusdem Ecclesiæ Decanus, eius frater pos. Anno M.D.CIII.

SIC erat, hoC Latè notVs LaMpsonIVs anno
Ipsâ defVnCtVs qVasanCtVs a LeXIVs horâ.

LEGES CONVIVALES IN AEDIBVS CVIVSDAM CANONICI.

Lex HORIANA iubet tibi, vir, seu federis hospes,
Siue herus ad mensam, parce aperire caput.
Lex HORIANA tibi, mulier, seu sederis hospes,
Siue hera, præscribit, tollere parce femur.
Causa triplex. non sunt in mensa immota mouenda;
Mensa vacet fastu, pilea labe, decet.
Ex legi sua pœna, meri potare cullum,
Aut, si pœna frequens ipsa iuuabit, aqua.
Lex iubet, in mensa, BVRnellia, qui datur, orbem,
Seu quadram, serua vir, mulierúe, tibi.
Causa duplex: vt inepta, aut ficta modestia cesset;
Et gladiatorum ceu grege mensa vacet.
Quippè obtrudendis certatim obladere quadris
Conuiua digitos, mutuaq; ora solent.

Lex

Lex MAMERANA *iubet, conuiua vocatus adito*
Maturè, & comitem ducere parce canem.
Haud etenim, tibi si gratus comes ille caninus,
Sic domino, aut domini gratus & ipse cani.
Quin & herus mensa, tibi si canis, inde relega,
Ne cui det, visum non semel, ille malum.
Neu pugnâ conuiua nimis ciuilis, at illa,
Assignabit herus quam tibi, sede sede.
Quod iubet hospes agas, si non vis tollere plagas,
Lex vetus, & nota est. hanc Mamerana nouat.
Lex AVGVSTINI, *præsentum, aut rodere dictis*
Absentum vitam, digna ferente, vetat.
Lex, GAVDANE, *tua est, se si quis inebriet, illi*
Postera lux puro pellat vt amne sitim.
Dixerit & si quid, seu fecerit ebrius idem,
Quo læsus fuerit, siue homo, siue Deus:
Non modò vt amne sitim sibi pellat, at eroget vltrò
Esuriem pauper pellat, & vnde sitim.

Ante cibum, potumq́; DEI *benedicere dona,*
Sumptaq́; post, grates dicere, dona Deo,
Simplice nos victu contentos, simplice cultu,
Et dare pauperibus si quid vtriq; super,
Legiferûm capitis Lex præcipit aurea CHRISTI,
Et mundo, mundi deliciįsq́; mori,
Gaudanus pater vsq; monens plantatq́;, rigatq́;,
O, incrementum tu dare, CHRISTE, *velis.*

Dominici Lampsonij.

LVXEMBVRGENSIA.

IN S. SPIRITVS MONASTERIO.

Viator, etsi properas, vt firmes gradum
Pij precantur Manes. Hic primum iacet
DOROTHEA *stirpe nobili* MANSFELDICA,
Ernesto patre nata, Luxemburgici
Moderator & Praefectus qui fuit soli,
Deniq; post & Belgici Prorex soli.
Matrona casta, prudens, liberorum amans,
Verens mariti. Quidquid in bona potest
Consorte dici, dictum de ista puta.
Maritus hinc FRANCISCVS *è* VERDVGIIS
Iberica stirpe. is prima ab adolescentia
Regi minister in pace & bello fuit:
Dum Mars perurit Belgicam ciuilibus
Flammis, moderator ipse Frisiae datus,
Transiselaniaq; pugnas inclytas
Pugnans atque vicit. Plura dicere
Annales libri poterunt, quos Lector roga,
Idemq; positis hic, veniam & pacem roga.
Coniugi & sibi FRANCISCVS VERDVGIVS Pos.

INSCRIPTIO FONTIS AD AEDES COMITIS MANSFELDIAE PETRI *Ernesti extra vrbem.*

Quisquis huc accedis, si te aestus sitisve vrget, hic aestum quietis vitato, sitim pronus extinguito, a-

to, aquam manu haurito, os lauato, at pede nę turbato, nudo corpore ne polluito, quiescentibus enim carissimæ vxoris manibus tranquillam vndam sacrauit. Mariæ de nomine Mariæ fontem nuncupauit: æterni sui amoris testes latentes vasta sub rupe lymphas erui, viuo lapide cingi, æternasque fluere iussit P. E. C. M.

NAMVRCI.

D. O. M. S.

Sereniss. Principi IOANNI AVSTRIACO, D. Caroli V. Imp. Fil. post Mauros in Betica rebellantes subiugatos, Turcarumq; max. classem apud Patras eo duce funditus fugatam deletamque, cùm in Belgio Proregem ageret, ni castris Bougranis, continua febre in ipso iuuentutis flore sublato, auunculo amantiss. ALEXANDER FARNESIVS Parmæ Placentiæque Princeps in Imperio successor, ex mãdato D. PHILIPPI Hispp. ac Indiarum Regis potentiss. hanc altaris tabulam Cœnotaphij loco P. C. CIↃ. IↃ. LXXVIII.

ARNEMII IN GELDRIA.

IODOCI SASBOVTI.

Siste gradum: quod es, ipse fui, fortaßis eris cras
Quod sum cadauer putridum.
Olim IODOCVS erã SASBOVT: me misit in auras
Delft clara pars Batauiæ.
Ter denis patriæ causas decidimus annis,
Pars consuli haud ingloria.

Deinde

Deinde & pacatis Præses ius Cæsare Gueldris
Dixi, iubente Carolo.
Quid tituli? quid opes? quid nunc prudentia prodest?
Mors summa miscet infimis.
Sola manet virtus homini post funera, solam
Dum viuis hanc ama: vale.

VENLONII.

PVTEANAE GENTIS GENIVS LOQVITVR.

Spectate posteri: sic eritis,
& hæc naturæ pacta,
Mori, transformari, consumi,
Cogitate: vitæ mora breuis est,
Dum viuitis, discite mori.
Nunc votis fauete maiorum manibus,
& auete.

Inscriptio EryčI Puteani.

VLTRAIECTINA.

IN SVMMO TEMPLO.

D. O. M.

Amice vnde abieram, rediens monumētum hoc mihi mortuo paraui. Sum enim imò fui IOANNES à DROLSHAGEN ex Monasterio inclyta VVestphaliæ Metropoli ortus oriendusque, huius Cathedralis Ecclesiæ Traiectēsis Canonicus. Nunc qui fuerim tenes, ego verò te hospes noscere nequeo, tu te ipsū nosce, & vt breui moriturus, viue.

Vixi

Vixi ann. LXIII. M. VIII. D. III. Morior anno à Christo nato M. D. XXXVII.

INSCRIPTIO COLVMNAE.

Accipe posteritas quæ post tua secula narres,
Taurinus cutibus fundo solidata columna est.

RELIQVVM SCORELII CANONICI.

Finis mors, sic sunt hominis vana omnia, præter
Quàm cui diuino pectus amore calet.

Vixit tempore Hadriani VI. *Pont. Max. cuius effigies aliquot pinxit accuratissimè.*

IN D. PETRI.

Nobili doctoque viro D. CAROLO SMYTERO Gandensi, curiæ Hollandiæ Senatori Regio, pos. Ioannes Lentius.

Hîc posuit Flander SMITERVS CAROLVS *vr-*
Consul apud Batauos, Regis, Ibere, tui. (*nam*
CVM BataVos beLLIs VeXat CIVILIs erInnIs,
FIXos heV proprIIs VVLnera VVLNerIbVs.
Martius hunc rapuit, caloq; Astræa locauit,
Hîc celebri tantum nomine fama viget.
Obijt IX. Kalend. Aprilis.

EPITAPHIVM S. RADBODI EPISCOPI VLTRAIECTINI, AB IPSO conscriptum.

Esuries te Christe Deus sitis atq; videndi,
Iam modò carnales me vetat esse dapes.
Da mihi te vesci, te potum haurire salutis,

Vnicus

Vnicus ignota tu cibus esto via:
Et quem longa fames errantem ambesit in orbe,
Nunc satia vultu, Patris imago, tuo.
O Deus Omnipotens, cuius pietati redemptus
Subsistit mundus, qua generatus homo,
Respice me miserum peccati mole grauatum,
Et nimium pressum pondere, Christe, laua,
Ereptumq́, gregis dira de sorte, sinistri,
Iudicij inter oues tempore siste tuas.

IN TEMPLO IEROSOLIMITANO.

D. O. M.
&
AETER. MEMOR.
IANAE BVCHELLIAE puellæ dulciss.
cuius formę venustas, morum suauitas
&
Indolis, præter sexum, præter ætatem,
miraculum,
Inuidiam Parcarum excitarunt.
Vixit ann. XIII. M. III. integros
sorori cariss. & amantiss.
ARNOLDVS BVCHELLIVS Batauus
frater mœstiss.
N. S. L. P.

AMSTELODAMI.

IN AMSTELODAMVM HADRIANVS IVNIVS.

Aureus, vt perhibēt, quondā ab Ioue perpluit imber.
Magnificis turgentem opibus Rhodon: horrea Romæ

Sica-

S icaniam esse Ceres victuro munere cessit.
T orsit & huc oculos facilis Deus ipse benignos,
E t me mactam opibus iussit, florereq; rebus
L ætis: at circundor aquis, pigraq; palude
O bsita: roboreq; solo stant culmina nixa
D epactis altè trabibus, surgentia cælo:
A lternansq; statis vicibus maris æstus aperti
M œnia subcingit, qua parte exotica puppes
V elifera inuectant onera, exportantq; frequenti
M ercatu, Hesperias qua se demittit in vndas.
B arbaraq; Eous pandit qua littora Titan
E xpedio, quos nostra tamen non area verrit,
L egifera cumulos Cereris, genitalia dona.
G argara prouentu tanto non farris abundant.
I nferior fuerit, vel Momo iudice, mecum
C ontendat locuplete penu si Trinacris ora,
AE qualeúq; ferax non Africa stipat aceruos.
H orreum & agnoscit me non malè Belgica felix,
O mnigenas vt opes, sic vitæ alimenta ministro.
R ectè vt quis saturæ similem me dixerit aluo,
R obore defectos succum quæ didit in artus.
E ximia hinc adeò Cæsar me ferre coronam
V irtutis decus, ac munus spectabile iussit.
M ateriam at linquo scribendi Vatibus amplam.

GVILIELMI CINNESII S. THEOLOG. LICENTIATI, ECCLESIAEQ. D. MARIæ Pastoris.

Ossa sub hoc recubant GVILIELMI marmore clausa
CINNESII, cuius iusta Thalia canit.
Patricio natus qui sanguine, vixit honestè,
Dum vixit generis lausq; decusq; sui.

A tem

A teneris coluit Musas, & dogmata morum
Imbuit, affixus nocte dieq; libris.
Louanij Sophiæ studuit, triplicemq; coronam
Cum totidem titulis ex Helicone tulit.
Postea Parisijs, quantum satis esse putabat,
Pectoris ad cultum degere cura fuit.
Sæpè volutauit, subitò quàm munera Pluti
Et quicquid fragili splendet in orbe perit:
Ceu maris vndosi soleant quod mergere fluctus,
Et nos in stygium præcipitare lacum.
Hinc animæ voluit potius curare salutem,
Istis posthabitis & coluisse Deum:
Ipsius & verbum sacratus ritè sacerdos,
Christigenum fida voce docere gregem,
Id quod complures non infeliciter annos,
Hâc Diuæ MARIAE fecit in æde sacra.
Charus erat Clero cum ciuibus atq; Senatu,
Illi mens eadem, dißidijq; nihil.
Neue quis extincti sentiret damna, reliquit
Plurima post mortem distribuenda pijs.
Ecce sed egregios vigilanti pectore fructus
Quando suis profert, & bene cuncta gerit:
E medio properè veniens Mors sustulit illum,
Quem Pylij decuit viuere secla senis.
Vsqueadeo humanæ nulla est constantia vitæ,
Tam citò, quod speres posse manere ruit:
Dumq; homo persuadet sibi dulcem ducere vitam
Et superesse diu posse, repente cadit.
Nunc satis est, Christus, qui mortis spicula fregit,
Faxit CINNESII spiritus astra colat.

Obijt M. D. LXXI. I. d. April.

HAR-

HARLEMI.

IN AEDE PRIMARIA.

D. O. M.

MARIAE GVILIELMAE CAESARINAE, pudicitiæ modeſtiæque vnico exemplo coniugi amantiſſ. ADRIANVS IVNIVS Medicus in poſterorum memoriam mœſtiſſ. P. C.

Vltima in Auguſti, rapta es ſpes vnica nobis
Coniux: ah propere mors truculenta, necis!

LVGDVNI BATAVORVM.

LIPSIANI HORTI LEX IN IPSO ADITV, SVB PERSONA BIFRONTIS *Iani. B. F.*

Quiſquis es, STA, LEGE, PARE.
IANVS ad hos limen ſic EDICO.
1. Horto & hero fruendi tibi ius eſto:
Sed illo ad aſpectum, iſto ad ſermonem.
Niſi oculis, quidquid heic ſatum aut natum, ne LIBATO.
Tiro eſto, manum apud te habeto.
Si effers ad tactum aut ad raptum:
Verbo dicam, te efferto.
2. Sed nec hero vſquequaq; fruitor.
Ante ſextam veſpertinam ne adito:
Poſt ſeptimam ne maneto.
Horæ aliæ ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit:

STILVS heic est, abi musca:
Quid si & cæna? abi musca.

3. Sermones etiam ne exleges,
Iocari licet:
Narrare licet:
Rogare licet:
Sed nihil serium.
Gratiarum hic locus est.

4. Si quid amœnius tamen in studijs,
Inter ambulandum
Differe, doce, disce.
Et Musarum hic locus est.

5. Tu qui seriosus,
Tu qui rixosus,
Exeste.
Clusius ego sum vobis.

6. Canis, præter vnam, emaneto.
Hecuba, præter vnam, emaneto.
Habes? hoc etiam.
Quoquò te agis, te video.

D. O. M.

REMBERTO DODONAEO Mechlin.
D. Maximiliani II. & Rodolphi II. Impp.
Medico & Consiliario,
Cuius in re Astronomica, Herbar. Medi.
eruditio scriptis inclaruit.
Qui iam senex in Academia Lugdunensi
apud Batauos publicus
Medicinæ professor, feliciter obijt
An. CIↃ. IↃ. XXCV. ad VI. Id. Martias.
AEtatis suæ LXVIII.
Rembertus Dodonæus Fil. M. P.

ROTER.

ROTERODAMI.

ANTE AEDES D. ERASMI ROTER.

AEdibus his ortus mundum decorauit ERASMVS
Artibus ingenuis, Relligione, fide.

HADRIANVS IVNIVS IN BATAVIA SVA.

Lumen & decus immortale vrbi addidit DESIDERIVS ERASMVS hanc patriam & genitalem ſedem gratâ recordatione, vbique in ſcriptis agnoſcens: qui inter præcipua ſeculi noſtri ornamenta meritò habitus, quaſi ſignum quoddam ex arce Palladia litteratis ad imitandum extulit: cuius natales lares ſacræ ædi propinquos, quoties ab exteris ſtudiosè reuerenterque adiri ciuitas (quæ pari religione illos colere debet, qua Romuli caſam Quirites) contemplatur, toties caput altius efferre iuſta gloria poteſt.

NON PROCVL AB HAGA COMITVM IN COENOBIO LAVdunenſi.

MARGARETA Hermanni Comitis Hennébergiæ vxor, quarti Florétij Comitis Hollandiç & Zelandiç filia, Guilhelmi Regis Romanorũ, ac poſtea Cęſaris ſeu Gubernatoris Imperij, atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror, cuius patruus Epiſcopus Traiectenſis, auunculi autem filius Dux Brabantię, & Comes Thuringiæ. Hæc aũt Illuſtriſſima Comitiſſa annos quadraginta duos circiter nata, ipſo die Paraſceues nonam circiter horã, anno milleſimo,

ducentesimo, septuagesimo sexto, trecentos sexaginta quinque enixa est pueros, qui prius à Guidone suffraganeo Traiectensi omnes in duobus ex ęre peluibus baptisati sunt; quorum masculi quotquot erant Ioannes, puellæ autem omnes Elisabethæ vocatæ sunt, qui simul omnes cum matre vno eodemq; die fatis concesserunt, atque in hoc Lausdunensi templo sepulti iacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex vno partu gemellos in vlnis gestabat pueros, quam rem ipsa Comitissa admirata, dicebat, Id per vnum virum fieri non posse, ipsamque contumeliosè reiecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata, ac perculsa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex vno partu ipsi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarētur; quod quidē præter naturę cursum ob stupenda quadam ratione ita factum est; sicuti hîc in perpetuam huius rei memoriam ex vetustis, tam manu scriptis, quàm typis excusis chronicis breuiter positum & enarratum est. Deus ille ter maximus hac de re suspiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula, Amen.

GRONINGAE IN FRISIA.

D. O. M. SACR.

LAMBERTO CANTERO Frisio Gruningensi, Iurisc. clariss. Philosopho & Oratori præstanti, Caroli Quincti Senatori, raro virtutis omnis exemplo, singulari patriæ ornamento, parenti merito longè cariss.

Pieta-

Pietatis & memoriæ ergo Guilielmus F. M.P.C.P. Ann. XL. mens. III. ●. An. ob O.R. CIↃ.IↃ. LIII. VII. Kal. Sextil.

MIDDELBVRGI.

D. O. M. S.

HADRIANO IVNIO Hornano, Philosopho, Medico & Poetæ celeberr. Bataviæ Historico fideliss. cuius in omni disciplinarũ genere exquisita eruditio, singularis industria, infinitæ lectionis præstãtia, multiplex linguarum scientia, pari coniuncta Comitate, doctorum omnium admirationem laudemque meruit: post varia incomparabilis ingenij monumenta, quibus æternam sibi memoriam comparauit, sub hoc marmore condito, Patri opt. de se merito PETRVS IVNIVS mœstiss. pietatis ergò P.C. Vixit ann. LXIII. Obijt XVI. sibi cognominis mensis. Anno salutis Christianæ CIↃ.IↃ. LXXV.

ALIVD.

IVNIVS hîc situs est: vltrà ne quære Viator,
Oculisq; sat debere te tuis puta,
Tam magni spectare viri queis contigit vrnam.
Oculi ô beati, ô verè ingens spectaculum.

D. IOANNI VALEOLAETO S. PETRI DECANO DIGNISS.

Hic dormit illud vnicum Zelandiæ
Decus IOANNES, singularis virginum
Moderator, atq; præcipuus verbi Dei

Praco, suapte, quod docet, vita probans,
Peculiare pauperum præsidium,
Quos esse nouit deditos studijs sacris.
Laboriosus, litteris immoriens,
Biblioq; thecam nactus instructissimam,
Semper studebat, non sibi, verum alijs,
Quos tum domi, tum publicè gratis docet.
Multis diebus continenter maximo,
Stomachi dolore, febribusq; exæstuans,
Dei benignitate fretus maxima
Lætus supremum finijt vitæ diem:
Vbi puluis in terram omnium matrem, vnde erat,
Redijt, migrauit spiritus in domum suæ
Æternitatis, ad Deum, qui condidit.

ALARDVS AMSTELRODAMVS amico pos.

DANICA.

INSCRIPTIO SALINI INAVRATI, QVOD D. HENRICVS RANZOVIVS *Christiano IV. Regi ex Baptismo vnà cum alijs à se suscepto honorarij loco dedit.*

DEVS trinus & vnus largiatur huic regio nato, abaui sui Christiani felicitatem & fortunam: proaui Friderici I. mansuetudinem & beneuolentiam: aui Christiani III. pietatem & clementiam: Friderici II. patris sui magnanimitatem & prudentiam: ac horum regum omnium maiorum suorum contra hostes suos gloriosas victorias. Hæ enim virtutes ex tot Regibus & paterno san-

ro sanguine in illum defluxere: talesq; decent tot Regum prolem.

HAFNIAE.

Dn. Iacobo Bordingo Antvverpiano, viro in omni Philologia & Philosophia bene & eleganter versato: & propterea Sadoleti quoq; aliorumque exterorum doctiss. monumentis publicè celebrato, primùm patriæ, dein Ducc. Megapp. & sereniss. Daniæ Regg. Christiani III. & Friderici II. Archiatro: Academiarum Rostochianæ & Hafniensis ornamento: ob veræ pietatis, eruditionis, sapientiæ, & omnium virtutum laudem, memoriam perennem iam pridem adepto: grati hoc animi memoraculum, patri opt. sibique & omnibus bonis desideratiss. in beatæ reparationis spem, Iacobus Bordingus F. I. V. Doctor, Professor & Cancellarius Megapol. P. C.

Piè obijt Hafniæ, an. Christi CIↃ. IↃ. LX. Septemb. v. hora IV. vesp. an. ætat. I.

ROSCHILDENSIA.

IN CATHEDRALI.

Tergeminus fuit HARALDVS, dum sceptriger omni
Temporis excursu pace beatus erat.
Cæsaris innumerum donec furit agmen, & inde
Climata Iutonica dilaniata iacent.
Consilium nimium felix: Rex gurgite sacro
Mersus, init superis fœdus: & arma iacent.
Funditus hasce Ioue summo nunc condidit ædes,

Quasq; per id memores dixerit esse sui.
Sueno etiam abluitur præter placitum, sua prole
Præcipiti rabie qui strepit armipotens.
Imperij siquidem generosi fata parentis
Cæca libido parat. spicula missa necant.
Post natale Dei dum scripsimus octuaginta
Nongentos, meruit scandere celsa poli.

IBIDEM.

Regum SVENO decus, magno quo Dania Rege
Floruit, & sceptris imperiosa fuit.
Non virtute minor Sueno, quàm nomine Magnus
Nam dici poterit Magnus vtroq; modo.
Hunc soror illustris Regis præclara Canuti
Estridis genuit prole beata parens.
Anglos Marte premens, Norvvegia regna subegit,
Fit tria septra tenens vnica Dana manus.
Res miranda nimis, quem non tria regna valebant
Imperio capere, iam petra parua capit.
Sed quia stare diu nequit heu terrena potestas;
Terrarum reges quærite regna Dei.

IBIDEM.

VVilhelmus olim Episcopus Roschildensis
Præstantibus Dei relucebat donis,
Pietate, religione, percelebri vita
Et sancta, & omni genere virtutum illustri;
Adeò, vt incertum erat, is ne officio tali
Dignior erat, an illo officium. Tam spectatum
Episcopatus præstitit sui exemplum.

His

Hic fretus innocentia, atque item iusto
Iniusti homicidij dolore permotus,
Quod à rege factum erat, libidine magis quàm
Ratione, Regem ipsum quamuis magnum, & tali
Regno potentem, comitatuq; stipatum
Magno, repulsum baculo, prohibuit templo,
Rebusq; sacris, donec pœnitens facti,
Ingratiam cum Ecclesia ac Deo offenso
Redisset. his factis, tempore non ita multo
Pòst, mortui iam regis sui deferebatur
Funus. quod vt rescitum est appropinquare
Vrbi; duo sepulchra confici iussit,
Duobus etiam feretris adornatis ibat (est;
VVILHELMVS obuiam. Postquam ad funus ventum
Oratione facta, vt illi (quem in terris
Deo patri iam lucrifecerat sanam
Per admonitionem) commori posset.
Mox membra collapsus, animam sanctam cælo
Reddidit. Ac inde vterq; suo lecto impositus
Hanc sacram ad sedem pariter (mirabile dictu)
Magno omnium stupore deportati sunt.
VVILHELMO honorificè sepulto, ac de more
Episcopalibus insignibus vnà cum illo
Terra reconditis, nouo Deus funus
Miraculo hominum memoriæ consecrauit.
Hæc ipsa namq;, vt obruta tumulo terra,
Vltro sepultum reddidit. translatum ergò
Huc funus est, ac magna cum religione
Hoc in loco commendatum sepulturæ.

SAXONIS GRAMMATICI
DANORVM HISTORICI.

Qui viuens alios æternum viuere fecit,
SAXO GRAMMATICVS mortuus hîc recubat.
Mortuus extincto sed tantùm corpore, mente
Qua valuit, magno viuit & ingenio.

SORANA.

IN TEMPLO COENOBII
SORANI.

HOC ABSALONEM tumulo post fata reclusit
Vltimus humanæ conditionis honos.
Hic primas sua prima tenens, docet, vltima cunctis
Ingruere, & nullum posse manere diu.
Corpore nactus humum, lustrat spiramine cælum,
In duo diuisus gaudet habere duo.
Par patris patriæq; parens, hoc puluere pausat,
Certa salus populi, plebis opima quies,
Virtutis specimen, iusti pater, auctor honesti,
Militiæ robur, relligionis apex.
Hostibus excidium, tutamen ciuibus, æqui
Arbiter, armorum gloria, pacis amor.
Non fuit in toto quisquam præstantior orbe.
Nulla magis clarum fudit origo virum.
Omnis in hunc virtus confluxit munere pleno,
Nec quenquam vitio præstitit esse locum.
Quicquid Achillis erat, quicquid Platonis, in eius
Splenduit ingenio, moribus atq; sono.

Fortior

Fortior extiterit, num doctior, ambigit omnis,
Pectora cui sacri nota fuere viri.
Ad sacra gentiles armis transire coëgit,
Hic mihi, ne dubites, Rugia testis adest.
Excubijs cuius patria pax constitit, huius
Dania iam fatis pressa reuixit ope.
Hinc eadem tanto viduam se sole queratur,
Et lucem luci iure precetur ei.
Lux Benedicte tua en præsens huic lumen ademit,
Donatura nouum perpetuumq́ sibi.

IBIDEM,

VVALDEMARVS Regum non infima gloria Danum,
Quem tenet extinctum constructa ex marmore tumba,
Eiectus regno, magna virtute regressum
Obtinuit, pulso forti de finibus hoste
Holsato, patrias arces terramq́ redemit
Expositam precio: senserunt principis arma
Inuicti, gentes ponto terraq́ directa,
VVandalicaq́ vrbes opibus fastuq́ superbæ
O nimium! Tandem vita pertæsus obiuit
Gurræ. Translatum recubat post funera corpus
Hoc tumulo Soræ. sed mens petit ardua cæli.
Fama solo remanet studijs celebranda nepotum.

IBIDEM.

Dania Noruago genuit me Margaris illa,
Quæ fuit Haquino tradita connubio.
Et ius Noruagum, sed Danum. gratia Regem
Signat, vbi satis, cum patre, cedit auus.
Sed mihi regna negat mors immatura, deinceps

Norua-

Noruagia vt Dano pareat imperio,
Et matris,tanta regnantis laude,triumphus
In Suetos,toto notior orbe foret.
Inter auum & proauum nunc Sora corpore condor
Olaus,cæli lumine mente tegor.
Atqui me,ob similes vultus,se finxit eundem
Nutricis ludens arte,doloq; mea,
Falsurbodensi cineres commiscet arenæ,
Supplicium in ficto corpore vt ignis agit.

HORNSLETI IN IVTIA.

DN. GEORGIVS ROSENKRANTZ,&c. de seipso loquitur.

CVrarum satur,& rerũ quas mundus adorat,
Hoc viuus mihi delegi struxiq; sacellum,
In quo tranquilla post fata quiete potirer:
Voce sua Christus dum me reuocaret,& omni
Crimine mundatum cœlesti in sede locaret.
Ergo valete arces,& opimæ iugera terræ:
Aula vale:valeant regum quos nomine honores,
Et patria gessi.cui si satis vtilis esse
Haud potui;studui certè,mundana valete
Omnia sed Christus mihi custos vnicus adsit;
Hic mihi solus amor,spes,lucrũ,honor, omnia solus.
At tu qui terræ post me dominaberis isti,
Parce mihi,nec sis defuncto iniurius,ipse
Qui viuus ne vel minimo grauis esse cupiui.
Scito sed ad metam hanc ipsam te tendere,eoq;

Disce

Disce mori, dum vita placet. properè omnibus instat
Mors hodierna mihi, tibi crastina fortè futura.

MEMORIAE D. OTHONIS G. F. ROSENCRANCII.

Othoni Rosencrancio, Georgij Equ. splendidiss. & inter proceres regni Daniæ eximij, filio: iuueni pio, bene morato, docto, ab omni luxuria & fastu alieno: &, quod rarum huic ætati est, mortis perpetuò memori. qui præcipuis vtriusque Germaniæ vrbibus & Academijs perlustratis, in patriam vix reuersus, sub ipsum iuuentutis florem suorum ex oculis, non memoria, sublatus est. Anno Christi CIↃ. IↃ. IIXCII. die VII. Martij. AEtatis suæ XXI.

Cultor OTHO *à teneris sincerus numinis annis,*
Musarum decus, & patris pia cura Georgi,
Hoc sua deposuit ROSECRANCIVS *ossa sacello,*
Cùm tria complesset vix dum septennia. primis
Dania litterulis hunc imbuit, addidit artes
Et linguas Varnus: Scaldis, Nicer, Isula, Rhenus
Iudicium & mores ita formauere, senile
Vt quiddam viridi iam conspiceretur in æuo.
Optatos hinc sperabat sibi patria fructus,
Sperabant Rex & proceres, clariq; parentes.
Verùm aliter Domino placuit, qui noluit isti
Tot spinas instare Rosæ, & mox leniter vngue
Somnifero auulsam cœlestibus intulit hortis,
Pars vbi siderea nulli euellenda corona est.

Obdormiuit anno CIↃ. IↃ. IIXCII. mensis Martij, die VII. hora VIII. anno ætat. XXI.

Georg. Rosencrantz, & Dorothea Langia parentes

rentes mœstiss. filio desideratissimo, in spem lætiss. resurrectionis, cum lacrymis PP.

ALIVD BREVIVS.

Dania dat patriam, Rosecrantia nomen OTHONI
Nobile gens: puerum pietas formauit: in vrbes
Teutoniæ eximias Charites duxere: reuersum
Mors rapuit: requiem exuuijs hic terra; beata
Lumina dat menti Christus, noua gaudia cælum.
Illius exemplo vel in ipso flore iuuentæ
Disce mori. huumana summa hac sapientia vitæ est.

INSCRIPTIONES ARCIS VRANIBVRGICAE à TYCHONE BRAHEO, *anno* M. D. LXXVI. *primum inchoata.*

FRIDERICO II. in Dania regnante, Carolus Danzæus Aquitanus R. G. I. D. L. domui huic Philosophiæ, inprimisque astrorum cōtemplationi Regis decreto à nobili viro Tychone Brahe, Ottonis F. extructæ, votiuum hunc lapidem, memoriæ & felicis auspicij ergò, ann. M. D. LXXVI. VI. Augusti Pos.

Quod etiam hi versus testantur.

Tempore quo regnum, qui nomine req; secundus,
Danorum, imperio Rex Fridericus habet,
Carolus, ad Danos Galli legatio Regis,
Danzæus, quem orbi terra Aquitana tulit,
Huic domui, Vraniæ & Sophiæ qua Tycho Brahorum
Clara stirpe satus, Rege iubente, struit.
Hunc lapidem, auspicio felici, vtq; omne per æuum
Augusti id memoret lux modò sexta, locat.

D. O. M.

D. O. M.

Aſtronomiam, ſcientiarum omnium antiquiſſimam & præſtantiſſimam, diu quidem multumq; cultam, nondum tamen ſolidè conſtitutam, aut à mendis vindicatam animaduertens, ei inſtaurandæ perficiendæque varia eademque exacta adinuenit conſtruxitque organa, ad omnimodas cœleſtium corporum obſeruationes ſufficientia, labore, diligentia, impendio incredibili, quæ partim proxima eandem ob cauſam exædificata arce Vraniburgo: partim hiſce cryptis, ad conſtantiorem & opportuniorem vſum diſpoſuit: tibique ô inclyta, omni æuo ſucceſſura poſteritas, hunc theſaurum rariſſimum & precioſiſſimum commendans, dicans, conſecrans, vt in æterni Dei, admirandæ cœleſtis machinę opificis gloriam, artisq; diuinæ propagationem, ac patriæ honorem perpetuò conſerues, nec vetuſtate, aliόve incommodo collabaſcere, aut aliorſum transferri, vel quocunque modo violari ſinas. Si nihil aliud, authoris ſaltem vniuerſi vindicem reuerens oculum.

Qui ea cuncta in hac Inſula inchoauit & abſoluit, hoc monumento poſito, te rogat & obteſtatur.

TYCHO BRAHE O. F.

Haue, qui hac legis, facisq;, & vale.

IN HYPOCAVSTI HOROLOGIO MAIORI.

Tempora circuitu cælum fugientia voluit,
Nec modò præteriens hora redire poteſt.
Temporibus totus fugitiuis clauditur orbis,

Præterit

AEthereisq; potita bonis, mortalia temnit,
Per Christum gratis consociata polo.

Obijt peste anno 1576. Septembr. die XXIV. Vixit hic in terris saltem annos duos, menses II. dies II. horas II.

VVESBVII IN SCANIA.

CLAVDIVS hic parua requietus clauditur arca,
Cui viuo in toto non foret orbe quies.
Hunc natura semel terris monstrauit, at illic
Concessit saltem sex superesse dies.
Vt tener & leuior mortali labe solutus
Ad superos nullo pondere tardus eat.
Tempora pro modicis vbi nunc aeterna diebus
Obtinet, & gratis pace potitus ouat.

Claudio dilecto filio vnicam septimanam in terris non complenti pater lugens F. & P. Anno 1576.

CIMBRICA.

IN ARCE ILLVSTRISS. D. HENRICI RANZOVII VICARII Regij, BREDEMBERGAE.

INSCRIPTIO PORTAE.

SI nihil aedificas, qui spectas nostra, viator,
Aut mea ne carpas, aut meliora struas.

M m *Sime-*

Si meliora tenes; id Diuos poscito mecum,
Ne, quod vterq; tenet, fascinet inuidia.

IN COENACVLO COMmuni.

Qui nouus hîc nostris succedis sedibus hospes,
Esto bonus, mensam consulitoq; boni.
Craterem de more lubens philothesion hauri,
At litem moueas ebrietate, caue.
Pocula amicitiam faciunt, & pocula soluunt.
Si bibis, vt valeant mensq; pedesq;, sapis.

IBIDEM.

Cùm placido vita mutasset tempora fato
Heu IANVS hic RANZOVIVS:
Luxerunt nati, coniux, Holsatica tellus,
Vno ore plangentes patrem.
Mars tumulo imposuit laurum, zonamq;, tro-
Et hostibus demptas opes. (phaumq;
Pax etiam, aut concors huic, aut contraria Marti,
Laudauit ipsa animum viri.
Fama hinc dispergens latè ore, manuq; secuta est,
Virtutis excellens decus.
Qualiter hunc igitur vixisse putabimus æuum,
Per lustra bis septem & tria?
Tot namq; hic vixit, quem Mars, Pax, Fama per-
Laudent, requirant, efferant. (ennis
Et pia cum natis coniux viduata marito,
Et patria, lugeant patrem.

AD FORES HENDECASYLLABI
sequentes conspiciuntur.

Hunc quicunq; subis locum, resiste
Paullum, si placet, atq; paucula audi.
Votiuum domini vides sacellum,
In quo res perago sacras, & ore
Nostra percipitur salutis autor,
Funduntur q; preces, piaq; voces
Et dicuntur & audiuntur. Ergo
Arcem si venis huc videre saltem;
Illius studium, bonamq; mentem,
Qui poni voluit sibi, probato;
Aut, si res ita fert tua, æmulare,
Et semper pietatis esto cultor.
Sin huc ingrederis, sacris vt ipse
Intersis simul, ad fores, prophanas
Omnes exue cogitationes,
Et mentem indue sancta cogitantem,
Præsentemq; puta Deum videre,
Ad quem verba facis, precesq; fundis;
Illi corde pio, piaq; lingua,
Pro donis age gratias benignis,
Collauda, venerare, concine, atq;
Dictis suppliciter precare votis.
Huic soli est operi locus dicatus.
Illud te monitum prius volebam.

LIBROS BIBLIOTHECAE SVAE AMpliss. ad imitationem Flaminij sic alloquitur
D. HENR. RANZOVIVS.

Saluete aureoli mei libelli,
Meæ delitiæ, mei lepôres,

Quàm vos sæpè oculis iuuat videre,
Et tritos manibus tenere nostris.
Tot vos eximij, tot eruditi,
Prisci lumina sæculi & recentis,
Confecêre viri, suasq; vobis
Ausi credere lucubrationes,
Et sperare decus perenne scriptis.
Neq; hæc irrita spes fefellit illos,
Vestro præsidio per vniuersum
AEuo perpetuo leguntur orbem,
Doctorumq; volant per ora clari.
Vos estis requies honesta mentis,
Iucunda ingenijs bonis voluptas,
Rebus perfugium minùs secundis,
In lætis decus, & nitor refulgens.
Vos ætate puer virente, magno
Sum complexus amore. nunc vir autem
Multò prosequor impotentiore.
Et, quam fata diu sinent amare,
Vobis immoriar mei libelli:
Ac cum rege lubens fatebor illo
Alphonso egregio, esse cariores
Vestras diuitias mihi, benigna
Quàm sors quas mihi contulit caducas.
Saluete aureoli mei libelli.
Saluete, ex quibus hæc mihi voluptas
AEuum percipitur per omne grata.
Quàm vos intueor libenter, & quàm
Lubens colloquor! Ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis?

IN BOR-

IN PORTICV BREDENBERGENSI ad imagines heroum.

Scipio cùm Romæ statuas spectaret auorum,
Hæc ad virtutem sunt mihi calcar, ait:
Hos quoq; quis spectet referentes inclyta facta,
Seq; aliquo tangi laudis amore neget?
Sint licet abstractis procul in regionibus orti,
Omnes æternum promeruêre decus.

IOSVA DVX POPVLI ISRAELItici H. R.

Aspice Nunnides ego sum, qui maximus armis
Pro populo gessi bella cruenta meo.
Promissamq; diu, cæsis cultoribus ense,
Distribui iacta sorte, dediq; plagam.
Triginta numero reges, quis credat? & vnum,
Hæc mea diuina dextera fudit ope.
Et mihi Iordanis, tacitis immobilis vndis,
Et mihi tardatis, Sol stetit altus, equis.
Esse typum Christi factis & nomine quisquis
Me putat, errorem quo tueatur, habet.

ALITER H. R.

IOSVA ter denos Reges vnumq; peremi,
Occupo promissi dum fera regna soli.
Sol quoq; bissenis lucens immobilis horis
In medio cæli, me cupiente, stetit.

DAVID REX ISRAELITIcus H. R.

Paruus eram, pecudumq; gregē per rura sequebar,
Extulit ad regni de grege sceptra Deus.

 Et leo

Et leo prædator, violentus & vnguibus vrsus
Occisi manibus procubuêre meis.
Ore Philistæus terram indignante momordit,
Immanem letho quem mea funda dedit.
Laberis in crimen, quisquis malè prouidus, ingens,
Ne venia culpam crede carere tuam.
Me quoq; mens in grande scelus cæca impulit, at non
Gratia lugenti sacra negata fuit.

ALITER. H. R.

Sum DAVID quondam caulæ, nunc arbiter aulæ:
Proq; pedo vili regia sceptra gero.
Gathiten funda sterno stridente Goliam,
Bis quino fermè qui pede longus erat.

IVDAS MACHABAEVS DVX Iudaicus. H. R.

Vt leo conspectum ruit iracundus in hostem,
Et ferus illata vulnera strage facit:
Sic ego commotis in prælia viribus ibam,
Pro patria capiens legibus arma mea.
Excidiumq; vrbi sacræ, gentiq; minantes
Sæpè trucidaui, Marte fauente, viros.
Pulchrius est visum, paucos opponere multis,
Vertere quàm turpi terga pudenda fuga.
Sic me conieci medios moriturus in hostes,
Et mihi mors voto digna reperta meo est.

ALITER. H. R.

En ego sum IVDAS, Machabeæ gloria stirpis,
Qui nullus vnquam terga pudenda dedi.
Pro grege, proq; sacris pulchrā per vulnera mortem
Oppetij, inde virûm cuncta per ora volo.

HECTOR

HECTOR DVX TROIANVS
H. R.

Argolicis terror ducibus, dum fata sinebant,
Proq́ue meis murus ciuibus, Hector eram.
In decimo primùm quod concidit Ilion anno,
Nemo negat factum viribus esse meis.
Phylacides per me, Antilochusq́ue Menœtiadesq́ue
Praetereamulti procubuêre duces.
Quid querar? vnius peruenit crimen ad omnes,
Et caput oppreßit publica pœna meum.
Fraude locum captans, vita spoliauit Achilles,
Et rapidis circum mœnia traxit equis.

ALITER. H. R.

Murus ego patriæ pereuntis aheneus Hector,
Dimico pro Troia per duo lustra mea.
Vulnifica multos transfigo cuspide Graios,
Fortis at à forti victus Achille cado.

ALEXANDER REX MACEdo. H. R.

At quis ALEXANDRVM? quis fata perennia nescit,
Orbe quibus toto notus ad astra feror?
Nomine sicut eram magnus, sic maximus armis,
Terga fuga nunquam, victus ab hoste, dedi.
Imperium extendi, quà decolor Indus oberrat,
Et quà Riphaas verberat aura niues.
Perside, se, victa, totus mihi subdidit orbis,
Sed mihi tunc orbis non satis vnus erat.
Mors satis vna fuit, luxu fastuq́ue tumentem
Quæ me sub terras abstulit ante diem.

ALITER. H. R.

Dicor ALEXANDER factis & nomine magnus,
Cui iuueni totus subditus orbis erat.
Par mihi nemo foret, modicè si vina bibissem.
Interitum luxu disce cauere meo.

CAIVS IVLIVS CAESAR MONARcha Romanus. H. R.

Non ego sum duris tantùm spectatus in armis,
Et mea doctrinæ nomine fama viget.
Sequana quis bello fuerim, Rhenusq; fatentur,
Et mihi cum toto subditus orbe Tybris.
Quis fuerim scriptis, monumenta relicta loquuntur.
Quæq; manu gessi bella, legenda dedi.
Nec satis hoc. etiam cælum scrutabar & astra,
Hinc meus æternum permanet annus opus.
Immemores tellus homines producit vbiq;,
Hoc queror, hæc fati causa necisq; meæ.

ALITER. H. R.

Quinquagena inij collatis prælia signis,
Autor Romani IVLIVS imperij.
Queis vitam dederam, sæua me morte trucidant,
Pro meritis reddunt sic mala facta meis.

HARMINIVS DVX CHERVscorum. H. R.

Nec ducibus virtute minor, nec fortibus armis,
Græcia quos iactat, magnaq; Roma, fui.
Quod nimis impensum est illis, mihi defuit vnum,
Nullaq; de factis edita scripta meis.
Vnicus inuentus Tacitus, qui nostra tacere

Noluit,

Noluit, hunc de me consule, certus eris.
Hic tibi narrabit, per me Germania victrix
Vt sit depulso libera facta iugo,
Et duce cum Varo, stratis legionibus, illa
In quanto fuerit Martia Roma metu.

ALITER. H. R.

HARMINIVS Latias deleui ego Saxo cateruas,
Vix vbi prima mihi barba resecta fuit.
Me metuens Cæsar, Vare, ô Vare, ocyus inquit,
Redde aquilas, Romæ robora, redde aquilas.

ARTVRVS REX BRITANniæ. H. R.

Qui vocor ARTVRVS, me Gallia nominat ARTVM,
Paruit imperio terra Britanna meo.
Non me sceptra tulit quisquam præstantior illic,
Egregius belli laude togaque fui.
Nomina quæ monstrat procerum virtute potentum,
Hæc est inuentum mensa rotunda meum.
Saxonas & Dacos domui, Romanaque fudi
Agmina, quæ regno damna dedere meo.
Optima prima cadunt, sic firmus & integer annis
Occido. me regni sceptra cadente ruunt.

ALITER. H. R.

Barbariem obiectat cum Graijs Roma superbis,
Barbariem præ se num mea facta ferunt?
Sum pius ARTVRVS, nulli pietate secundum
Dixeris, in bello sum leo, pace pater.

CAROLVS MAGNVS PRIMVS IMperator Germanicus. H. R.

Quis me iure neget Magni cognomen adeptum?
Quin titulus factis est minor ipse meis.
Floruit optata sub me duce Gallia pace,
Pannonijs fusus concidit Hunnus agris.
Itala sublatis tellus pacata tyrannis
Pulsus & est oris hostis, Ibere, tuis.
Imperij per me sedes Germania facta,
Saxonis est Christi terra professa fidem.
Me quoq; neglectis duce reddita gloria Musis,
Ipse repurgata nec rudis artis eram.

ALITER. H. R.

Te quater octonos debellat CAROLVS *annos,*
Vt celebres viuum mascule Saxo Deum.
Hic scopus, hac regum belli sit norma mouendi,
Proq; gerant aris prælia, proq; focis.

CANVTVS MAGNVS REX DANIAE, Sueciæ, Norwegiæ, & Angliæ & Normanniæ. H. R.

Desine mirari, quos garrula laudibus effert
Græcia, quos iactat Roma superba duces.
Danica me nulli veterum virtute secundum
Edidit hyberno terra propinqua freto.
Facta mihi Magni, pepererunt inclyta nomen,
Quinq; sub imperio regna fuêre meo.
Me sibi delegit socerum, qui tertius orbis
Arbiter, HEINRICVS *nomine, sceptra tulit.*
Iustitia præclarus eram, Regesq; potentes
Subiectos docui legibus esse suis.

ALI-

ALITER. H. R.

Iustitiæ bellive prius mireris honorem,
Addubites, certè par in vtroq; fui.
Ipse mihi, latæ legis reus, irrogo mulctam,
Imperijs subdo quinaq; regna meis.

GODEFRIDVS BILIONAEVS. H. R.

Omnibus Europæ lectis heroibus oris
Nobile suscepi, Iasonis instar, iter.
At mihi non Colchis, non diues velleris aurei,
Terra fuit votis sancta petita meis.
Hanc validis armis, Solymamq; recepimus vrbem,
Quæ fuerat diro capta sub hoste diu.
Mœnibus insilui primus sublimibus vrbis.
Hinc data, cum regno, fulua corona mihi est.
Vrbe sed hanc auro Solymæ gestare negaui,
Qua tulit occisus spinea serta Deus.

ALITER. H. R.

Quod vexit fulgens è Colchide vellus Iason,
AEternum Graco carmine nomen habet:
Qui pepuli è Solymis procul agmina Turcica regnis,
An non GODFRIDVS laude vehendus ero?

CAROLVS V. ROMANORVM
Imperator. H. R.

Non ego quòd virtute minor, sed in ordine vitæ
Quod sequor, extremum spector habere locum.
Nam neq; suscepit me sceptra potentior vllus,
Hoste nec ex victo plura trophæa tulit.
Africa, quæ semper sitiens, Europaq; vidit,

Auri-

Auriferoq́ recens terra reperta solo.
Sic mihi perpetuo fortuna secunda tenore
Adfuit, & cœptis fauit amica meis.
Aßiduis donec curis confectus, & æuo
Inualidus, fratri sceptra relinquo meo.

ALITER H. R.

C A R O L V S *vnanimi mundũ cum fratre gubernans*
Romanum cogo vincula ferre patrem.
Franciscus capitur Ticinum Gallus ad amnem,
A me deuictus dat quoq́ Turca fugam.

CHRISTIANVS EIVS NOMINIS III.
Daniæ atque Norwegiæ Rex.
H. R.

Si mihi, quod faciunt alij, memorare liberet,
Quæ fuerit bello gloria parta mihi:
Oppressos regni motus, armisq́ referrem
Cum duce te fractam, clara Lubeca, meis.
At mea laus maior, non tantùm Marte feroci,
Sed præstans etiam quòd pietate fui.
Vix princeps ego quo vixi me iustior æuo,
Aut pius, aut clemens, aut magis æquus erat.
Sic placida seruans populos in pace regebam.
Fama volat mundo, spiritus astra tenet.

ALITER. H. R.

Pacis amans, pietate vigens, fera bella perosus,
Et vita talis, nomine qualis eram.
Ergò Deus pugnans pro me, malè perdidit hostes:
Felix quem ducit, curat, amatq́ Deus.

FRI-

FRIDERICVS II. DANIAE, NORwegiæ, &c. H. R.

Quid iuuat & prodeſt populis imponere leges,
Claraq́, per latas ſceptra tenere plagas?
Si fluit ignauum tempus teriturq́, quiete;
Vita voluptatis quid pigra ferre poteſt?
Hoc ſtudium, hac cura eſt, factis efferre ſub aſtra,
Et ſupra proauos tollere auosq́, caput.
Ditmarſi domiti bello, & cùm Suecus in annum
Iam ſextum arma malo ferret amara ſuo,
Fractus multiplici ſubit horrida vincula clade:
Præmia iuſta, licet ſera, tyrannis habet.

ALITER. H. R.

Ad eundem Apoſtrophe.

Macte animo, & virtute noua, & victricibus armis,
Dilecte ô anima plus FRIDERICE *mea:*
Munere diuino & ſupplex Ditmarſia venit;
Sic Sueci pacem te petiere tuam.

IOANNES PISCATOR.

Quòd me pictoris magnis heroibus illis
Docta manus iunxit, non ratione caret.
Hi velut in terris quærunt diſtantibus hoſtes;
In fluuijs hoſtes ſic ego quæro meos.
Et capio inſidijs, & aperto Marte trucido,
Inuigilans ſtudio nocte dieq́, meo.
Si quis erit noſtras penitus cognoſcere laudes
Qui cupit, has vnum diſtichon illud habet:
Squamigeros vndis reti velut extraho piſces;
Pocula ſic pleno gutture ſicco bibens.

ALITER.

Tres cubitos vix dat statura, tricongius haustus
Est meus: hac sola dux ego rexq́ʒ via.
Magna illi magni fecêre; ego magna pusillus:
Illi pugnantes sæpè, ego sæpè bibens.

IN IMAGINES DVCVM VIRTVTE
bellica illustrium.

Quos hîc stare vides sua fortia facta loquentes,
Indomito clari Marte fuêre duces.
Vna tulit nostris ætas vicinior annis,
Clarior hac armis vix prius vlla fuit.
Non satis est ipsos virtute extollere reges,
Et fortes illic expedit esse duces.

CONSALVVS FERDINANDVS
Corduba, cognomento Magnus, Ferdinandi Hispaniarum regis Dux.

H. R.

Quod gero præclarum cognomen ob inclyta facta,
Hoc mihi concordi est militis ore datum.
Bella meo victor confeci ingentia Regi,
Terra sub imperio cuius Ibera fuit.
Effrenes domui Mauros, armisq́ʒ subegi,
Quâ rigat Hesperios flumine Bœtis agros.
Adieciq́ʒ nouum regnum, quà mœnia culta
Parthenopes salsum verberat alta fretum.
Quæ non inuidia virtus patet? vltima fecit,
Hæc me priuato sub lare fata pati.

ALIRER. H. R.

Magnus ego verò Consaluus nomine dicor,

Hoc

Hoc pater, ast illud strenua dextra dedit.
Exegi Gaditana feros trans æquora Mauros,
Asserui regi Bœtica regna meo.

MAXIMILIANVS COMES BVRENSIS,
Caroli V. Imperator Dux. H. R.

Vir grauis, armorumq; fui spectatus in vsu,
Nec virtute minus, consilioq; potens.
Vt fuit eiectu erepta Bolonia Gallis,
Anglia quam tenuit dux ego regis eram.
Hinc tu belligerans semper victricia signa
Auspicijs duxi, Carole Quinte, tuis.
Cumq; ingens gereres bellum per Teutonis oram,
Inferiorq; tuo viribus hoste fores:
Agmina traducens Rhenum, tibi Belgica iunxi,
Nec fuit absq; opera palma parata mea.

ALITER H. R.

Expugnata fuit captis Bolonia Gallis,
Cùm ferrem auxilium flaue Britanne tibi.
Hessus, & inuicto septemuir pectore Saxo,
Me duce dant palmam Carole diue tibi.

GEORGIVS FRONSPERGIVS
Sueuus eiusdem Caroli V. Dux.
H. R.

Corporis vt præstans superabam viribus hostes;
Sic animi pollens robore ductor eram.
Militiam didici teneris perductus ab annis,
Armaq; sub magno Cæsare prima tuli:
Quo sene defuncto, sectanti castra nepotis,
Vix quisquam belli par mihi laude fuit.

Præ-

Prælia iusta manu promptus ter quinq; subiui,
Bis decies pugnas sustinuiq; leues.
In patria morbo morior serpente per artus,
Dum petitur signis Martia Roma meis.

ALITER. H. R.

Promptus eram, nulli veterum virtute secundus,
Seu res consilio, seu peragenda manu.
Stans ego equum potui frenis inhibere volantem:
In valido tantum corpore robur erat.

ODETTVS LAVTRECCVS FVXIVS copiarum Gallicarum in Italia Imperator.

Non habuit virtute parem mihi Gallia quenquam,
Quo data sunt vitæ tempore fata meæ.
Horror eram Latio, famâ notißima cælo
Oppida sunt armis multa subacta meis.
Hinc nomen, quod rex meruit Demetrius olim,
Mira expugnatis vrbibus arte, tuli.
Qui bellis inuictus eram, me sæua subegit
Acriter insurgens per mea castra lues.
Et cineres fortuna meos afflixit iniqua,
Dum tumuli expertes bis duo lustra iacent.

ALITER.

Sunt quia capta meo quàm plurima mœnia ductu;
Expugnatorem me vocitare solent.
Claruit hac olim Macedo Demetrius arte,
Participem laudis nunc habet ille suæ.

MARTINVS ROSHEMIVS GELDRENsis, primò Galliarum regis, deinde Caroli V. dux. H. R.

Quis

Quis fuerim, longo non est opus edere versu,
Quod subit, hoc vno carmine scire potes.
Fulmen eram belli, ferro grassabar, & igni,
Oppida militibus diripienda dabam,
Id satis est, testes Belgæ, Moriniq; remoti,
In mare quà Scalde, Dilia, Mosa fluunt.
Illa viris opibusq; potens Antuerpia testis,
Quæ mihi victrici penè subacta manu est.
At sibi me sicut tunc Gallia sensit amicum;
Sic eadem clades me tulit hoste graues.

ANTONIVS LEVA, DVX CAROli V. Imperat, H. R.

Non leue momentum est magno didicisse magistro
Militiæ leges & graue Martis opus.
At mihi cùm nemo belli præceperit artes,
Plurima naturæ dona fuêre meæ.
Nec me vlla indecorem ventura redarguet ætas,
Maxima sunt ductu bella peracta meo,
Meq; ideo Insubrum præfecit Carolus oræ,
Propugnata manu fortiter illa mihi est.
Quòd nisi si egisset vires dolor artubus hærens,
Essem magnorum gloria magna ducum.

ANDREAS AVRIAS, CAES. CLASSIS Præfectus. H. R.

En ego, quem spectas, Latiæ fama inclyta terræ,
Et Ligurum quondam lausq; decusq; fui.
Quis pelago gessit me bella peritior alto?
Quis patriæ adduxit commoda plura suæ?
Vt mare purgaui prædonibus, & mihi classem

Ducenti semper terga dedêre Scythæ:
Sic patriam asserui, pulsis sine cæde tyrannis,
Et stabilem iussi legibus esse suis.
Hinc statuam patriæ mihi patria grata locauit,
Hæc mihi virtutis posthuma testis erit.

SEBASTIANVS SCHERTELINVS, vrbis Augustæ Vindelicorum belli Dux. H. R.

Vindelicis insignis agris belloq; togaq;,
At melior valido dux ego Marte fui.
Cùm celebres iunctis sociarent vrbibus arma
Pro defendenda relligione duces:
Agmina præfectus duxi, vicináq; celso
Alpibus arx cliuo, me duce, capta fuit.
Victor ob id mutare solum me Cæsar adegit,
Præmia decernens in caput ampla meum.
Obtinuit generosa locum clementia tandem,
Et pius ignouit, restituitq; meis.

IOHANNES RANZOVIVS, TRIVM Daniæ Regum, Friderici I. Christiani III. & Friderici II. summus Consiliarius, & bellorum dux, huiusque arcis fundator.

Non sine re magnis heroibus inseror illis,
Quos volui tantos hoc ego stare loco.
Nam nec eram virtute minor, nec fortibus ausis,
Siue toga spectes edita, siue sago.
Regibus assedi tribus, imposuiq; coronam,
Exuuias victo bis quater hoste tuli.
Effera submisit, Duce me, Dithmarsia collum.

Libera

Liberá bis ductu Dania facta meo est.
Sic satur inuictæ fama virtutis, & armis,
Succubui fatis, nunc habet aula poli.

DANIEL RANZOVIVS, DVX EXercitus regis Danorum Friderici II. in Suecos. H. R.

Me quoq, viuentem complexus amore propinquus
Illustres inter iussit habere locum.
Nec res quas recitem desunt mihi fortiter acta,
Sed prohibet victus cuncta referre pudor.
Hoc dicam saltem, ter aperto Marte Suecum
Expertum nostras non sine clade manus.
Tres belli amisisse duces, quos cepimus armis,
Quid moror? ipse opera fert quoq, vincla mea.
Sex licet inconstans Mauors nutauerit annos,
Vtrinq, insignes perdideritq, viros.

HEINRICVS RANZOVIVS AD HERluffum Trollium, Præfectum classis Danicæ.

Et mihi tu proceres inter spectabere Trolli,
Hic quibus ex merito iustus habetur honor.
Est tibi cum multis decus hoc commune, quòd arma
Chara pro patria Rege iubente capis.
Est tibi cum multis decus hoc commune, quòd inter
Tela, mari victor, saucius inde cadis:
Hic tibi sed propriæ consurgit laudis origo,
Vllo quæ non est interitura die;
Diuite quòd censu longos possessa per annos
Prædia vis Musis esse sacrata pijs.

IOANNES COMES ARNSBERGENsis, in Frisia cæsus.

Si quibus inconstans peperit fortuna dolorem,
His ego me socium dicere iure queo.
Et mihi natales, genus, & connubia magnum
Nobilitas factis quæ fuit aucta, dabant.
Cùm gereret bellum Germanidę Carolus ora,
Bureni consors strenuus arma tuli.
Vt noua turbauit fortes discordia Belgas,
Regis ab Hispani partibus ipse steti.
In Phrisia vitam mihi mors ita flebilis aufert,
Sic rapiunt claros tristia fata viros.

IBIDEM.

Non moror, in bello cecidi quòd victus ab hoste.
Pugnando fortes claudere fata decet.
Hoc queror, obscuro perij quòd milite casus,
Nec laudem de me strenuus hostis habet.

ANTONIVS PERENOTVS ATREbatensis, & Lotharingicus, Cardinales.

Desine mirari hic armatis esse togatos
Immixtos, ducibus cardineosq́; patres.
Bella manu haud gerimus, mens est armata sub om-
Fortunæ casum consilijs validis. (nem
Consilijs nostris motus componimus orbis,
Impia cùm reges bella mouere student.
Non decet, vt patriæ patres certamina nectant,
Magnosq́; irritent ad fera bella viros.

APOS-

APOSTROPHE H. R. AD IOHANnem Fresium, Cancellarium Regis Danorum Friderici II.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis
FRESI, canicie sparse dicente caput.
Nam tua Ranzouio certè de sanguine creta
Est auia, vt versu te quoq; iure canam.
Addo tamen maius, duplici vt te iure nepotes
Ranzouidum hos inter me posuisse legant.
Nam tua te virtus ad summos vexit honores,
Insuper & studij præmia larga dedit.
Id quod erat geminis facundus Nestor Atridis,
Dania te sensit Regibus esse suis.
Externum bellum bellè non cesserit vlli,
Si non sit Nestor, consiliumq; domi.
Longa igitur tibi nent fatales stamina Parcæ,
Implentes vitæ lustra bis octo tuæ.

MAVRITIVS SEPTEMVIR Saxoniæ.

Arma, animus, virtusq; meis maturior annis,
Carole nota tibi, Turca fuêre tibi.
Namq; in Pannonicis quod gestum est fortiter agris,
Omne manu nostra consilioq; stetit.
Tu quoq; Landrisij ad muros es Galle repressus,
Exutusq; armis, non sine clade, tuis.
Ergo mihi in septem proceres Germanidos oræ
Ascito Cæsar bella gerenda dedit.
Huic etiam clausis bellum feci Alpibus, arte
Hessus ab Albano cùm duce captus erat.

ALITER.

Plurima nunc pacata forent, nisi stamina vitæ
Rupisset medio tempore Parca mihi.
Namq; meo decreta animo sententia stabat,
Marte mori, aut pacem Marte parare meis.

HENRICVS IVNIOR DVX BRVNsuicensis.

Nulla humanarum quàm sit constantia rerum,
Collige ab exemplo, qui legis ista, meo.
Hilsheimense solum, primo sub flore iuuentæ,
Per valida adieci finibus arma meis.
Gaudentem spolijs Hessum cum Saxone partis,
Armata patrio vi pepulêre solo.
Vt niger hos vicit Iouis ales ad Albidos vndam,
Felix amissos occupo rursus agros.
Perpetuum at nihil est, & ab omni parte beatum,
Fortuna alternans datq; adimitq; datum.
Nam geminos natos vna Mars impius hora
Abstulit, hos letho machina dira dedit.
Haud quenquam dubiæ fas est confidere sorti.
Vita aloës multum, mellis habet minimum.

CHRISTIERNVS II. REX Danorum.

Non mihi si centum linguæ sint oraq; centum,
Dicere facta satis pro ratione queam.
Innocuos mactare viros, & humata sepulchris
Eruere, & flammis ossa verenda dare.
Non tondere pecus, totam at deglubere plebem,

Vxore

Vxore exclusa, te Siebrechta, frui.
Delitiæ illa fuêre meæ, stabilesq́; fuissent;
Ni priuauisset me Deus ipse throno.

ALITER.

Discite iustitiam moniti & non temnere Christum,
Quicunq; in vultus figitis ora meos.
Carcere in vndecimam ferme trieterida captus,
Sæuitiæ magnus Rex luo supplicium.

ERICVS XIV. EIVS NOMINIS SVECOrum Rex, in vincula coniectus.

Quid memorem mea facta miser? reticere luberet,
Cæde & coniugio notus vbiq; meo.
Sexaginta meis manibus sine iure peremi,
Pars mihi magna horum sanguine iuncta fuit.
Quoquo ergo aspicio, diri mens conscia facti
Occurrit, miseris excruciatq; modis.
Nunc mihi præceptor Dionysius ilia crudo
Traiectus ferro, tristis Erynnis adest.
Nunc proceres Orco missi, atque innoxia bello;
Ante meos oculos perdita turba volat.

SVB D. HENRICI RANZOVII imagine.

Si quis erit, quem fortè iuuat sic quærere, quare
Hi tabulis præbent ora videnda viri?
Is sibi virtutis proponi exempla probatæ,
Quam vitijs spretis discat amare, sciat.
Quamq́; sit instabilis vitæ fortuna caducæ,
Quàm varios seruent lubrica fata modos,

Quàm ſubitò magna ſpes euaneſcere caſu,
Et ſoleant labi grandia cœpta virûm.
Quiſquis es incertæ diuerſa pericula vitæ,
Et dubiæ ſortis ſpernere fata, caue.
Nam caro ceu fœnum eſt, & gloria noſtra velut flos,
Manè viget primò, veſpere lapſa iacet.

IOANNISCVS MORIO H. RANZOuij de ſeipſo.

Quis prohibet, ſi me viuentem ſemper amauit
Hunc domino hoc iunctum me quoq; ſtare loco?
Stat quoq; piſcator, ſtomachum ſi piſcibus ille;
Iucundus animum paui ego ſæpè iocis.
Morio non vulgaris eram, iuueneſq; ſeneſq;
Luxerunt raptum funere, luxit herus.
Illi mordaces poteram depellere curas,
Ridentemq; iocis exhilarare meis.
Aut illos imitare, iuuat ſi perdere vitam;
Aut me, ſi cordi eſt viuere dulce tibi.

ALIVD.

Quid mirare duces miſer, ardeſcisq; tuendo?
Neſcis quale tegat ſplendida vita malum.
Lerna periclorum, & certi ſentina laboris,
Prudentum vita eſt: ſtultus at hiſce caret.
Ergo agè ſtultitiam ſimula, ſic nulla ſubibis
Munia, donantur pectora ſtulta rude.
Vt fugeret longi maleſana negotia belli
Siſyphides, littus fertur araſſe maris.
Aut flue delicijs, & duc inglorius æuum,
Aut mercare graui grande labore decus.

Ingro-

Ingreditor quodcunq; velis iter, vnus vtriq;
Finis, mors fatuum cum sapiente rapit.
Viuere non tibi vis, alieno vt tempore viuas,
Quid, num post vt edas, ante famem moreris?
,, *Ab nimio fallax emitur me iudice nomen.*
,, *Viue tibi, nimium nec sape, tutus eris.*
,, *Viue tibi, nec te crucia, neq; crastina cura.*
Hoc ego prudentes admoneo fatuus.

SVB EFFIGIE CAROLI V. IMPONENtis fratri Ferdinando coronam circumstantibus Germaniæ Septemuiris.

Si tibi plus vltra placuit contendere Cæsar;
Ad fossas Metis non benè castra locas.
Hîc positus limes fatalis Carole sortis,
Quæ tibi tot bellis obsequiosa fuit,
Admonet, ad metam te peruenisse, nec vltra
Victrici cursum posse tenere manu.
Ergo siste gradum, capiat Ferdinandus habenas
Imperij. reliquum iure Philippus habet.

HEINRICVS RANZOVIVS.

Hîc pater exhalans animam, concessit ad vmbras,
Hinc mihi semper erit lugubris ille locus.
Ingrediens cari mortem lugebo parentis,
Dum reliquus nostro corpore sanguis erit.
Cumq; quid humanum eueniet, si fata probabunt,
Tu locus ægroti, tu morientis eris.
In te confugient (quoniam secretus es) omnes,
Accipiet morbus quotquot in arce meos.

SVB PYRA DIDONIS. H. R.

Amor venenum dulce, quem non illicis?
Primò suauior quidem melle Attico,
Sub fine vincis fellis amaritudinem.
Quam non voluptatem videbat Elissa, cùm
Maneret AEneas? vbi is littore ratem
Soluit; quid illa miserius? quin pectoris
Crates sui disrumpit ense Troico.
En musta qui bibit, ebibat facem quoq;.

REX A SVBDITIS SVIS CIRCVNDATVS.

Stat REX *in medio nudus, quem cingit vtrinq;*
Ciuis, sacrificus, nobilis, agricola.
Hoc monet vt regi sint publica commoda curæ,
Et colat inprimis numina sancta Dei.
Namq; vbi rex nimium luxuq; addictus & armis
Nec populi memor est, nec pietatis amans:
Euertit miseros talis petulantia ciues;
Euersis princeps ciuibus ipse perit.

IN HORTIS VERTVMNVS.

Pomiferum quicunq; venis nouus hospes in hortum,
Ne mea miratus quæ sit imago, roga.
Est mihi Vertumno nomen, quia vertor in omnes
Quas animus formas gestit habere meus.
Nunc habitu messor, nunc sum robustus arator,
Nunc manibus iures gramina secta meis.
Nunc frondes poterunt credi, vitisve putata,
Mollia nunc ramis poma reuulsa suis.

Qua

Quæ lubet, hanc ſumo faciem, res nulla repugnat,
Qualibet in vultus apta figura meos.
Hinc eſt, primitias anni quòd grata vetuſtas
Inq; meas aras lactea dona dabat.
Seu patulis ſurgens ramis produceret arbor,
Seu varijs cingens floribus herba caput.
Nunc adeò, toto quæcunq; leguntur in horto,
In manibus ſpectas munera prima meis:
Poma, nuces, vuas, pyra, pruna, cydonia, mora,
Quæq; nimis longùm cuncta referre foret.
Si lubet è multis aliquid, quodcunq; lubebit,
Accipe, larga manus nil tibi noſtra negat.
Hoc ſaltem oro vnum, pleno ſi ventre recedes,
Dicas, Vertumni munere vado ſatur.

NYMPHA VENATRIX HORTI ET piſcinæ cuſtos.

Huius NYMPHA loci, parui cuſtodia ſtagni,
Dormio, dum ſtando feſſa reclino caput.
Parce meũ, quiſquis venis huc, abrumpere ſomnum,
Seu tibi ſtare lubet, ſiue ſedere, tace.
Me meus Henricus dominus cognomine Ranzo,
Excubias horto iuſſit habere ſuo.
Si ſtrepitum facis, & ſomnum mihi rumpis, in horto,
Furem clamabo protinus eſſe meo.
Vt reor, indignum nemo ſcelus eſſe putabit,
Quòd volui pulcræ virginis eſſe comes.
At mihi ne iunctam thalamo quis credito: non eſt.
Non adeò ſordet libera vita mihi.
Stulta meum rapit officium, ſeq; ingerit vltrò,
Atque meo cuſtos vult vigil eſſe loco.

Stultus

Stultus ego contrà seruo vigilantior illam,
Et pariter mentem pasco oculosq; meos.
Victa iacet somno, tu sis quicunq;, caueto
Rumpere, soli hoc est fas licitumq; mihi.
Si non obsequeris, fustem falcemq; recuruam
Non frustra sumptos experiêre mihi.

APIARII.

Quàm spectas apibus domus dicata est,
Ex magna ratione: nam propinqua
Quondam examen apum resedit arce,
Huc latos procul aduolans per agros,
Cùm vix vndiq; iam parata staret:
Quod faustum ratus omen esse, paruam
Hanc illis dominus domum locauit,
Et ne deijciant iubet nepotes,
Neu quisquam moueat loco, precatur.

SEMINARIVM ARBORVM HAC INSCRI-*ptione cippo incisa constat.*

Anno Domini 1580. H. R. has, quas vides, quercus ordine plantauit, abietes conseuit, betulas in vallo distribuit, cæterasque arbores in hoc seminarium aliundè translatas, & satas coluit, fossaque muniuit, ac initium sationis asscribi iussit, eam ob causam, vt harum arborum ætatem explorare possit posteritas, quam in omnia orbis secula æternæ diuinitati commendat.

ALIVD.

Has ego conseui quercus, betulasq; patenti
In campo, propria disposuiq; manu.

Et rogo

Et rogo ne temerè violet ladátve securi,
Post mea qui tandem fata superstes erit.
Scilicet ex illis, quot quercus duret in annos,
Posteritas facilè discere sera potest.

AD HOROLOGIVM AVtomaton.

Hoc opus aequales spacijs distantibus horas,
Lapsáq; sub terras, ortáq; signa docet.
Quae mediam caeli labentia sydera & imam
Obtineant verso cardine signa domum.
Lunáq; quo Phoebo iungatur tempore monstrat,
Oppositum teneat Lunáq; quando locum.
Felices animae, quibus haec sapientia curae est,
Lucidaq; immotis legibus astra colunt.
Illas posteritas meriti memor inferet astris,
Astrorum monstrat fabrica mira Deum.

IN ARMAMENTARIO.

Diuidere arma patris cùm vellent bellica nati,
Corpore quae proprio gesserat ipse suo.
Mars clypeum abiecit, dixitq;, ô parcite nati,
Parcite, in his aliquid Mars quoq; iuris habet.
Quae toties genitor defendit ab hostibus arma,
Turpe, ea si natis diripiantur, erit.
Integra, dante Deo, post tristia fata manebunt,
Vt sacra, dum vixit, tutaq; semper erant.
Ergo dedit Paulo fraterni pignus amoris
Henricus partem, Marte monente, suam:
Exoptatq; armis cum laude vtatur ijsdem,
His vsus genitor qualiter antè fuit.

PON-

PONTIS.

HENRICVS RANZOVIVS, Ioannis filius, Regis Daniæ in Ducatibus suis locum tenens, dominus in Bredenberg, Ranzouisholm, &c. Anno ætatis LX. & Christina ab Hallen, Francisci ab Hallen vnica filia, eius vxor, anno ætatis LI. Anno Domini M.D.LXXXV. hunc pontem construi curarunt.

PONS SPECTATORI.

HENRICVS celebri Ranzoo sanguine natus;
Me pontem curuo fornice struxit eques.
Possit vt hâc pedibus siccis transire viator.
Qualibet & currus res grauis axe vehi.
Ligneus ante fui, saxum iam versus in album;
Res hominum varias testor habere vices.
Traiectus fratrum, qui subterlabitur amnis;
Dicitur, hinc formæ pendet origo nouæ.
Namq; meo domino natos par nobile fratrum;
Cum iuuenes essent, abstulit atra dies.
Hic Theodorus erat vocitatus, at ille IOANNES
Indolis eximiæ, charus vterq; patri.
Me dominus voluit nineam quoq; sumere formam;
Amnis fraterni qui tego ritè vadum.

INSCRIPTIO MONVMENTI
Caij Ranzouij:

SVBSISTE VIATOR;
&
HENRICO RANZOVIO TRIVM Daniæ Regum in Ducatibus Vicario, viro optimo, patri mœstissimo, pro pietate tua condoleto.

Hic

Hîc conditur
CAIVS
Ex nobilissima & antiquissima Ranzouiorum
gente apud Cimbros oriundus:
Spes patris & patriæ, matris solamen,
columen familiæ:
Qui reuerendiss. Bremensis Archiepiscopi, Holsatiæ Ducis Iohannis Adolphi Consiliarius,
& arcis Gottorpiæ Præfectus,
in ipso ætatis flore,
in medio vitæ cursu,
Cùm, hebdomatico quarto completo, vixisset
annos octo & viginti, menses octo,
diesque vndecim,
Pro thalamo, quem cogitabat, tumulum adit.
A. C. CIↃ. IↃ. XCI. XX. Aprilis.

HENRICI RANZOVII PER-
petuum de bibliotheca sua
DECRETVM.

Quæ infrà scripta sunt, hunc in modum sancita sunto, inuiolateq; obseruantor.
Ranzouij, nec quisquam alius, hanc possidento,
Hæredes eam non diuidunto,
Nemini libros, codices, volumina, picturas,
Ex ea auferendi, extrahendi,
Alióve asportandi,
Nisi licentia possessoris,
Facultas esto.
Si quis secus fecerit;
Libros, partemve aliquam abstulerit,
Extraxerit, clepserit, rapserit,
Concerpserit, corruperit,
Dolo malo:

Illico

Illicò maledictus,
Perpetuò execrabilis,
Semper detestabilis
Esto, maneto.

IN SACELLO PROPE SEGEBERGAM AB H. RANZOVIO exstructo.

In parte Orientali intima.

HOC SACELLVM, NE EIVS VIOLETVR religio, ingrediens hasce obseruato LEGES.

Deum Opt. Max. trinum & vnum ante aram flexis genibus adorato. Manibus immūdis nihil contrectato. Omnibus lustratis, quæ saxis incisa sunt perlegito. His peractis, Friderico II. Regi Daniæ de placido obitu & vitę immortalitate gratulator. Et filio eius Christiano IV. cæterisq; Principibus Holsatiæ gubernatiōnē piam pacatamq́ue exoptato. Secūdum illos, Senatorib⁹ & proceribus regnorum Daniæ, & ducatuū Holsatiæ, &c. nec nō Henrico Ranzouio, eius liberis, posteris, familiæque vniuersæ successus salutares atq; prosperos precator. Hosque omnes Deo Opt. Max. commendato. Mortalem denique te esse memento, & vitæ spatium, quod omnibus natura circumscripsit exiguū, sanctissimè honestissimeque conficito, vt moriens viuas in omnem aeternitatem.

AB AVSTRALI PARTE, INTIMA HENRICI RANZOVII QVERIMONIA SE *offert, & eiusdem consolatio.*

Subsiste hęc intuens, & mihi HENRICO RAN-

ZOVIO

ZOVIO Regum Daniæ, Chriſtiani III. & Friderici II. quondam, & nunc Chriſtiani IV. in Ducatibus Holſatiæ Vicario, LXIII. annũ ætatis agenti, pro pietate tua condoleto. Vnius enim anni ſpatio orbatus ſum Friderico Duce Holſatiæ, &c. Domino meo, filia Catharina in Dania, filio Friderico natu tertio in Gallia, nepte Catharina, ex Oligarda filia, in Germania, nec non duobus fratris mei Pauli filijs, Daniele in Gallia, & Iohanne in Polonia, tandem etiam Friderico II. Rege Daniȩ, &c. Domino meo clementiſſimo, nõ tantùm Rege, ſed patre patriæ, cuius Europa vix iam habet pietate, virtute, magnanimitate, fortitudine in rebus gerendis, & conſiliorum felicitate ſimilem. Qui omnes longè diſſitis locis mortui, reſurrectionem vitamque cœleſtem coniunctim expectant. Iam egomet diſſolutionem mei corporis, vt ſeruus dominos, pater liberos, auus neptem, patruus fratris filios, & grandæuus iuuenes, præpoſtero planè naturæ ordine præcedentes, ad vitæ æternæ ſocietatem quamprimum ſequar, auidè pieque deſiderans exopto.

NVLLA CALAMITAS SOLA.

Interim huius expers lector, viue, vale, proſperiori fortuna vtere: quod tibi ex animo precor.

HENRICVS RANZOVIVS CONſolatur ſemetipſum.

Ipſe ego ſic caſus terræ, triſteſq; ruinas
Conſolor, damnis contraria lucra rependens.
Terra eſt hoſpitij domus, eſt mihi patria cælum.
Aduena ſum terris, hæres ac ciuis Olympo:
Hic paruus dolor eſt, illic immenſa voluptas.

Oo *Fide*

Illicò maledictus,
Perpetuò execrabilis,
Semper detestabilis
Esto, maneto.

IN SACELLO PROPE SEGEBERGAM AB H. RANZOVIO exstructo.

In parte Orientali intima.

HOC SACELLVM, NE EIVS VIOLETVR religio, ingrediens hasce obseruato LEGES.

Deum Opt.Max.trinum & vnum ante aram flexis genibus adorato.Manibus immūdis nihil contrectato. Omnibus lustratis, quæ saxis incisa sunt perlegito. His peractis, Friderico II. Regi Daniæ de placido obitu & vitę immortalitate gratulator. Et filio eius Christiano IV. cæterisq; Principibus Holsatiæ gubernatiōnē piam pacatamq́ue exoptato.Secūdùm illos,Senatorib' & proceribus regnorum Daniæ,& ducatuū Holsatiæ, &c. nec nō Henrico Ranzouio, eius liberis, posteris,familiæque vniuersæ successus salutares atq; prosperos precator. Hosque omnes Deo Opt. Max. commendato. Mortalem denique te esse memento, & vitæ spatium,quod omnibus natura circumscripsit exiguū, sanctissimè honestissimeque conficito, vt moriens viuas in omnem aternitatem.

AB AVSTRALI PARTE, INTIMA HENRICI RANZOVII QVERIMONIA SE offert,& eiusdem consolatio.

Subsiste hęc intuens,& mihi HENRICO RANZOVIO

ZOVIO Regum Daniæ, Christiani III. & Friderici II. quondam,& nunc Christiani IV. in Ducatibus Holsatiæ Vicario, LXIII. annũ ætatis agenti,pro pietate tua condoleto. Vnius enim anni spatio orbatus sum Friderico Duce Holsatiæ,&c.Domino meo, filia Catharina in Dania, filio Friderico natu tertio in Gallia, nepte Catharina, ex Oligarda filia, in Germania, nec non duobus fratris mei Pauli filijs, Daniele in Gallia, & Iohanne in Polonia, tandem etiam Friderico II. Rege Daniæ, &c. Domino meo clementissimo, nõ tantùm Rege, sed patre patriæ, cuius Europa vix iam habet pietate, virtute,magnanimitate, fortitudine in rebus gerendis, & consiliorum felicitate similem. Qui omnes longè dissitis locis mortui, resurrectionem vitamque cœlestem coniunctim expectant. Iam egomet dissolutionem mei corporis, vt seruus dominos, pater liberos, auus neptem, patruus fratris filios, & grandæuus iuuenes, præpostero planè naturæ ordine præcedentes, ad vitæ æternæ societatem quamprimum sequar, auidè pieque desiderans exopto.

NVLLA CALAMITAS SOLA.

Interim huius expers lector, viue, vale, prosperiori fortuna vtere: quod tibi ex animo precor.

HENRICVS RANZOVIVS CONsolatur semetipsum.

Ipse ego sic casus terræ, tristesq́ ruinas
Consolor, damnis contraria lucra rependens.
Terra est hospitij domus, est mihi patria cælum.
Aduena sum terris, hæres ac ciuis Olympo:
Hic paruus dolor est, illic immensa voluptas.

O o *Fide*

Fide igitur mea mēs, & fer, quodcunq; ferendū est:
Mox tibi finis erit requiesq; petita laborum.

IN PARTE OCCIDENTALI INTIMA.

Diuo FRIDERICO II. Chr. F. Frid. N. Christian. Pronep. Regi Daniæ, Noruegiæ, Gothiæ, VVandaliç Duci Slesuici, Holsatię, VVagrię, Stormariæ, Dithmarsiæ: Comiti Oldenburgi & Delmenhorstæ, &c. Europæ lumini, Reipub. Christianæ columini: Post immortalia belli pacisque opera domi forisq; insigni cum laude confecta: summi Regis imperio, è regni mortalis statione ad cœleste regnum immortale euocato, anno publicæ sal. CIƆ. IƆ. XIIC. prid. Non. April. ætatis LIII. m. IIX. d. IV. magno patriæ cum incommodo, bonorum omnium incredibili cum luctu, principi optimo maximo P. M. M. P.

ALIVD.

Deo Trino & Vni, Opt. Max. gentis humanæ creatori, sospitatori & sequestro sacrum: & æuiternæ memorię gloriosissimi, fortissimi & religiosissimi Principis, D. Friderici II. Daniæ, Noruegiæ, Gothorum, Vandalorumque regis, patris patriæ, diuorum principum, Christiani III. Friderici I. N. Christiani I. Pronep. qui sui æui monarchas religione in Deum, sinceritate erga confœderatos, virtute & industria aduersus cunctos antecelluit: Christianam remp. constantissimè asseruit: cuius in bello magnanimitas enituit: in pace fides culta, clementia in omnes ordines singularis extitit, candor penè proprius fuit. Ei Reip. bono genito, eiusdē graui iacturæ denato, postquā LIV. ann.

ann... ...cissimè exegisset. xxix. regnasset, vtriusq; sexus ...olē, tres mares, quatuor filias ex illustriss. & clemētiss. Principe, D. Sophia ex Mechelburgensium Ducū stirpe oriunda, coniuge suauiss. sustulisset, ac in his Christianū iv. filium paternarū virtutūm hæredē, regnorum successorem reliquisset superstitē: terram deniq; cęlo iv. April. anno vltimi seculi CIↃ. IↃ. XIIC. Anderschouiæ in Selandia Cimbrica cōmutasset, Roschildiæ iuxta Mausolæū augustiss. herois Christiani 3. patris sito, Daniel Rogersius, serenissimę heroinę D. Elisabethæ, Anglię, Franciæ & Hiberniæ Reginæ in Daniam secūdùm legatus, hoc mortale immortalis obseruantiæ monumentū, Musarū & Gratiarū cęlo sculptum, mœstissimus posuit, supremumque P. V. vouit, &, vt Henricus Ranzouius id hoc loco suis inscriptionibus adderet, petijt.

Partes interiores ab Inscriptionibus etiamnum vacuæ sunt: quocirca ibidem hæc leguntur:

Mœrentem locus hic, procul hinc discedite læti.

Ergò

Marmoris hoc vacuum lacrymis impleto viator,
Si pietas animum commouet vlla tuum.

ORIENTALIS PLAGA HASCE IN*scriptiones extrinsecus obtinet.*

DEO TRINO ET VNI SACRVM.

Friderico II. Christiani III. Regis filio, Friderici I. Regis nepoti, Christiani I. Regis pronepoti, Danorum, Noruegiorū, Gothorū & VVandalorū Regi, Slesuicensium, Holsatorum, Stormariorū & Dithmarsorū Duci ac Principi, pio, felici, inclyto, Domino suo clementissimo, A. C. CIↃ. IↃ. LXXXIIX. IV. Aprilis, ætat. anno LIV. defuncto, Hēricus Ran-

zouius Regiæ suę maiestatis in Ducatibus Holsatię Vicarius, mœrens dolensque, debitæ gratitudinis ergò, in memoriam perpetuam honoris & virtutis maiestatis eiusdem hoc sacellum FF.

FRIDERICVM II. REGEM DANIAE ALLOQVITVR HENRICVS Ranzouius.

Qui caput Europæ, qui Martis & artis ad Arcton,
Qui iuris columen, qui pietatis eras;
Hunc tibi, Rex, tumulū, Friderice, Henricus honori
Ranzouius soboli constituitq; meæ.
Vno namq; senex anno sex funera plango,
In quibus, heu, summus sunt tua fata dolor.
Id testor. Tu diue meum ne despice pignus:
Sic tuus ex merito te tueatur honos.

HENRICVS RANZOVIVS AD SERENISSIMVM REGEM DANIAE FRIdericum II.

Dum tibi vita fuit, felici sorte fruebar,
Est nunc per mortem sors mea versa tuam.
Conficior curis lachrymarum in valle relictus,
Te sine plena graui vita dolore mihi est.
Accipe supremos, Rex, quos largimur, honores,
Præstiterat nostro te superesse rogo.
O vtinam viuo potuissem præmia iusta
Reddere: pro meritis accipe nunc tumulum.

IN AVSTRALI PARTE EXTRINSECVS VIDERE LICET SEQVENTEM *inscriptionem: & solarium vnum in plano descriptum cum versibus.*

De

**DEO OPT. MAXIMO POSTERITA-
tique Sacrum.**

D. D. D. D. FRIDERICO I. Christiano III. FRIDERICO II. & CHRISTIANO IV. proauo, auo, patri ac filio, quatuor ex ordine Danorum Regibus, victoriosis ac potentissimis, de se & suis optimè meritis, HENRICVS RANZOVIVS trium posteriorum in Ducatibus Holsatiæ, &c. Vicarius, subiectissimæ obseruantiæ ergò, An. Domini CIↃ. IↃ. LXXXIIX. ætatis suæ LXIII. fieri curauit.

IN SOLARIVM.

Hic tibi cum numero spectantur nodus & vmbra,
Quæ tria quid doceant, commemorare libet.
Vmbra notat dextrè, quota cursitet hora diei,
Hincq; monet vitam sic properare tuam.
Ast in quo signo magni lux publica mundi
Versetur, mira nodulus arte docet.
Si vis scire, dies quot quilibet occupet horas;
Id numerus media sede locatus habet.

PARS OCCIDENTALIS RETINET DONATIONEM HVIC SACELLO *additam, hoc modo:*

Ego Henricus Ranz. do, lego, dariq; volo quotannis tertia feria Pentecostes, peractis sacris, & proximis sequentibus tribus diebus, per Presbyteros & Diaconos huius oppidi (quos coniunctim eius rei dispensatores, certo laboris præmio constituto, ordinaui) ante hoc sacellum, ad refectionem centum pauperum præfecturæ Segebergẽsis, eleemosynas anniuersarias, ex reditib. cuiusdam

pecuniariæ obligationis ipſorum fidei traditæ, reſiduamq; horum redituum partem ad reparationẽ huius ſacelli, quotieſcumq; neceſſaria fuerit, conuerti: ea tamen lege ac conditione, vt illi reditus à Diaconis ad nullos alios vſus conferantur, nec alio loco eleemoſynæ diſtribuantur. Quod ſi factum fuerit, hæredibus, poſteris, familiæque meæ Ranzouianæ conceſſi poteſtatem, huic ſacello addictam donationem reuocandi, reditusq; ad alios pios vſus transferendi. Et licet hanc formam diſpoſitionis acta ſigillata plenius contineant; tamen eius tenorem, ad fidem harum rerum poſteris faciendam, huic tabulæ quoque incidi placuit.

SEPTENTRIONALIS PLAGA
hæc habet:

IEHOVAE DEO SACRVM.

DEVS OPT. MAX. Quam indidiſti mentem, animum, vitam, quemq; dabis extremum ſpiritum, voti reus, iure tibi reddo, dedo, addico ego Henricus Ranzouius: qui

Friderico II. Rege Danorum,
Friderico Duce Holſatiæ, dominis meis,
Friderico Ranzouio filio meo,
vnius anni ſpacio
præpopera morte ſublatis,
concepti acerbiſſimi doloris
monumentum hoc votiuum,
obnoxia piaque affectione,
contra votum poſui.

Anno Domini M. D. LXXXIIX. agens annum ætatis LXIII.

IN

IN SACELLVM.

Hoc Henricus ego tibi, Rex Friderice, sacellum
Ranzouius sumptu condo sacroq́ meo.
Vt faciam non me mouet ostentatio, suadet
Vnicus ille bono principe dignus honos.
Talis enim rex noster eras, ea gloria qualem
Postulat. haud alius nempe parente bono.
Ergo tui placidè cultoris suscipe pignus:
Sic tua sit virtus nescia nocte premi.
Quisquis adis autem fanum, prece numen adora,
Idq́ pio similes pectore posce Duces.

AD VIATOREM.

Si pia maiorum violas monumenta viator,
Vltrices furias experiere breui.

Opus absolutum diebus CCXX.

OBELISCVS RANZOVIANVS SEGEBERGENSIS

altus pedes $52\frac{1}{2}$.

AD ORTVM.

Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis honori: nec non in Friderici II. Regis Daniæ, ac progenitorum, posterorumq́ue suorum memoriam

HVNC OBELISCVM STATVI CVRAuit Henricus Ranzouius.

Ab orbis principio 5552.
A Christo nato 1590.
Ætatis anno 65.

PYRAMIS

Hæc
Lector
te tria
chare docet.

Principiò quòd
ſumptibus immenſis
ſtet conſtructa tam bene
ornatéque Vicarij. Dein-

de quòd hæc eadem ſecundi
ſit Friderici conſecrata manibus,
Danica qui geſsit ſceptra potente manu.

Deniq; ſublato in cœlum, quod culmine ſignet,
Calceq;, quâ facta eſt, purâ, ſine crimine puram
Quilibet vt viuat vitam, mortalia linquat,
Et crebrò ſolum ſuſpiret, anhelet Olympum.
Hæc vbi cognoſti, ex animo bona multa precare
Ranzouio domino, & quò te via ducit euntem
Perge ſtatim, & felix longiſsima tempora viue.

H. R. 1590. V. R.

Sincero trinum quem corde fatemur & vnum,
In laudem ſunt hæc cœpta peracta Dei.
Vtq; Fridericum dignè poſt fata celebrent,
Sub quo florebat Dania rege potens.

Et ſint

Et sint natorum natis, abauis atauisq;
Ranzouijq; diu mentio grata senis.

IN TINTINABVLA E CORONA OBELISCI dependentia.

Hoc diadema sonum vt ventis spirantibus edit;
Sic tua laus nusquam rex Friderice silet.

ITEM.

Hoc opus exstruxi Henricus Ranzouius, omne
Numinis in laudem, conditor alme, tui,
Et simul in Danaûm Friderici Regis honorem,
Totiusq; mei seminis, atq; domus.

AD OCCASVM.

Pro meritis, Friderice, tuis, Rex optime regum,
Hac monumenta tibi dedico, sacro, struo.
O vtinam maiora mihi praestare liceret,
Hoc totus stares aureus ipse loco.

AD MERIDIEM.

Quem Regi & vobis Obeliscum dedico, nati,
Ad virtutis iter nobile, calcar erit.
Certumq; indicium, quaerendas aethere sedes,
Et nihil in terris certius esse nece.

AD SEPTENTRIONEM.

His visis, lectis, placidè discede viator,
Cunctaq; structori fausta precare meo.
Perpetuò infelix & detestabilis esto,
Qui sacrum in minimis hoc violabit opus.

IN EVNDEM OBELISCVM.

Insistit terræ, caput inter nubila condit,
Aëreas penetrans en Obeliscus aquas.
Quo se Ranzouius, Cimbrorum gloria gentis,
E terra ad superos hac quasi voce vocat.
O mea mens sursum, quem tendis, dirige cursum.
Mens oblita soli, suspice regna poli.
Optima pars mundi cælum est, pars pessima tellus.
Tellurem ô liceat linquere, & astra sequi.
Quisquis es, hæc imitare senis pia vota beati,
Hic tibi nec visus frustra Obeliscus erit.

Nathan Chytræus.

ITZEHOAE.

CVm mihi canescēs tumbā tumulumq; pararem,
Quo, tu nate, meos contegeres cineres:
Sunt vbi compositi post acta tempora vitæ,
Cum patre germanus, cum genitore soror.
Tu quoq; dicebam, simul hic ô nate quiesces,
Cùm tibi supremum finiet hora diem.
Obstitit hei fati vis, ac immobilis ordo,
Te procul à patria surripuitq; tua.
Sic prius exequias tibi sum præstare coactus,
Qui me debueras ad mea busta sequi.
Hæc tibi sint igitur luctus monumenta paterni,
Hæc patrimonij sint tibi, nate, loco.
Et quoniam transacta mea pars optima vitæ;
Spero mihi summum non procul esse diem.

Spiri-

Spiritibus nostris quo coniungemur, & vnà
Viuemus faciem iugiter ante Dei.

IBIDEM.

FRIDERICO RANZOVIO, Henrici filio, Archidiacono & Canonico Slesuicensi, teneris annis in aula Electoris Augusti educato, Latinæ linguæ non ignaro; qui, cùm quinque expeditionibus interfuisset, primùm Coloniensi apud Ioannem Casimirum Palatinum, anno 83. Secundò Liuoniensi versus OEsel & Arnsburgum, cum regio Danico Admiralio, anno 84. Tertiò cum Ernesto de Mandelschlo in Gallia, anno 85. Quartò verò in Belgio, anno 86. vbi vnius turmæ equitum ductor fuit: Ac tandem in Gallia anno 87. (Regis Galliæ, Henrici III. partes secutus, non procul à Chaumperaulx à sicarijs globo aliquoties ex insidijs traiectus perijsset: Henricus parens, qui Catharina filia, & Catharina, ex filia Oligarda, nepte, & tandem filio natu tertio Friderico in Gallia; nec non duobus fratris sui Pauli filijs, Ioanne in Polonia, & Daniele etiam in Gallia, spatio vnius anni orbatus est, senex iuueni, mutato naturæ ordine, summo animi dolore affectus, inspiratum, minimeque opinatum hoc monumentum sacrauit.

Non laudes æquare, sed exsuperare parentum,
Vincereq́, haud vinci, mens mihi firma stetit.
Dijs aliter visum, qui mortem Marte propinant,
Laudem per fraudem, viuere perq́, necem.
Nil moror, igniuomi pereo quòd fulmine teli.
Hoc queror, hoc doleo, clam quòd ab hoste necor.

Sic est. Sæpe malum peregrè comitatur euntes,
Atq; ibi mors præsto est, longè vbi abesse putas.

INSCRIPTIO SACELLI ITZEHOENSIS IN SARCOPHAGO,

Quem HENRICVS RANZOVIVS, *mortalitatis memor, ex solido lapide excauari, & in prænominati conditorij medio, ad se in eo sepeliendum, poni curauit.*

In hoc sarcophago conditus est HENRICVS RANZOVIVS, Iohannis equitis aurati filius, Henrici nepos, Bredonis pronepos, Caij abnepos, Regis Daniæ Christiani III. Friderici II. & Christiani IV. olim vices in Ducatibus Slesuicensi, Holsatiæ & Dithmarsiæ gerens, Præfectus arcis Segebergensis, Dominus in Bredenberg, Ranzovv, Ranzouisholm, Nutschovv, Melbeck, &c. qui vixit annos ···· mortuus Anno ····.

IOB. XIX.

Et ego scio redemptorem meum viuere: & is nouissimo die me è puluere excitabit.

HENRICVS RANZOVIVS VICARIVS REGIVS: AD IMITATIONEM PONTANI de suo sarcophago.

Viuus lapideum hunc mihi paraui lectulum,
In quo iacerem mortuus.
Noli obsecro me mortuum lacessere,
Qui viuus obfui nemini.
HENRICVS *ille namq; sum* RANZOVIVS
Regis Dani vicarius.

Quem

Quem plurimùm plures amarunt Principes,
Suiq; paßim subditi.
Quem docti honestarunt viri, cumq; improbis
Laude cumulauerunt probi.
Nunc, hospes, ecquis sim, aut mage fuerim, tenes:
Veruntamen qui tu sies,
Non cognitum est mihi. igitur vt teipsum bene
Noscas rogo. His longum vale.

NOSOCOMII GRONOVIENSIS PROPE LVBECAM.

Deo Opt. Max. honestæque hominum societati conseruandæ, nec non ærumnosæ pauperum inopiæ, & senectuti subleuandæ pium præstituri officium, hoc oppidulum atq; Nosocomium suis impensis exstrui curarunt Henricus Ranzouius, & Christina ab Halle, coniuges, domini & hæredes in Bedenberg, Drakenburg, &c.

IN PAGO VVESTENSEHE.

Nobili viro DANIELI RANZOVIO, Equiti Holsato, domino castrorum Nienhoues, Troieburgi & VVoldenborn, belli inter sereniss. Danorum regem Fridericum II. & Suecos, per septennium gesti, summo Duci & primario administratori: multarum pugnarum acerrimarum, cum Suecis manu prorsus impari commissarum, victori; in illorum regione viarum abstrusarum, & ante hac incognitarum inuestigatori ac inuentori: earundemque vrbium, pagorum & agrorum euersori ac depopulatori: de Rege ac regno Daniæ optimè meri

merito, gentili, cognato & amico suo carissimo, qui in obsidione arcis VVarburgæ torméto ictus, moriendo vincens, vitam viriliter profudit: HENRICUS RANZOVIUS D. Ioannis filius, hoc non tam priuati, quàm totius Daniç ac Holsatiæ luctus perpetuum monumentum mœrens non sine lacrymis erexit. Exstinctus est anno 1569. die 11. Noueb. Anno ætatis suæ quadragesimo.

INSCRIPTIO FONTIS IN PAGO MUNSTERDORP.

Hunc fontem, olim D. Sixto sacrum, & potu cótra febrim salubrem, vetustate collapsum H. R. anno Domini 1587. restaurauit.

Non procul à celebris Bredeberga mœnibus arcis
Fons est, qui Sixto dicitur esse sacer:
Corpora lethali qui febre leuare putatur
Horrida, quæ quarta luce redire solet.
Scilicet hac virtus patuit per somnia Galli,
Ex quo quis medicas hauserat æger aquas.
Hunc pius Henricus Ranzo reparauit, & illi
Restituit fonti, quod fuit antè, decus.

CATHARINAE RANZOVIAE filiæ, Friderici Alefeldij vxori, post vnius diei morbum subito mortis casu abreptæ, cùm vixisset annos 23. menses 5. dies 13. horas 4. HENRICUS RANZOVIUS Vicarius Regius, ac CATHARINA ab Halle parentes, præpostero naturæ ordine, in senio superstites relicti, insperatum hoc memoriæ sacrum statuerunt.

Hac ego Friderici coniux Alefeldij in vrna
Dormio Ranzouia lux Catharina domus.

Nil

Nil nil praclari generis mihi profuit ortus,
Nil teneræ ætatis tempora prima meæ.
Omnia mors aufert, diadema ligonibus æquans,
Omnia Parcarum tollit auara manus.
Disce hinc, quicunq; es, nostram qui præteris vrnam,
Quid sis, quid fueris, quidve futurus eris.
Nil aliud mortalis homo est, quàm labilis aura,
Puluis, imago, vitrum, flos, cinis, vmbra, sonus.
Nil aliud fragile hoc corpus, quàm putre cadauer,
Et dira illuuies congeriesve luti.
Nil aliud vita hæc, quàm semita plena malorum,
Cumq; dolore labor, cumq; labore dolor.
At mors æterna est requies, via certa salutis,
Et torrens vitæ principiumq; nouæ.
Felix qui Domino, cùm possit viuere, viuit,
Et Domino moritur, cùm venit hora mori.

APENRODAE.

INSCRIPTIO MONVMENTI IDAE RANZOVIAE.

Ipsa loquitur.

OPtimum quidem est, Sileno teste, non nasci, aut natum citò mori. Ast ego illud improbo, hoc probo. Illud, inquam; Si enim non nata, nec homo, nec imago Dei opificis fuissem. Hoc; Si enim non tam citò mortua, multis exposita fuissem morbis & periculis. Cùm itaque per mortem ad vitam, de peregrinatione ad patriam, ab æstu ad refrigerium, ex agone ad brauium, dulci somno sopita peruenerim, gratulor mihi, quòd & ego IDA idea & imago Dei mei nascendo facta,

quodque citò moriendo ego Ida ita innumeris sim præcepta malis: Nunc autem trimula hîc Apehrodæ sub monumento à patre Caio Mauritij filio, & matre Elisabetha Henrici trium Daniæ Regum Vicarij filia, vtrisque Ranzouijs erecto, resurrectionem carnis exspectans recubo, mortua XXIV. Februarij, sepulta XXII. Martij, Anno Domini M. D. XCI.

ANGLICA.

IN LONDINVM IVL. CAES. SCALIGER.

Vrbs animis, numeroq; potens, & robore gentis,
Vel cunctos præ se despicit vna deos.
Torua peregrinis, sed non & inhospita, merces
Vicinis patrias aggerit, atque petit.
Contemnis, cui das, tanquam ipso munere maior,
Odisti vnde petis, ne videare minor.
Dicat, quid bello valeas, Aquitania. quid non:
Et Nortman, & cum Saxone Roma vetus.

IN ECCLESIA B. PETRI VVESTMONASTERII.

Labilitas, breuitas mundana prosperitatis,
Cælica præmia, gloria, gaudia danda beatis,
SEBERTVM certum iure dedêre satis.
Hic Rex Christicola verax fuit hac regione,
Qui nunc cælicola gaudet mercede corona.
Rex humilis, docilis, scius, & pius, inclytus iste

Solli-

Sollicitè, nitidè, tacitè, placidè (bone Christe)
Vult seruire tibi, perficiendo sibi.
Ornat mores, spernit flores, lucis auaræ
Gliscens multum Christi cultum lætificare,
Ecclesiam nimiam nimio studio fabricauit
Hæc illæsa manus, quæ fundamenta locauit;
Hinc septingentis annis terra cumulatus
Christi clementis instinctibus inde leuatus.
Isto sub lapide nunc iacet ipse, vide.
Atq; domum Christo quia mundo fecit in isto,
Nunc pro mercede cæli requiescit in æde.
Respice mortalis, promissio sit tibi talis.
Accipies, si des; nil capies, nisi des.
Es Christo qualis, & erit Christus tibi talis,
Dapsilis esto sibi, largus eritq; tibi.
Effectus, non affectus, si reddere possis,
Debet censeri; nil est, si reddere possis,
Tunc bonus affectus pro facto debet haberi:
Sicut de lignis per aquam depellitur ignis,
Sic mala commissa fiunt donando remissa.
Reddet ad vsuram, quòd quis dat nomine Christi,
Nam vitam puram pro paruo dat Deus isti.

Obijt anno Domini D c. XVI. vltima Iulij. Versus quales ætas illa parturiebat.

ALIVD S. EDVARDI.

Omnibus insignis virtutum laudibus heros
Sanctus EDVARDVS, confessor, rex venerandus.
Quinto die Iani moriens super æthera scandit.
SVRSVM CORDA.

Moritur anno Domini 1065.

IBIDEM.

Tertius HENRICVS iacet hic pietatis amicus,
Ecclesiam strauit istam, quàm post renouauit,
Reddet ei munus, qui regnat trinus, & vnus.

DVLCE BELLVM INEXPERTIS.

Viuere desijt anno Christi M. CC. LXXIII.

IBIDEM.

EDVARDVS primus Scotorum malleus hic est.
Dum vixit Rex, & valuit sua magna potestas,
Fraus latuit, pax magna fuit, regnauit honestas.

PACTVM SERVA.

Obijt anno Christiano M. CCC. VIII.

IBIDEM.

Hic decus Anglorum, flos regum præteritorum,
Forma futurorum, rex clemens, pax populorum.
Tertius EDVARDVS regni complens Iubilaum.
Inuictus Pardus, pollens bellis Machabæus,
Prosper dum vixit, regnum pietate reuixit,
Armipotens rexit, iam Cœlo Cœlice Rex sit.

. . . . .

Tertius EDVARDVS fama super æthera notus.

PVGNA PRO PATRIA.

Moritur anno Domini M. CCC. LXXVII.

IBIDEM.

Septimus hìc situs est HENRICVS gloria regum,
Cunctorum, illius qui tempestate fuerunt,
Ingeniu, atq; opibus, gestarum nomine rerum,
Accessère quibus natura dona benigna,

Frontis

Frontis honos, facies augusta, heroica forma,
Iunctaq; ei suauis coniux, perpulcra, pudica,
Et fœcunda fuit, felices prole parentes,
Henricum quibus octauum terra Anglia debet.

MEMORIAE SACRVM.

MARGARETAE DOWGLASIAE, Matthæi Stuarti Leuenosiæ Comitis vxori, Henrici VII. Angliæ Regis ex filia nepti, potentissimis regibus cognatione coniunctissimæ, Iacobi VI. Scotorum Regis auiæ, Matronæ sanctissimæ, moribus & inuicta animi patientia incomparabili P.

Margareta potens virtute, potentior ortu,
Regibus ac proauis nobilitata suis.
Inde Calcedoniјs, Australibus, inde Britannis
Edita Principibus, Principibusq; parens.
Quæ mortis fuerant, soluit latißima morti,
Atq; Deum petijt, nam fuit antè Dei.

GVILIELMI PVNTERI MVSICI.

AEthereos inter ciues, animasq; beatas
PVNTERVS summum iam canit ante Deum.
Gratus erat terris viuendo, legendo, canendo;
Cælo nunc viuit, nunc legit atq; canit.
Sic tribus ille locis superest: sunt namq; reposta,
Claustris ossa, choro laus, animusq; polo.

CATHARINAE REGINAE HENRICI IIX. VXORIS.

Illa ego, quæ Regi poteram placuisse marito,
Et forma, & castis moribus, & genere:

Postquam me thalamis exclusit adultera pactis,
Emorior, solo funere grata viro.

EPITAPHIVM THOMAE MORI, QVOD PAVLÒ POST ABDICATVM *munus Cancellarij ipse sibi composuit, & sepulcro suo affixit.*

THOMAS MORVS, vrbe Londinensi, familia non celebri, sed honesta natus, in literis vtcumq; versatus, quum & caussas aliquot iuuenis egisset in foro, & in vrbe sua pro Shyreno ius dixisset, ab inuictiss. Rege Henrico VIII. (cui vni Regum omnium gloria prius inaudita contigit, vt fidei defensor, qualem & gladio se & calamo verè præstitit, meritò vocaretur) adscitus in aulam est, delectusque in Concilium, & creatus Eques, Proquæstor primùm, pòst Cācellarius Lancastriæ, tandem Angliæ miro Principis fauore factus est. Sed interim in publico Regni Senatu lectus est orator populi, præterea Legatus Regis nonnunquam fuit, alias alibi; postremò verò Cameraci, Comes & collega iunctus Principi legationis Cuthberto Tonstallo, tum Londinensi, mox Dunelmensi Episcopo; quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos Christiani orbis Monarchas rursus refecta fœdera, redditamque mundo diu desideratam pacem, & lætissimus vidit, & Legatus interfuit.

Quam superi pacem firment, faxintq́; perennem.

In hoc officiorum vel honorum cursu quum ita versaretur, vt neq; princeps optimus operam eius improbaret, neque nobilibus esset inuisus, neque iniucundus populo; furibus autem, homicidis, hæreticis-

reticisque molestus: Pater eius tandem Ioannes Morus Eques, & in eum Iudicum ordinem à principe cooptatus, qui Regius consessus vocatur, homo ciuilis, innocens, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem grauis, sed corpore plusquā pro ætate viuido, postquam eò productam sibi vidit vitam, vt filium videret Angliæ Cancellarium, satis in terra iam se moratum ratus, lubens migrauit in cælum. At filius defuncto patre, cui, quamdiu superstat, comparatus, & iuuenis vocari consueuerat, & ipse quoque sibi videbatur, amissum iam patrem requirens, & editos ex se liberos IV. ac nepotes XI. respiciens, apud animum suum cœpit persenescere. Auxit hunc affectum animi, subsequuta statim velut adpetētis senij signum, pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium harum rerum satur, quàm rem à puero semper optauerat, vt vltimos aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus huius vitæ negotijs paulatim se subducens, futuram posset immortalitatem meditari, eám rem tandem (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetrauit, atque hoc sepulcrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commonefaceret, translatis huc prioris vxoris ossibus, extruēdum curauit. Quod ne superstes frustra sibi fecerit, neue ingruentem trepidus horreat, sed desiderio Christi lubens oppetat, mortémque vt sibi non omninò mortem, sed ianuam vitæ fœlicioris inueniat, precibus eum, Lector optimè, spirantem, precor, defunctumque prosequere.

THOMAS MORVS IAM SECVRI FERIENDVS AD FILIAS ET populum.

Ne lugete meo confusæ funere, natæ:
Ipse ego mutari non mea fata velim.
Truncum terra teget, si Rex non abnuet vrnam;
Et mea iam terris nomina nota volant.
Libera mens superos repetet, neq; seruiet vnquam:
In partem hanc quod agat, nulla securis habet.
Tu quoq; spectator, tranquillum si cupis æuum
Exigere, & letho fortior esse tuo.
Qui tibi membra cadant, nullo in discrimine pone,
Quum sint naturæ lege caduca suæ.

NICOLAO GRVDIO Auctore.

THOMAE MORI ANGL. CANCELL.

Quis iacet hic truncus? cuius caput ense recisum est?
Quæ natat in tetro sanguine Canicies?
Hic est ille THOMAS MORVS. *sic fata rependunt*
Tristia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumsistunt Diuæ lugubre cadauer?
Diua tenax veri, sancta, fides, Nemesis.
Quarum prima fuit causa, & fuit altera mortis,
Vltrix iniustæ tertia cædis erit.

Anno Domini M. D. XXXV. VI. Non. Iulij.

PIIS MANIBVS D. IOANNIS FISHERII, PONTIFICIS Roffensis.

Interpres cæli in terris, dum vita manebat,
Roffensis populi præses, amorq; tui.

Impro-

Improba te postquam damnantem facta necauit,
Ac tua Rex posuit Colla resecta foro:
Ille malis malè securis fruitur hymenæis:
Tu summo adsistis victima nota Deo.
Teque nouum in degetem cingit plaudente corona
Gens superûm, & tanta gaudet amicitia.
Fortunate senex, odiumq; iraśq; profanas,
Qui mutas cælo? fluxaq; perpetuis.
Quam densa attonitas obcæcant nubila mente!
Quantū heu nostra nigra tempora noctis habent!
Illa tamen veniet lux, prolabentibus annis,
(Sic erit, ô, tota sentio mente Deum.)
Angla tuam cùm gens melior venerabitur vmbram,
Collecta auratis ossa tegens loculis.
Interea hac capite, ô Manes solatia sancti,
Indigna & lacrymans funera sæpè fleam.

Capite mulctatus obijt Londini, anno salutis humanæ M.D.XXXV.

IN D. PAVLI.

THOMAS LINACRVS, Regis Henrici VIII. Medicus, vir & Græcè & Latinè, atque in re medica longè eruditissimus, multos ætate sua languentes, & qui iam animam desponderant, vitæ restituit: multa Galeni opera in latinam linguam, mira & singulari facundia, vertit. Egregium opus de emendata structura latini sermonis, amicorum rogatu, paulò ante mortem edidit. Medicinæ studiosis Oxoniæ publicas lectiones duas, Cantabrigiæ vnam, in perpetuum stabiliuit. In hac vrbe collegium medicorum fieri sua industria curauit, cuius & Præsidens primus electus est.

Fraudes dolosque mirè perosus, fidus amicis, omnibus Ordinibus iuxtà carus: aliquot annis, antequam obiret, Sacerdos factus, plenus annis ex hac vita migrauit, multum desideratus, anno 1524. 20. Octob. cuius animæ sit Deus propitius.

Aliquantò altius tumba cum Phœnice, & inscriptione: VIVIT POST FVNERA VIRTVS.

Thomę Linacro, clarissimo medico Ioan. Caius posuit M. D. LVII. m. Aug.

IBIDEM.

IOANNIS COLETI S. THEOL. DOCT. DECANI HVIVS ECCLESIAE, ET scholæ Paulinæ fundatoris.

Inclyta IOANNES Londinæ gloria gentis,
Is, tibi qui quondam, Paule, Decanus erat.
Qui toties magno resonabat pectore Christum,
Doctor & interpres fidus Euangelij:
Qui mores hominum multum sermone diserto,
Formarat, vita sed probitate magis.
Quique scholam struxit celebrem cognomine IESV,
Hac dormit tectus membra COLETVS humo.

Floruit sub Henrico, VII. & VIII. Regibus.

IBIDEM.

DEO TRINO ET VNI OPT. MAX. SACR. AC

Æuiternæ memoriæ nobilissimi honoratissimi omnique virtutum & eruditionis genere præstantissimi viri Domini ADOLPHI à MEETKERKE Brugensis equestris ordinis, summi Flandriæ Concilij præsidis dignissimi & iustissimi, in creandis

per-

per Flandriam vrbiũ ciuitatumq; magiſtratibus legati perpetui. Qui difficillimis Belgarum temporibus illuſtrem locum conſiliarij ſtatus, in ſupremo trium ordinum Belgicarum Prouinciarum ſenatu, multis principibus iunctus collega, plus quã decennium ſuſtinuit, Legationes quoq; eorundem ordinum nomine apud varios Germaniæ ſuperioris & inferioris Principes, Regem Galliæ, eiuſque fratrem Principem Alenconium, tum etiam apud ſereniſſimam hanc Angliæ &c. Reginam principi Hauræo factus collega, ſummis de rebus, maxima fide, ſummaque cum laude, obijt. Eximiæ cognitionis, cùm Iuriſprudentiæ, tum hiſtoriæ fama celeberrimus. Nec minus à bonarum artium, humanarumque diſciplinarum & linguarum, præſertim Latinæ & Græcæ (quarum poſterioris fuit reſtaurator) eruditione commendatiſſimus. Quodque primum omnium eſt, pietatis in Deũ & homines, & Iuſtitiæ cultor ſtudioſiſſimus, cuius cauſa omnibus ſupradictis honoribus relictis, exilium, etiamſi ipſi in ſua ſenectute durum, libens ſuſcepit. Is natus annos LXIII. menſ. VI. Prid. Non. Octobris, Anno poſt natũ Meſſiam Saluatorem noſtrum CIↃ. IↃ. XCI. ex hac peritura ad perennem vitam emigrauit, cùm ex duabus nobiliſſimis ſelectiſſimiſque vxoribus, tam virtute quàm genere clariſſimis, Dn. Iacoba Ceruina, & Dn. Margareta à Lichteruelde, plurimos ſuſcepiſſet vtriuſque ſexus liberos. Ex quibus moriens ſex, ex qualibet vxore videlicet tres, reliquit ſuperſtites.

Ex priore, Balduinum; qui cæſo nuper in expugnatione Dauentriæ fratre ſuo primogenito Dn. Nicolao militum Duce fortiſſimo, militibus dicti fratris ſui à ſereniſſima Angliæ Regina eſt præfe-

ctus. Adolphum patri cognominem, à fratre in ordine militari secundum; & filiam Annam, vxorem clarissimi viri Domini Pauli Knibbij Iurisc. & Sereniss. Daniæ Regis Consiliarij.

Ex posteriore filium anniculum Eduardum, & duas filias Elizabetham & Salomen, tres liberalissimæ indolis & formæ infantes.

Cui placidè in Christo humanæ gentis sospitatore obdormienti, hoc meritis ipsius debitũ mortale monumẽtum, immortalis amoris & reuerentiæ, Petrus ab Heila, dictus Varheila Brugens. Iurisc. popularis, ciuis, & amicus eius mœstis. pos.

In symbolum nobilissimi, honoratissimi, omnique virtutum & scientiarum genere cumulatissimi viri Dn. ADOLPHI à MEETKERKE Brugensis, equestris ordinis, summi Flandriæ præsidis dignissimi & æquissimi.

Sunt autem duæ dextræ inter se iunctæ, quarum vna armata est, altera inermis, quibus tertia è nube superueniens duas priores complectitur, additis his verbis ad nomen Adolphi alludentibus:

ΦΙΛΟΙΣ ΕΧΘΡΟΙΣΤ' ΑΔΕΛΦΟΣ.

ET AMICO FRATER ET HOSTI.

Quid manus armata est? hostis. Quidnam altera? amicus.
Tertia? MEETKERKVS, qui manum vtramque capit.
Quid Græca voces? ET AMICO FRATER ET HOSTI.
Vocum harum interpres vita Mekerke tua est.

Petrus ab Heila, dictus Verheila, Brugensis, Iurisconsultus.

IN

IN CHORO TEMPLI D. DIONYSII.

Animæ super æthera viuunt.

IACOBO COLIO G. F. BELGAE
Regis HENRICI VIII, munere Angl. indigenæ,
mercatori probo:
Qui obijt ann. Christi CIↃ. IↃ. XCI. suo
LXXIIX. & ELIZAB. ORTELIAE Q. Ob.
An. Christi CIↃ. IↃ. XCIV.
Connubio nuper, nunc tumulo iunctis
IACOBVS COLIVS parentib. pientiss.
H. M. F. C.
CHRISTO DVCE ET OSSA RESVRGENT.
COLII & ORTELIAE (iunxit quos tæda iugalis)
Astra simul animas, iungit hoc ossa solum.

CANTABRIGIAE.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

NICOLAVS VVOTONVS Roberti VVotoni Equitis aurati ex Anna Belknappa filius, vtriusque Iuris Doctor, Ecclesiæ huius primus, itemq; metropolitanæ Ecclesiæ D. Petri Eboracensis Decanus: Henrico VIII. Eduardo VI. Mariæ & Elisabethæ Angliæ Regib. à secretis consilijs, ad Carolum V. Cæsarem bis, ad Philippum Hispaniæ regem semel, ad Franciscum primũ Francorum Regem, ad HENRICVM secundum eius filium ter, ad Mariam Hungariæ Reginam Belgarum præsidem semel, ad Guilhelmum Cliuensium Ducem bis, legatione functus. Renouatæ pacis inter Anglos, Francos & Scotos, inter Guinas & Arderam,

Arderam anno 1546. similiter & ad Castrum Cameracense, anno 1559. Denique Edimburgi Scotiæ anno 1560. Oratorum munus. Hîc tandem ferè septuagenarius requiescit. Hæc ille ante mortem & ante morbum, quasi fatalem diem præsentiens, & cygneam cantionem Propheticè canens sua manu in museo scripta reliquit. Qui apud tales Principes diuina prouidentia gubernante, laudabiliter & in tot ac tantis causis, quarum magnitudo grauissima, vtilitas publica fuit, feliciter bonam vitæ suæ partem consumpsit, eum viuum sapientem, & experientissimũ ipsa inuidia iudicare debet. Quàm semper ab omni contentione honorum fuerit alienus, illud declarat, quòd ad hanc Ecclesiasticam dignitatem non ambitione vlla sua inflāmatus, nec amicorum opera vsus aspirauit, sed eam vtramq; Henricus VIII. hominis merito & virtute prouocatus, vltrò detulit. Cumque idem rex illustrissimus morbũ lethalẽ ingrauescere persentiret, & Eduardi Principis sanè excellentissimi, adhuc tamẽ pueri & Reip. administrandæ imparis, imbecillā ætatem senili prudentia secretioris consilij sui regendam existimaret; illis ex sedecim, quos supremæ voluntatis suæ testes & vindices testamento instituit, hunc Nicolaum absentem tum in Francia legatum vnum esse voluit. Eduardo regi iam medio regni curriculo propè confecto, vnus ex primarijs secretarijs fuit; quem locum diutius tenere potuisset, nisi & suis & assiduis amicorum precibus abdicanti veniam impetrasset. Corpus illi erat gracile quidem & paruum, sed erectum, habitudo sana, vultus liberalis, victus exquisitus, quem semel tantùm in die capere consueuerat. valetudo adeò firma, vt rarò morbũ aliquem senserit. animus verò

totus

totus libris ac literis dicatus, artium, Medicinæ, Iurisprudentiæ, & Theologiæ studio intentus, linguarum Romanæ, Italicæ, Gallicæ, & Germanicæ inferioris cognitione pulchrè exornatus. Ita vir iste genere clarus, legatione clarior, domi ac foris clarissimus, honore florens, labore fractus, ætate confectus, postquam Decanus huic Ecclesiæ annos 25. dies 293. præfuisset; Londini Ianuarij 26. anno nostræ salutis 1560. piè & suauiter in Domino obdormiuit, Thoma VVottone nepote hęrede relicto, qui ei hoc monumentum non honoris ergò, quo abũdauit viuus, & florescet mortuus; sed amoris causa, quem memoria colet, vt debet, sempiterna, consecrauit.

OXONIAE.

Struxit HVGO PRITIVS tibi clara palatia IESV,
Vt Doctor legum pectora docta daret.

Quos versus cum vir quidam non illepidi ingenij transiens perlegisset, atque PRITII illius exactam ætatem, simul & operis vixdum inchoati magnitudinis animo expendisset, tale distichon illi disticho opposuit.

Nondum struxit HVGO, vix fundamenta locauit:
Det Deus, vt poßis dicere: struxit HVGO.

GALLICA.

PARISIENSIA.

IN LVTETIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Fran-

Francigenæ princeps populosa Lutetia gentis,
Exerit immensum clara sub astra caput.
Hic ciuis numerum, ars precium, sapientia finem
Exuperant, superant thura, precesq; DEOS.
Audijt, obstupuitq; hospes: factusq; viator
Vidit: & haud oculis credidit ipse suis.

AD CARTHVSIANOS.

Primus in hac Christi director ouilis eremo
Fundatorq; fui, qui tegor hoc lapide.
BRVNO mihi nomen, genitrix Germania, meq;
Ad Calabros traxit grata quies nemoris.
Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe,
Insuper illud erat gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit,
Ossa tegit lapis hic spiritus astra petit.

IN MONASTERIO S. GERMANI PRATENS.

In cella sedeas; sanctam dedit illa quietem,
Teq; poli rectum, crede, docebit iter.
Nec Benedictinæ violabis dogmata normæ,
Si tua te clausum Cellula semper habet.

IN S. VICTORIS.

Discite mortales sortis memoranda supremæ
Fata, quibus mors est indita, vita breuis.
Nobile Pontificũ decus hac REGINALDVS in vrna
Occubat exilij contumulatus humo.
Parisiæ quondam præsul celeberrimus vrbis,
Fatali ad superos sorte vocatus obit.

Quis-

Quisquis ades, sic te fragilem memorare viator.
Mors est certa, breuis gloria, vita nihil.
Obijt anno suprà M.CC.LVIII.

IBIDEM.

Seu confecta fuit senio, seu floruit ætas,
Hunc tenuit quouis tempore cura triplex:
Reddere vota Deo, scripturæ incumbere sacræ,
Imbuere hanc sacra relligione domum.

IBIDEM.

MATTHIAE TOZATI.

Occiduæ tandem prostratus mole senectæ
Hic recubans taceo, qui ore trilinguis eram.
Obijt anno M. D C I.

IBIDEM.

IN AEDE DE S. VICTORE.

Hæres peccati, natura filius iræ,
Exiliiq; reus, nascitur omnis homo.
Vnde superbit homo? cuius conceptio culpa;
Nasci pœna; labor vita; necesse mori est.
Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana nihil vanius est homine:
Dum magis alludit præsentis gloria vitæ;
Præterit, imò fugit: non fugit; imò perit.
Post hominē vermis, post vermem fit cinis, heu heu!
Sic redit in cinerem gloria nostra simul.
Hic ego qui iaceo miser & miserabilis Adam,
Vnam pro summo munere posco precem.
Peccaui fateor, veniam peto, parce fatenti,
Parce pater: fratres parcite: parce Deus.

M. RI.

M. RICHARDI DE S. VICTORE.

Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ stamina paruo
Tempore tracta graui rupit acerba manu.
Plurima namq; tui superant monumenta laboris,
Qui tibi perpetuum sint paritura decus.
Segniter vt lento sceleratas mors petit ædes;
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.

PETRI COMESTORIS.

PETRVS eram, quē petra tegit: dictusq; Comestor.
Nunc comedor. viuus docui, nec cesso docere
Mortuus, vt dicat, qui me videt incineratum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoq; quod hic est.

IN S. MATVRINI.

ROBERTI GVAGVINI HISTORICI
Belgæ.

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,
Hic sua ROBERTVS mēbra GAGVINVS habet.
Si tanto non sæua viro Libitina pepercit;
Quid speret docti cætera turba chori?
Anno 1501. 22. Maij.

IOAN. DE SACROBOSCO.

De SACROBOSCO qui cōputista IOHANNES
Tempora discreuit, iacet hic à tempore raptus.
Tempore qui sequeris, memor esto quòd morieris.
Si miser es, plora: miserans pro me precor ora.

CVIACI.

BALDVINVS hic iacet: hoc tecum reputa, & vale.

vale. Mortuis vobis, Iurisprudentiam grauis corripiet sopor.

FRANC. Bald. Iurisc. Ob. anno ætat. LIII. XI. Nouemb. à partu virginis 1573. Papirius Massonus Balduini auditor P.

IN S. MARCELLI.

Hic iacet Magister PETRVS LOMBARDVS, Parisiensis Episcopus, qui composuit librum sententiarum, glossas Psalmorum & Epistolarum. cuius obitus dies est XIII. Kal. Augusti. mortuus est anno 1164.

IN TEMPLO AVE MARIA.

Hoc angusto loco tegitur augustissimum cor Sereniss. Regis Portugalliæ D. ANTONI, huius nominis I. qui paterno iure ac populi electione regno succedens, ab eo per vim pulsus est, & in syluis aliquandiu latuit: Tandem, omnibus spretis, libertatem regni sui, & suorum, cunctis & bonis fruendis, & malis perferendis validissimè anteposuit. Secto post mortem corpore, omnia eius viscera tabida & infecta inuenta sunt, præter cor, quod, quia in manu Dei erat, ab eo incorruptũ & illæsum seruatum fuit. Obijt plenus pietate, & in summa paupertate anno ætatis LXIV. Domini M. D. XCV. XXVI. Augusti.

IN FRANCISCANORVM.

Præses eram: præses morior: post funera præses
Permaneo, recti fama perire nequit.
Antè loco pelli, vitaq; pericla subire,
Quàm sacra mutari patria sustinui.

Nil regem offendi, nil legem, nil quoque mentem,
Vtque prius constans, integer emorior.
Viue meo exemplo quisquis succedis honori,
Mortuus & viuus tum bene & clarus eris.

NICOLAI DE LYRA THEOL. D.
DEFVNCTVS LOQVITVR.

Ne me ignores properans dum plurima lustras,
Qui sum, ex his nosces qua pede busta teris.
Lyra breuis vicus Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ ianua sorsque fuit.
Nulla diu mundi tenuit vesania natum,
Protinus euasi relligione minor.
Vernolium admisit currentem ad sacra tyronem,
Et Christi docuit me domitare iugo.
Vt tamen ad mores legis documenta beatæ
Addita planaret simplicitatis iter,
Artibus ipse pijs & Christi dogmate fretus
Parisii excepi sacra magisterij.
Et mox quæque vetus, & quæque recentior affert
Pagina, Christicolis splendidiora dedi.
Littera nempe nimis quæ quondam obscura iacebat,
Omnis per partes clara labore meo est.
Et quos sæpe locos occidens littera tradit,
Hos typicè humanis actibus exhibui.
Extat in Hebræos firmissima condita turris
Nostrum opus, haud vllis comminuenda petris.
Insuper & nostri releguntur sæpè libelli,
Quos in sensa Petri quatuor arte tuli.
Est quoque Quodlibetis non irrita gloria nostris,
In qua tu iustus arbiter esse potes.

Non

Non tulit hac vltrà vitam proferre merendo
Omnipotens dominus, quo sumus & morimur.
A cruce tu cuius numeres si mille trecentos,
Adiungens vnà quatuor & decadas,
Illo me rapuit mors omnibus æmula sæclo,
Cùm micat Octobris ternà vigena dies.
I iam quo tendis Nicholai illectus amore,
Quo doctore tibi lex reserata patet.

IN CHORO INTERIORI.

GVILIELMO FROELICH, nobili ac strenuo equiti: prudenti Soloturens. ciuitatis Senatori: legionum Hel. trib. ob eximias animi virtutes, resque præclarè gestas ciuibus vniuersæque patriæ acceptiss. qui cùm XI. annos stipendijs regijs magna animi alacritate militasset: ter signis collatis conflixisset: suos veteranos magno discrimine (nationi alioqui fortiss. insuetum) per æquor in Italiam traiecisset: tandem sexagenarius, cui quiescendum erat, vt eâdem perpetua animi constantiâ erga Francorum Reges persisteret, præfectus XXII. signis postremò in Gall. redijt, vbi Lutetiæ fatis concessit. Eius ciues & cognati, (quorum è numero patruelis ipsius Capitan. Guilielmus Tuggnierus, cogno. Frölich, primus fuit) gratiss. pientiss. animis funus mortemque prosecuti: hoc monumentum posteritati, in memoriam heroicæ virtutis, mœsti ac mœrentes pos. anno M.D.LXII. die IV. mens. Decemb.

IBIDEM.

REGINALDO DANGERNERO equiti fortiss. cùm strenuam operam in omnibus bellis Ca-

rolo VIII. & Ludouico XII. regibus Gallis nauasset: & ad senium vsque sanctè & prudéter, cum summa apud omnes gratia, vixisset: ex labore ad quietem, ex breui æuo ad perpetuum, cum summo tamen omnium, præsertim nobilium, mœrore erepto: Vincentius F. memor patrem æqua cum reliquis mortalibus lege natum, vt omnib. horis mori posset, memoriam, non luctu, aut ægritudine, sed pietate vt coleret, paterni beneficij ergo posuit. Obijt M. D. XXX.

IBIDEM.

M. ANTON. GALLERATO nobili viro, Cremona patria, equitum præfecto, Mauretæ ab incursoribus (dum Lugdunum Christianissimi Caroli noni Francorum regis iussu, belli commodo per expeditos equos peteret) ex insidijs trucidato, M. Ant. Martinégus de Columna, Villæ claræ Comes, sub cuius ductu tunc stipendia fecerat, amico militique dilecto mœrens posuit, ne maximæ inter eos beneuolentiæ memoria aboleretur. Vixit annos XXVI. Obijt tertio nonas Aprilis, anno à partu Virginis M.D.LXVIII.

IBIDEM.

ALBERTO PIO de Sabaudia Carpensium Principi, Francisci Regis fortunam secuto, quem prudentia clarissimũ reddidit, doctrina fecit immortalem, & vera pietas cælo inseruit, Hæredes mœstiss. PP. Anno M. D. XXXV. Vixit ann. LV.

DOCTORIS ALEXANDRI ALENSIS.

Gloria doctorum, decus, & flos Philosophorum,

Auctor

Auctor scriptorum vir ALEXANDER variorum,
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum,
Inclytus Anglorum Archileuita; sed horum
Spretor cunctorum, frater collega Minorum,
Factus egenorum, fit primus Doctor eorum.
Obijt anno M. CC. XLV. XII. Kal. Septemb.

R. P. GVILIELMI HICETI DOCT. CELEBERR.

Hic tegitur Pastor longè vigilantior Argo,
Quem reuocat plebs heu! & minor ordo gemit.
Vox populo dulcis, doctrina, modestia, Iuris
Diuini interpres, Theologia iacent.
Hoc ne terra foret cælesti clarior aula,
Est celeri ad superas nube receptus opes.
Moritur anno M. D. XXII. D. VIII. Augusti.

F. SIMONIS FONTANI DOCT. AC LECT. THEOLOGIAE.

Fons ego cælesti manans de fonte profudi,
Quas poto è sacri gurgite fontis aquas.
Has sibi dum sitiens haurit fons, areo sed sic,
Vt redeam ad fontis prima alimenta mei.
Iam raptus, viuo Christi me proluo fonte,
Quo mihi, quæ fuerat, desinit esse sitis.
Obijt XVIII. Septemb. M. D. LVII.

APVD TEMPLARIOS.

Habet interior Gallia longè antiquissimam familiam de Villiers Lisleadam, multis magnisque rebus gestis clariss. regum amicitijs celeberr. vnde suis totiq; reip. Christianæ prodijt tantis dignus natalib. Philippus, cuius modò viator monumen-

tum cernis, honoris virtutisque ergo positum. hunc eò sua per gradus euexerunt merita, vt concordibus omnium votis in vniuersum suum ordinem obtinens imperium, eius militiæ magister fuerit, quæ Deo Opt. Max. est & Ioanni Zachariæ sacra. cellam hanc viuens, ineffabili tetragrammati יהוה nomini, extra quod nulli salus, vir pius ac religiosus dicatam voluit.

PSALM. LXXXIX.

SVPERVENIT MANSVETVDO, ET RAPIEMVR.

ALIVD.

FRATER PHILIPPVS KERLEAV Trecorensis, ex Saliocanorum promontorijs, in illa spectata Celticæ Galliæ peninsula claris ortus maioribus, ordinum ductore patre, patruo necdum Diablinthrensi episcopo, Britannorum quondam ducum magnis de rebus apud exteros principes oratore, ex primarijs hospitalis Hierosolymitani militibus vnus, nullis non laborum iactatus, quandiu vixit, æstibus, dum molestiarum tandem superatis vndique fluctibus, in portu victor frui quiete cœperat temporaria, vocatus est ad æternam. Sic homines casso labore, fortuna caduca, querula vita, terras incolimus.

PSALM. XVII. HABAC. III.

PONET PEDES MEOS VT CERVORVM.

Vixit integer æui annos septuaginta, militauit hospitali duo de quinquaginta octo, præfuit his ædibus vbi obdormiuit in Christo decimoquarto Iulij, anno redemptionis millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto.

ALIVD.

ALIVD.

FRATER ROBERTVS DAVBE, vulgo Rupe martia cognominatus, in nobili ad Rhodanum oppido Arelate insigni familia natus, per omnes hospitalis militiæ gradus inter suos multa cum laude euectus, ad magnam tandem sancti AEgidij præfecturam deuenit in prouincia Narbonensi. demum per vniuersam Galliam promagister creatus (honos à magno militum magistro secundus) ad regem publico nomine legatus, rem sæpe tentatam, peneque desperatam, sua prudentia perfecit. ordini suo scilicet à priscis quondam regibus irrogatorum priuilegiorum specialem modo confirmationem, nouorumque concessionem ab Henrico nunc rege consecutus. quum verò multis & grauibus exantlatis laboribus ad quietem se temporariam pararet, vocatus est ad æternam. Vixit ann. LXX. militauit ann. XL. præfuit ann. IV. Obijt in legatione Lutetiæ in ædibus templi, die sabbati v. Octobris, anno Christi M.D.XLIX. Commilitones & amici fratres defuncto posuerunt.

IN TEMPLO S. AVGVSTINI AD SEQVANAM.

Sacellum ædificauit PHILIPPVS COMINEVS Historicus, Belga, vbi ipsius & vxoris imago expressa; item, Epitaphium D. IOANNAE DE COMINIS F.

Quingentis annis, bis septem & mille peractis
In lucem quartam post idus Martius ibat,
Octauamque parens Phœbus properabat ad horam,
Comminia occubuit generosa à stirpe IOHANNA;

Penthebria Comitis Britanni ſponſa Renati,
Atq; Argentonij Domino prognata Philippo,
Chambeaq; Helena, mens hic in pace quieſcat.

Moritur Comineus in arce ſua quam Argentomum vocant, anno 1509. XVI. *Kal. Sept. Inde Lutetiam delatus apud Auguſtinianos. Conſule Encomia Belgarum Auberti Miræi.*

DEO OPTIMO MAXIMO, & diuturnæ memoriæ IANI IACOBI MEMNII, multis præclaris muneribus honoribusque perfuncti, Iuriſconſulti anteceſſoris Tolozæ, proprætoris Vrbani Lutetiæ Pariſiorum, libellorum ſupplicum in regiâ magiſtri, & regij in conſilio ſanctiore Conſiliarij, liberi mœſtiſſimi poſuerunt. Natus eſt Rupeforti in Aquitania, Obijt Lutetiæ Pariſiorum, anno à virginis partu CIↃ. IↃ. LXIX. VIII. Kal. Nouẽb. Vixit annos LXXIX. menſ. V. dies XIII.

AEternum placida compoſtus pace quieſcat.

PETRI QVIQVERANI EPISCOPI SENECENSIS.

Dum iuuenilis honos, prima lanugine malas
Veſtit, & in calido pectore feruet amor,
Me rapuit, quæ cuncta rapit, mors inuida doctis;
Hei mihi, cur vitæ tam breuis hora fuit?
Cur breuis hora fuit? rerum ſic voluitur ordo,
Alternatq; ſuas tempus & hora vices.
Si fera longéua tribuiſſent fata ſenecta
Tempora, venturis poma dediſſet ager.
Flos perijt, periere ſimul cum cortice fructus,
Aridaq; ante ſuos poma fuere dies.
Nemo tamen lacrumis, nec triſtia funera fletu

Fœdet:

Fœdet: cur? volito docta per ora virum.

Obijt anno Domini M. D. L. xv. Kalend. Sept. annos natus XXIV.

IBIDEM.

Ne taillez mains industrieusses
Des pierres pour couurir BELLEAV,
Luy mesme at basty son tombeau,
Dedans ses pierres pretieusses.

REMIGII BELLAQVEI.

Poetæ Laureati, qui cum pietate & cum fide, vndè quinquagenariam pulcherrimè omnibusq; gratissimis vixit ætatem, extinctos cineres, Diuæ Cæciliæ pijs sodalibus solicitandos, supremi voti obseruantissimi curatoris, pridie Non. Mart. CIↃ. IↃ. LXXVII. mœstissimo funere hoc in tumulo deposuerunt.

IN COLLEGIO SOCIET. IESV.

Religionis amplificandæ studio HENRICVS III. Christianiss. Rex Franciæ atque Poloniæ, in Augustiss. IESV nomen pietatis suæ monimentum hunc primum lapidem in eius templi fundamenta coniecit, Anno Domini CIↃ. IↃ. LXXXII. D. xx. April.

IN D. MARIAE.

Paulus AEmilius Veronẽsis, huius Ecclesiæ Canonicus, qui præter eximiam vitæ sanctitaté quanta quoque doctrina præstiterit, index atque testis est historia de rebus gestis Francorum, posteris ab eodem prodita. Obijt anno Domini millesimo

quingentesimo vigesimo nono, die quinta mensis Iulij.

Τῷ χριστῷ ἀπάντων σωτῆρι.

dicatum

Pijs dormientium animis.

Nobili viro IOANNI VOLANTIO, quondam Neustriæ quæstori diligentissimo, regiæque aulę à secretis fidelissimo, coniugi suo charissimo, Izabella Bruna, in certam resurrectionis spem fieri curauit 1556.

QVI LOQVITVR DORMIT.

Vitam transegi perfunctus honoribus amplis,
Displicui nulli, iam tibi munde vale.
Nunc cinis, at viuam, iudex cùm venerit æquus
Omneis ante suum sistere iudicium.

IOANNI VOLANTIO patri chariss. mœrens filius fecit.

Obijt 1550. 13. Calend. Septembr.

LVDOVICVS GAYANT, probus senator,
Quem nulla flexit vnquam cupiditas,
Durum laborem qui respuit nunquam,
Qui populo vixit magis quàm sibi,
Sepultus isto iacet in sepulchro.
Idem impiger lustra nouem vixit,
Sed ter quinq; lustra natus decessit.

Perpetuæ memoriæ Bernardus Fortia Senator defuncti gener posuit. Interijt die prima Octob. 1565.

IN COEMETERIO.

ΘΕΟΣ ΕΝ ΕΛΠΙΔΙ.

Io. Cognetii V. impr. summæ piet. ac relig. agendis in cur. pupill. vid. & paup. causis patroni clariss. & frequentiss. Radeg. item Ferrutiæ integerr. matris f. ac omnibus mulieris fortis dot. insignitę ciner. Angel. & Guill. fratres, tam sanctis parentibus Deo grati & glorij, non admodum exquisito opere hunc tum. pos. Virum vxor obiens anteuertit XVI. Cal. Febr. anno à restit. sal. M.D.XLII. cuius obitu sol. matr. totus ille Christum spirans, Christo inspirante & vltro vocante, in sacerdotum ordinem cooptatus est, non vt sacerdotiorum reditu augeretur, quæ sæpius oblata recusauit; sed vt sacræ illius victimæ iugi & perpetua oblat. Dei spiritu & gratia auctior fieret. Is quoq; vt in otio nec otiosus, nec sibi vixit, excerpta multa ex vtr. Testam. Patrumq; comment. in vnũ vol. digessit: cogitans, vt dicere solebat, sacerdotum, qui instructam biblioth. non haberent, tantillo diuinarum sentent. fasce leuare inopiam. Quæ omnia ne gratiæ potius & assentatę. quã veritati tributa, viator, putes, testem omn. illius temp. ordinum memoriam appellamus. Obijt Io. Cog. an. à partu Virg. M.D.XLVIII. ætat. LXXXII.

CRAINTE EN ESPOIR.

IACOBI CAGELLI REGIS ADVOcati dignissimi.

Quid tam frequentes huc amici curritis?
A me quid exspectatis hiantes amplius?
Non sat loquuntur, clamitantq; marmora?

Nam

Nam quãtus erat CAGELLVS hoc tumulo iacens,
Non possum, Apollo non potest, non deniq;
CAGELLVS ipse, si resurgat, dicere.
Quanto ingenij splendore, quanta argutia,
Sapientia, scientia, eloquentia.
Quàm magno animo, quàm libro, integro, probo.
Quotquot fuerunt, temporibus omnes suis,
Si non superauit, continuit certè pares.

Hæc vix proferebat Antonius Lapiteus amicum illum lugens, qui decesserat ann. à seruatis hominibus 1541. Aug. Cal. 13. Optate illi quietem perpetuam.

IN SVMMO TEMPLO.

Quem cathedra decorauit honor, quẽ sanguis auitus,
Quem morum grauitas, hîc iacet ODO situs.
Præsulis huius erat, quod habent hæc tempora rarò,
Mens sincera: manus munda: pudica caro.
Lenibus hic lenis: toga nudis: victus egenis:
Vita fuit iuuenis clara, probata senis.
Bis sexcenteno Christi quartoq; bis anno
Tredecimo Iulij transijt ODO die.

IBIDEM.

HVGONI MYETAEO, natalium splendore, & Iurisprudentia clariss. viro suo, Radegundis Molinia, vxor pientiss. nouissimum hoc fidei pietatisq; monumentũ posuit, vt is ob oculos positus, liberis suis primùm memoriam sui refricet, deinde cõsanguineis, affinibus & amicis animam commendet: cæteros verò officij admoneat, quãdo eos sors eadem manet, tales in se, vbi decesserint, viuos; quales, dum viuerent, in mortuos fuerint, experturos.

ros. Obijt v. Idus Decemb. M. D. XXXIV. hîc in familiari Myetææ gentis sepulchro conditus.

IN SS. COSMI ET DAMIANI.

Nobilissimo, pijssimo, omniq́ue disciplinarum genere cumulatissimo, D. CLAVDIO ESPENCAEO, Theologorum huius seculi facilè principi, paterno quidem genere ex clarissima Espencęorum, materno illustri Vrsinorum familia orto, diuini verbi præconi celeberrimo, pauperum patri benignissimo. qui cùm per XLVI. annos continuos in hac prima omnium Academia literis humanioribus, Philosophicis & diuinis operam cum omnium incredibili admiratione nauasset; à Rege Christianissimo Francisco I. Melodunum, ab Henrico II. Bononiam, à Francisco II. Aureliam, à Carolo IX. Possiacum, inter religionis primos huius augustissimi regni proceres, partim legatus, partim orator, de re Christiana sanctissimè doctissimeq́ue disceptasset; permultos in sacrosanctam scripturam commentarios edidisset; tandem grauissimo calculi morbo diu multumq; vexatus, cum omnium principum senatorũ, nobilium plebeiorumq́ue luctu ac desiderio obijt, anno ætatis LX. die V. Octob. M. D. LXXI.

Guido Gassarus Flamini9 Prior sanctæ Fidis apud Columerios, eiusdem amanuensis, & per annos XVII. negotiorum gestor deuinctissimus, hanc effigiem cum suo elogio piæ domini charissimi & benignissimi memoriæ erigebat, & mœrens ponebat, Anno M. D. LXXII. die vltima Ianuar.

IN COELESTINORVM.

Hoc tecum illustris Pario LVDOICE sepulcro
Iuncta Valentinæ coniugis ossa cubant.

Emeri-

Emerito Insubris tibi iura ducalia sceptri,
Tradita legitimæ præmia dotis erant.
Subiacet & Carolo clausus cum fratre Philippus,
Inclyta iam vestri pignora bina thori.
Magnificus Carolo nascens Ludouicus ab alto
Hac posuit larga busta suprema manu.
Sforciadem indigna pepulit de sede tyrannum,
Et sua qui Siculas sub iuga misit opes.
Vt tantos decorata duces Aurelia iactat:
Gallica sic illo sceptra tenente tument.

Quis tumulum posuit? regum Rex maximus ille
Filius, & regum rex LVDOVICVS *honor.*
Quando? post Ligurem, Insubrem, Siculumq; trium-
Post captos reges, Sforciadasq; duces. (phum,
Quis iacet hîc? magni heroës LVDOVICVS *& vxor*
Alma Valentina, regia progenies.
Aurelî proceres, Carolus cum fratre Philippo.
Ille auus, illa auia est: hic pater, hic patruus.
Qui genus? à Francis. studium quod? regna tueri,
Bellaq; sanguinea sollicitare manu.
Quæ mulier? Ducis Insubris pulcherrima prole
Ius Mediolani sceptraq; dote dedit.
Viuere debuerant, propter facta inclyta, semper?
Debuerant: sed mors impia, cuncta rapit.
Hos ergo rapuit proceres? non, corpora tantùm.
Semper erunt animæ, gloria semper erit.

Ludouicus Rex XII. quieti perpetuę, & memoriæ perenni, illustrissimorum Principum Ludouici aui, Valentinæ auiæ, Caroli patris, piissimorum pientissimorumque parentum, ac Philippi patrui. Feliciter M. D. III.

IBI-

IBIDEM IN SACELLO DVCVM AVRElianensium.

Adsta viator, non leue est precium moræ.
Hic grande paruo cor duplex iacet loco,
Regis Ducisq́ꝫ, Regis Henrici Ducis
Mommorancij Annæ, per gradus qui singulos
Ad militaris ordinis fastigium
Peruenit, & res maximas sub maximis
Domi foruq́ꝫ Regibus gessit tribus,
Francisco & Henrico, vltimoq́ꝫ Carolo.
Sed præcipua quo singularis & fides
Inter Ducemq́ꝫ Regem ac Henricum fores
Testata; corda iussit amborum simul
Rex ipse poni pignus haud dubitabile,
Quòd iuncta eorum vita perpetuò fuit,
Hic iuncta quorum mors habet vitalia.

DE EODEM GALLICE IBIDEM.

Cy dessoubs gist vn coeur plein de vaillance,
Vn coeur d'honneur, vn coeur qui tout sçauoit,
Coeur de vertu, qui mille coeurs auoit.
Coeur de trois Roys, & de toute la France:
Cy gist ce coeur, qui fut nostre asseurance.
Coeur qui le coeur de iustice sçauoit,
Coeur qui le ciel honnora des' enfance.
Coeur non iamais ny trop haut ny remis,
Le coeur des siens, l'effroy des ennemis.
Coeur qui fut coeur du Roy Henry son maiste.
Roy qui voulut qu'vn sepulcre commun
Les enfermast apres leus mort, pour estre,
Comme en viuant, deulx mesmes coeur en vn.

IBIDEM.

Quem tot magnificis celebrem Bellona triumphis
Reddidit Heroëm Mauorte & Marte calentem:
Quem tot virtutum titulis, senioq; verendum,
Mente fideq; etiam dederat sors prouida seclis:
Quem tot bellorum casus, tot signa trophais
Ampla, tot exstructis spolijs hostilibus arcus,
Tot currus, aquila, monumentaq; maxima rerum
Victorem referunt extremos solis ad ortus.
Quem ceu Scipiadem Reges timuere Ducesq;,
Dum patria multos peperit cum laude triumphos:
Quem ceu Pompeium demissis constat ab armis
Ciuilem petijsse togam, potiora quietis
Armis dona ratum, portum spirantibus vndis.
Non cedens fato appensis ad carbasa remis.
Annas magnanimus Dux Momorancius heros
Occubuit, dum persequitur Regisq; Deumq;
Hostes, Parisia constructoq; agmine tentant
Vrbis pinnatos furibundi inuadere muros.
Sic pro Rege, fide, sic dum pro legibus arma
Ferre parat patrijs, libertatemq; tueri;
Consilio senioq; grauis Dux occidit, astris
Spiritus infertur, Pario sub marmore corpus
Conditur exculto sacratum nobile busto.
Pixide sceptrigeros queis deseruiuit in armis
Henricum natumq; Duces, splendentia regna,
Lilia Francorum generoso corde secutus,
Quorum corda sacris bustis auroq; sepulta
Exsuperans, tumulata suis amplectitur vlnis
Calestina domus, turritam pignore Memphim.

Ergò

Ergò sit inuictus Gallus, sic transeat hospes,
Regibus æterno cor iunctum fœdere Francis,
Longæuiq; Ducis resoluto corpore mentem
AEthereos adijsse lares, nomenq; perenne
Oceanum Boreamq; suis mandasse triumphis.
IN PACE REQVIES.

IN PEDE COLVMNAE.

Cor iunctum amborum longum testantur amorem
Ante homines, iunctus spiritus ante Deum.

HENRICI II. CORDI S.

Pyramidos huius si quis mysteria gliscit
Nosse, sub ista suo cor pede Regis habet.
Virgineos habet triplici sub imagine vultus,
Ac Charites trinas signat imago triplex.
Prima fidem propriè signat, spem ritè secundu,
Tertia dilectam denotat esse Charin.
Quas rex Henricus miro possedit amore,
Has veluti sponsas notus habebat amans;
Firma Fides Regis, Spes certa, Charisq; perennis,
Nullis temporibus deseruisse virum.
Hinc fit vt admixtas cernamus iungere dextras,
Quòd nusquam fuerit Rex pius absq; tribus.
Iure manus igitur coniunctas semper habentes
Absq; tribus scandit nullus ad astra, docent.
Carminis istius lectorem quemq; monebo,
Hoc Regina suum cor cupit esse loco,
Dum vita Lachesis præsentes finiet annos,
Et fuerit propria morte secuta virum;
Vt quorum fuerit cor vnum, atq; vna voluntas,

Dum simul amborum mutua vita foret,
Corporibusq; suis vnum viuendo cubile
Vt fuit, vt viuis spiritus vnus erat:
Sic quoq; mors properans minimè diuisit vtrumq;
Vt fuit, illorum sic erit vnus amor.
Istius ergò rei sit Pyramis optima testis,
Quæ simul amborum corda ligata tenet.

DISTICHON.

Hic sua rex, regina simul statuêre reponi
Corda, locus veri pignus amoris erit.

IN S. IACOBI.

D. IMMORT. OPT. MAX. ET CHRIsto Iesu hominum saluatori sacrum.

IOANNI FERNELIO Ambianensi Henrici II. Galliarum Regis Consiliario, & primo medico nobilissimo atque optimo, reconditarum & penitus abditarum rerum scrutatori & explicatori subtilissimo, multorum salutarium medicamentorum inuentori, veræ germanæque medicinæ restitutori: summo ingenio, exquisitaque doctrina mathematico, omni in genere Philosophiæ claro, omnibusque ingenuis artibus instructo, temperatissimis sanctissimisque moribus prædito, socero suo pientissimo, Philibertus Bercotius supplicum libellorum in regia magister, magnique regis CONSILII præses, affinitate gener, pietate filius, mœrens posuit, anno à salute mortalibus restituta M.D.LVIII. Obijt XXVI. April. an. M.D.LVIII. Vixit an. LII.

STE-

STEPHANVS GOVARDI AB AMERONGEN VLTRAIECTENSI, IOAN. F. mœstus posuit.

Quisquis ad hoc venies nō grandi ætate sepulchrum,
Disce; malo poteris doctior esse meo.
Formæ nemo suæ confidat, nemo iuuentæ.
Lanificas nequeunt ista mouere DEAS.
Nec iuuat immensis dedicisse laboribus artes;
Mors etiam doctis inijcit atra manus.
Mî nihil illorum facilis natura negarat,
Et tamen obscuras cogor inire vias.
Securus miser exitij, ignarusq́; futuri,
Viue memor leti: mors inopina venit.

Obijt Lutetiæ, ann. ætatis XXIV. XIX. Nouemb. ann. M. D. LX.

IN S. OPPORTVNI.

FRANCISCI CONNANI.

Vxor mœsta sui dum cernit busta mariti,
Tunc ternos amplexa, gemens, in funere, natos;
Quid me linquis, ait, miseroq́; dolore sepultam
Deseris ô coniunx? Ah si nunc cara iugalis
Te tenet vlla thori; lacrymis gemituq́; tuorum
Flecteris, hanc animā, quæso, rape; namq́; perempta
Te superesse piget, nulla fruar antè quiete,
Quàm mihi fatales dissoluant stamina Parcæ.
Iamq́; dolore amens tabesco, & tempora vitæ
Longa meæ nec erunt: primisq́; extinguar in annis.
Mors mihi grata foret, posituræ morte labores.
Et nos vna duos tandem teget vrna: meusq́;
Spiritus æterno tecum potietur amore.

AD DOMINICANOS.

Hic situs in parua IANVS PASSERTIVS *vrna*
Ausonij Doctor Regius eloquij.
Discipuli memores, tumulo date serta magistri,
Vt vario florum munere vernet humus.
Hoc culta officio mea molliter ossa quiescent,
Sint modò carminibus non onerata malis.

VENI, ABII; SIC VOS VENISTIS,
ABIBITIS OMNES.

ALIVD.

Miseri beatus portus hic est corporis,
Commune tectum, turbida vitæ quies,
Nemo vnde aberrat, cæca sit licet via,
Egreditur vnde nullus, ingressus semel
Necessitatis lege: sed potentior
Hinc Christus inuictum viuus extulit pedem,
Ad astra functis liberum pandens iter;
Hac habito tandem clausus æterna domo,
Vbi opes auari condita Ditis iacent.
Qui sim viator, quæris? ipse nescio:
Qui sis futurus, tu tamen per me scies:
Ego, tuq; puluis, vmbra, & vmbra somnium.

IOAN. IAC. MEMMIVS, FRR. F. IOAN.
IAC. N. SVPPL. LIBELL. IN REG. MAG.
DISCIPVLVS PRAECEPTORI CHARIS.
HOC MON. DE SVO FACIEND. CVRAVIT.
OBIIT XVIII. Kal. Octob.
DIE S. CRVCIS, CIƆ. IƆ. C II.

IN

IN S. SEVERINI.

REVERTATVR PVLVIS IN TERRAM SVAM, & SPIRITVS AD DEVM, QVI FECIT ILLVM.

Expecto donec veniat immutatio mea.

Dulciss. coniugi, matrique pientiss. MARIAE CVRTINAE POMPONIAE, in medio ætatis flore à mustopartu ad mœstum suis portum ereptæ. cuius cineres sex filijs sub hoc famil. tumulo, maribus 4. feminis 2. obuoluuntur, chariss. marit. Pet. Crassinus Ablonius Sena. Paris. ac curta supellex tenelli duo liberi, maternæ relliquiæ mas & fœmina superstites tātisper, dum hic in spe fata summissi opperiuntur. piet. & hon. ergo posuere. Obijt 4. Cal. Septemb. anno 1550. ætatis 20.

Tu precare viator his quietem.

Bonum est in silentio præstolari salutare Dei.

IBIDEM.

Nobilitate generis Comitum Orientalis Phrisiæ & animi corporisq; dotibus præclaro Dn. ENNONI de EMBDA, ciuitatis Embdensis Præposito ac electo Satrapæ, propter certam huius corporis resurrecturi spem, ac in amoris sinceri testimonium, auia materq; pia vnico suo filio, qui hîc ex studiorum cursu, patriæ ac amicis omnib. magno cum luctu, anno ætatis suæ XXIII. morte præreptus est, hoc monumentum statuerunt. Anno Domini 1545. 18. Iulij.

IOAN. RAYSII PATRICII FRANCOFVRTENSIS AD MOENVM.

Heu nimiū propera præreptus morte IOANNES

RATSIVS hoc tumulo conditur exanimis.
Germanus patriâ, Rheni prognatus ab oris,
Francforti patrio stemmate clarus erat.
Non laus ingenij, non virtus defuit illi,
Non constans veræ relligionis amor.
Et iam spes patriæ non parua, sed vltima stirpis,
Nî cita venisset mors, erat ille suæ.
Ergo bonos tu quisquis amas, hunc plange viator:
Et velut ille opta te benè posse mori.

I. R.

Obijt anno salutis M.D.L. die III. Augusti. ætatis verò suæ 20.

IN S. ANDREAE.

Vxor cara sui condit dum mœsta sepulcrum
Coniugis, & cineri persoluit iussa recenti,
Bis senos complexa gemens in funere natos:
Nostri, ait, ô coniunx, qui nunc dulcissima amoris
Pignora discessu linquis, si cura iugalis
Te tenet vlla tori, lacrymis luctuq; tuorum
Flecteris; hanc tecum, ô tecũ rape. namq; perempto
Te vitam moror inuisam, & nunc ipsa perenni
Exsternata malo placida iam morte quiescam.

D. O. M.

CHRISTOPHORO THVANO August. F. Iac. N. Equiti, qui omnibus togæ muneribus, summa cum eruditionis, integritatis, prudẽtiæ laude perfunctus, amplissimosq; honores sub Franc. I. Henr. II. Kar. IX. Henr. III. Christianiss. Regibus consecutus, Senatus Paris. Præses, dein Princeps, sacri Consistorij Consiliarius, mox Hen. tunc Aurel. ac demum

domum Franc. Andeg. Cancellarius; tandem, cum de iudiciario ordine emendando, quæstura, regno fraudibus ac rapinis vindicãdo, & scholarum disciplina restituenda cogitaret, nulla inclinatæ ætatis incommoda antea expertus, ex improuisa febri decessit, vxor liberiq́ue mœr. PP.

Vixit ann. LXXIV. D. V. Obijt anno salut. CIↃ.IↃ.XXCII. Kal. Nouemb.

POSTERITATI.

ANNAE THVANAE feminæ clariss. atque lectiss. cor & viscera heîc iuxta tumulum CHRISTOPHORI THVANI patris, cuius illa viri viua cor fuit, PHIL. HVRALTVS Franciæ Cancellarius, hoc, quod postremo officio pijs opt. Soceri manibus parentans, condidit, reliquum corporis B. M. coniugis in monumentum maiorum suorum in arce Ceuernia nuper abs se instauratum, inferri cur. vt qua cum ann. P. M. XVIII. coniunctissimè vixit, ab ea nec morte diuellatur. Obijt XVI. Kal. August. an. sal. CIↃ. IↃ. XXCIV.

MENS SANA IN CORPORE SANO.

IBIDEM.

PETRVS SEGVIERIVS AN. DOM. M. D. LXXX. Octob. XXV. Hora secũda, à media nocte mortalitatem expleuit, magno mœrore assidentis coniugis & circumiacentium liberorum. Longa illi ætas, annum sextum & septuagesimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione honores multi, ciuis egregius, fortissimus aduocatus, iudex rectissimus; Vidit illũ Senatus Præsidem, antiquis illis (nihil est de modestissimo viro dicẽdum elatius) parem: fortuitorũ magna copia, vxor opt. liberi pientissimi, opes speciosæ, firma valetudo,

IN S. CATHARINAE.

Quid tibi opus statuâ? satis est, statuisse BIRAGE,
Virtutis passim tot monumenta tuæ.

RENATO BIRAGO Patricio Mediolan. multis & summis dignitt. functo, tum Franciæ Cancellario, ac demum S.R.E. Card. FRANCISCAE F. vnica & CAES. BIRAG. Agnat. mœstiss. non memoriæ, sed desiderij perp. monum.

H. P. C.

Vixit ann. LXXVII. M. IX. D. XXVI. Obijt VIII. Kalend. Decemb. M. D. LXXXIII.

IBIDEM.

Verus amor, qualis castos est inter amantes,
Qui subiere duo connubiale iugum,
Non vnquam moritur, prius hoc moriente, vel illa,
Simplice sed tumulo cor stat vtrumque duplex.
Namque ego quæ duxi FRANCISCA BIRAGA maritum
VALLAEVM IOANNEM fida, superstes, amās:
Eius in hoc loculo posui cor, donec eodem
Cor quoque ponatur post mea fata meum.
Filia & amborum iacet hic sita MARGARIS, vt sit
Amborum fidi fœderis ipsa fides.

Obijt XII. Kalend. Octob. M. D. LXXVIII.

IN D. PAVLI.

FRANCISCI MAVGERONI CL. ET *generosiss. adol.*

Ante tempus decidit flos: & prematura mors spem patriæ, principis, & parentum fefellit, in expugnatione Isoriæ,

Quid marmor, aras, & artes suspicis?
dignus fuit hoc honore
QVAESLEVS, ingenio præstans, moribus
facilis, adspectu
Gratus: cui artes erant, virtutē colere, Deo, Patriæ,
& Principi seruire: non iniuriā, sed mortē patienter Tulit. grati animi est hoc monumentum.
Obijt IV. Kal. Iunij an. M.D.LXXVIII,
AEtat. XXIV.

QVAESLEVS iacet hic, Martis certissima proles
Martia, si Parcæ tempus ad arma darent.
Quantum vi inuictus, tam mente & moribus æquus,
Felix, si felix non nimis ille foret.
Inuidiam peperit virtus maturior annis,
Casus at inuidia viuit in inuidiam.

IN S. GERMANI.

ANNAE THVANAE, quæ sanctitate morum, matronali decore, præclara pudicitia & felici fœcunditate viro probata, in ipso ætatis flore, quod mortale fuit, reliquit; vt quod immortale est, cōsequeretur. PHILIPPVS HVRALTVS CHEVERNIVS post iusta funebria, & corpus maiorū sepulcro ritè inlatum, in sacro hoc secessu, quo illa frequēs Dei cultrix adire solita fuit, hūc quoq; tumulum pos. suis communibus liberis, maternę pietatis & religionis documentum ac monumentum.
AEternæ memoriæ vxoris incomparabilis.
Vixit ann. XXXV. M. VI. D. XVII.
Obijt anno M.D.LXXXIV. D. XVII. Iulij.

IBIDEM.
INCERTAE POSITIONIS
SYLVII MEDICI.

Imò animus Cælos notâ regione secutus
Iam sua metitur sidera; Lector, abi.

PHILIPPVS AVENELLIVS mœrens amico suauiss.

Obijt xv. Kalend. Quint. de media nocte, Lutetiæ Parisiorum, anno Domini cIↃ. IↃ. LXXIX. In suburbio Honoratiano, domi Mareschalli Retzij summo omnium bonorum doctorumque dolore, natus annos LII. M. II. duobus diebus minus.

D. M.

Asta Viator, ni piget, & hæc pellege,
Dum pauca legis heic multum odorum colliges:
RONSARDVS etenim flos Poetarum heic situs est.
Quis ille fuerit, litteratus dat silex,
Suopte sculpsit ipse quem cælo, indicans
Sua camœnas morte dare mortalium
Nisi nominis perennitatem nemini.
Ast illæ amœno matris in sinu hospitæ,
Nati ossa propria conlocauerunt manu,
Laurusque vati vix suo superstites
Panxêre simul, has vt tepens foueat cinis.
Quid si se humari & iusserint, grati vt siet
Spes nulla reditus sæculo ingratissimo?

CL. BINETVS P. RONSARDO
Poetæ incomparabili,
effusis totius Galliæ lacrumis
mœrens B. M. Pos.

PETRVS RONSARDVS iacet hîc: si cætera nescis,
Nescis quid Phœbus, Musa, Minerua, Charis.

D. IM-

DEPOSITVM EST.

KATHARINA PALLVDELLA coniux amantiss. coniugi amantiss. & Lodoica ac Maria filiæ Kariss. Patri obseruandiss.

PITHOEVS hic iaceo, mecum & karißima coniux,
Sic compar vita, compare morte fruor.
Improbe quid rides? casti sacra nescis amoris:
Nil non, vel cineres, hac comite esse iuuat.

EX ALTERA PARTE.

Sint inscripta licet titulo duo nomina, duplex
Vtque oculis teneat corpora Sarcophagus:
Vnū est idem, ac totum tamen est. nam mutua præstant,
Dimidiumq; alij, dimidiumq; sibi.

INSCRIPTIO FONTIS IN VICO S. ANTONII, Anno 1577.

Hanc deduxit aquā duplicem BIRAGVS in vsum,
Seruiat vt domino, seruiat vt populo.
Publica sed quanto priuatis commoda, tanto
Præstat amore domus publicus vrbis amor.

RENATVS BIRAGVS Franc. Cancell. publicæ commoditati.

AD GVILIELMITAS.

Hic iacet immiti præreptus morte PAPINVS,
Quem primo genitum luget vterq; parens.
Picto fuit, magnam sed dum venisset in vrbem,
Ciuis vbi ductâ coniuge factus erat:
Protinus exarsit ciuili Gallia bello,
Atq; ipsa in Regis plebs furiosa caput.
Hic dum Burbonidæ sequitur pia principis arma,
Ante vrbis muros & patris ora cadit.

Nate,

Cepit & Henricus, regno depulsus auito,
Bellata auspicijs sceptra Britanna tuis.
O plures longinqua dies si fata dedissent,
Te nullus toto maior in orbe foret!

Vixit an. 28. Obijt an. 1498. mens. April. d. 7.
Opus Laganini Mutinensis.

IN DIVAM LODOICAM REGIS MATREM.

Altera progenie felix Berecynthia mater
Hoc Mausoleo Diua LOYSSA iacet.
Franciscum Regem peperit, sceptroq; dicauit,
Fortuna semper celsior ipsa sua.
Fortiter ille acie pugnans cum sorte maligna,
Seu fati inuidia captus ab hoste foret:
Regnum hæc tantisper sine turba & murmure rexit,
Armis, consilio, iustitia atque fide.
Dum postliminio regem, natosq; recepit,
Et patrio plaudens restituit solio.
Tandem inter Reges, sedando bella per orbem,
Percussit pacis fœdera perpetuæ.
Ferrea mox domito cesserunt secula Marte,
Atq; ætas Francis aurea sic redijt.
Cedite quondam Asiæ Reginæ heroides. vna hæc
Terrarum imperio digna LOYSSA fuit.
At Francisce doles, quasi nil de matre superfit?
Desine. nam extingui gloria tanta nequit.
Officio in matrem si quis præcelluit olim,
Primas (vel Momo iudice) solus habes.
Iamq; pia vmbra vale; inferias & iusta sepulcro
Soluimus: at mente vota precesq; damus.

Mens quippe ætherea Christo conregnat in arce
Felix, & superûm vescitur ambrosia. 1531.

CARLOTAE VALESIAE, FRANcisci Francorum Regis natæ maximæ sepulchrum.

CARLOTA octaui metas properabat ad anni,
Cùm pro se lacrymas, liquit & hunc tumulum.
Qua nihil hac ætas præstantius indole vidit,
Aut quo penderet certius auxilio.
Tantum quippe inerat specimen virtutis amorq́;
Vt fessa ingenti secla leuasset ope.
Ecce Deo visum secus est: qui limine in ipso
Irrita, cùm libuit, votaq́; spemq́; facit.

IBIDEM.

Hoc oriens, illo virtus prouecta sepulchro
Clauditur: hoc nata, matris at illud habet
Ossa. breui tantam iacturam fecimus. eheu
Condidimus natam matris in exequijs!
Illa decus, spes hæc orbis, duo sidera quæ nunc
Ante Dei meritis sedibus ora micant.
Nos nostro interea premimur, Francisce, dolore
Atq; tuo, heu nullis rebus habenda fides!

MEMORIAE AETERNAE

Optimi & mitissimi Principis CAROLI NONI, Regis Christianissimi: bonarum artium ingeniorumque fautoris liberalissimi, & fidei ac Religionis Catholicæ propugnatoris acerrimi.

CARO-

CAROLVS exspectat loculo Rex nouus in isto
Supremi clangat dum tuba iudicij.
Quem quicumq; bonus nouit, benè luxit acerbè
Extinctum, viuum deperijt tenerè.
Leni adeò fuit ingenio, leni bonitate,
Aspectui leni; lenior alloquio.
Aspera enim cùm sæuirent circum omnia in illum,
Confluxit lenis quidquid vbique fuit.
Nam puer ad sceptrum venit regale decennis,
Annos quod tredecim dimidiumq; tulit:
Continuis in proditionibus atq; periclis
Belli intestini, & iugibus insidijs,
Maiorum dum sacra pius fortisq; tuetur,
Nec pessum cultus ire pius patitur.
Hæreticos reprimens cæca ambitione rebelles,
Numinis oblitos, Principis, & patriæ,
Donec præcipiti fato tum desijt esse,
Heu quando potius debuit incipere!
At tu pro tanto veræ pietatis amore,
Quæso bone, & tanta pro bonitate, Deus,
Hunc facias numerum in cœlis augere bonorum,
Et sedem manes inter habere pios.

ALIVD.

Bis septem totos bellum tibi iuge per annos,
Quos Rex vixisti Carole, penè fuit,
In desertores patriæ, teloq; rebelles,
Dum pro aris pugnas fortiter, hæreticos.
Sacrilegis quorum è manibus regnum asseruisti,
Ter varia raptum proditione tibi.
Verùm hoc dum retegis scelus radicibus imis,

Supplicijsq́ reos afficis emeritos;
Ecce nefas prima moriens in flore iuuenta,
Manè velut cùm sol deficit exoriens.
Proh dolor, heu spes frustratas, & vota piorum,
Ante diem cursu deficis in medio.
Iustitia & pietate tuam fulcire coronam,
Nempe hoc, & duplex illa corona fuit.
Qua pro mortali semper durabile cingit
In cœlis capiti nunc diadema tuo.

Vixit annos XXIII. mens. XI. & dies III. Regnauit annos XIII. menses V. dies XXIV. Obijt in arce Vicennatum 3. Cal. Iunij, anno 1570.

IBIDEM SVB EFFIGIE REGIS Dagoberti.

Fingitur hac specie bonitatis odore refertus
Istius Ecclesiæ fundator Rex DAGOBERTVS,
Iustitiæ cultor, cunctis largus dator æris,
Affuit & sceleris ferus ac promptissimus vltor.
Armipotens bellator erat, velutiq́ procella
Hostes confregit, populosq́ per arma subegit.

AMBIANI.

IN B. MARIAE.

FRaternam dum mente animam sequor astra petentem,
Et cupio hac condi, qua tumulatur, humo:
Quod mea, quod nostra non tantum gloria gentis
Occidit, ast huius lausq́ decusq́ soli:

Audijt

Audijt orantem madidum de sede beata,
Reddidit ad questus talia verba meos.
Desine frater, vt hac capias miracula, vinctus
Sum liber, moriens viuo, recedo manens.
Ossa tegit lapis hic, liber sed in æthere viuit
Spiritus, inter vos per mea scripta moror.

BELLOVACI.

IN D. PETRI.

D. DE FOSSE CANONICI.

NAtus humo, defossus humi, caleste sepulcrum
Quæro: requirentis iam miserere Deus.
Si leuiter colui te, aut segniter intus amaui,
Hoc vetus inflixit reptile vulnus homo.
Ante diem rapior, raptum non deseris, imò
Eripis, erepto tu mihi vera salus.

IBIDEM.

Viue memor lethi, dum res est læta; repente
Nam mors nocturni furis ad instar, adest.
Cuiq; mori certum, nihil est incertius hora,
Viuit eâ sapiens qua cupit arte mori:
Nec tibi promittas decus ô iuuenile senectam;
Sæpe suum candens flos cadit ante diem.

BITVRIGIBVS.

IN D. PETRI.

IACOBO CVIACIO V. C.

TOLOZA illius, dum quondam Palladia fuit,

Alumno subcinericio, hærediq́ue ex asse posthumo. Rom. Iuris à summis conditoribus Interpreti primo & vltimo; cui quicquid puræ natiuæque lucis & scientiæ vndecunque accessit, ætas sua debet; postera etiam, si quæ legum cura manet, debitura est. P. PITHAEVS P. F. Doctori bene de se, bene de litteris omnibus merito M. P.

Vale CVIACI, nos te ordine, quem Deus & Natura iusserit, cuncti sequemur.

AGINNI NITIOBRIGVM IN AQVITANIA.

In Ecclesia fratrum Augustinianorum.

IVLII CAESARIS SCALIGERI, QVOD FVIT.

Obijt anno CIↃ. IↃ. LVIII. XII. Kal. Nouemb. ætatis suæ LXXV.

EXtulit Italia, eduxit Germania, IVLII
Vltima SCALIGERI funera Gallus habet.
Hinc Phœbi dotes, hinc duri robora Martis
Reddere non potuit nobiliore loco.

IVLIVS CAESAR ANIMAE SVAE PROFECTVRAE.

Egredere, ô miseris multum defuncta ruinis,
Egredere, & seruis seruilia regna relinque.
Aude, hospes, tenebris horrendi imponere finem
Exilij, & patria speratas quærere sedes.
Tristes exuuiæ, falsaq́ incommoda lucis,

Isthic

Isthic nunc fera turba iace. nos libera cæli
Pignora sperato iam iam potiemur Olympo.
Tu modò, nate Deo, rerum pia victima, IESV,
Aspice nos, qui cuncta animas spes vnica: mortem
Exue morte nouâ, atq; nouâ vita indue vitam.

M. ANT. MVRETVS IN IVL. CAES. SCALIGERVM.

Eminus ætherij collucens luminis aura,
Quæ radios toto disiicis orbe tuos,
Certaq; cognati retinens commercia cæli,
Tunc etiam cùm te deprimis astra vides:
Hæc tibi pauca tui mirator maximus offert
Carmina, at indoctâ non bene ducta manu.
Si liceat, tibi templa simul positurus, & aras:
Vsque adeo numen suspicit ille tuum.
At tibi pro templo cælum est humus ara: nec ipse
Iam renuit, quin sit victima sacra tibi.

ANDEGAVENSIA.

IN MAVRICII.

IOAN. OLIVARI EPISCOPI ANDEGAVEN.

IANVS Oliuarius iaceo hîc sub marmore duro,
Istius ædis eram præsul & immeritus.
Peccaui fateor (quis enim offendisse negabit?)
Ast venia in Christo spes mihi firma fuit.
Qui nostrum gratis abstersit morte reatum,
Et nos non nostris iustificat meritis.
Hanc spem vos fratres precibus votisq; iuuate,
Manibus vt nostris pax sit & alta quies.

Ac mortis memores bene viuite, & vsq; valete,
Sitq; eadem vobis post obitum requies.

IBIDEM.

Mortuus ecce licet iaceam, viuo tamen, & te
Hospes nil super hac morte timere velim.
Ipse abij, haud obij, nec mors hæc vera putanda est;
Parte ego cùm viuam nunc meliore mei.
Mors oculos tantùm premit, & sopor occupat artus,
Puriùs ac meliùs mens animusq; vigent.
Membra operit tellus, ea donec Christus ab alto
Excitet: hæc spes est, qua pia corda fouet.
Hanc precor hospes habe: hac discas contemnere le-
Et melius vita noxia quæq; feres. (thum,

ALIVD, QVOD IPSE EPISCOPVS de seipso paulò ante mortem scripsit.

Inquiris hospes qui sim? non sum amplius.
Quid agam? putresco, & vermium greges alo.
Qui fuerim? ineptus IANVS OLIVARIVS,
Peccator vnus omnium præmaximus.
Vnde? vrbe natus nobili in Lutetia.
Quo functus olim munere in republica?
Primùm Archiabbas Andium: pòst Pontifex.
Quæ otia? sacratas paginas euoluere.
Quid hac in vrna superat? ossa & cinis.
At quò animus? hospes contine, scire hoc nefas,
Arcana Diuûm non decet scrutarier,
Neu quid negotî sit Ioui cum manibus;
Satis superq; nosse erit fidelium

Post

Post fata mentes non mori: at quiescere,
Donec resurgant in priore corpore,
Augustiore quàm antea, feliciùs
Victura in æuum cum beatis omnibus.
Iam nosti abundè qui fuerim. at altißimis
Quando in tenebris nequeo te agnoscere;
Saltem hospes vnum hoc tete vt agnoscas, rogo:
Optesq́ veram mortuis pacem omnibus.

ALIVD EIVSDEM.

Pedem viator siste, specta paululum.
Hæc alta moles, quam vides, non tollitur
Surgitve in auras mortui huius gratia.
Cuius cadauer iam solutum in puluerem,
Penitusq́ adesum vermibus, non indiget
Tot arte sculptis lapidum aceruis obrui,
Cui deesse tellus neutiquam poterat leuis.
Sed nec sopore in tam profundo sensuum
Pictis Chimæris aut notis inanibus
Afficitur, vt vos vitam adhuc qui viuitis,
Et quantum ad vmbras luce cassas attinet,
Tumuli leuis iactura, & vrna qui caret,
Cælo Iouéq́ meliùs tegitur, vt dictitant.
Hic totus ergo tragicus ornatus tibi,
Viator, positus est, & ob causam tuam,
Oculos videlicet huc vt obuertas tuos,
Et has Sophorum perlegas sententias.
Queis subeat animo, temet esse obnoxium
Fato, atq́ vitæ tadeat miserrimæ:
Quæ nec horulam quidem obtineat vnquam satis
Tutam ac quietam mortis ab insultibus.

Quæcunq; spectas scilicet, eò maximè
Spectant, vt hac memoria mortis te instruat,
Omnia caduca & fluxa, quæ ceu maxima
Stupidi, leues, & inscij tam maximè
Mirantur homines; more magnanimi Herculis,
Vt monstra torua perdomare, ac fortiter
Calcare, flocci, nauci, nihili pendere,
Vitamq; puram heroicamq; ducere,
Et quæ ad supremam illam & perennem gloriam
Iugiter anhelet; quam Deus sperantibus
In se parauit, vt optimus sic maximus:
Collige viator, si hæc sapis, quid didiceris,
Oculisq; quantum debeas hodie tuis.
I iam, precare manibus pacem, & vale.

HVIC PVLCHERRIMO SEPVLCRO, QVAE SEQVVNTVR SENTENTIAE *imaginibus heroum illorum subscripta, adiuncta leguntur:*

MOYSES.

Puluis es, & in puluerem reuerteris.

PRIAMVS.

Fuimus Troës: fuit Ilium.

ARISTOTELES.

Vita malis plena est, post mortem vera voluptas.

ORATOR.

Qui mortem metuit, Philosophus non est: quippe aliam nescit vitam.

HORATIVS.

Debemur morti nos, nostraque.

OVIDIVS.

Morte carent animæ.

CICERO.

Nemo lugendam censet mortem, quam immortalitas sequitur.

PAVLVS.

Bonam vitam mors bona commendat.

DIOGENES.

Omnium rerum vicissitudo.

AESCHINES.

Peius est morte, te mori, spe mortis.

CATO.

Spem retine: spes vna hominem nec morte relinquit.

IVDAS MACHAB.

Sancta & salutaris est cogitatio, pro defunctis exorare.

SENECA.

Nemo tam diuos habuit fauentes, crastinum vt posset sibi polliceri.

SOLON.

Ante obitum nemo felix.

PLATO.

Tota vita sapientis, mortis est meditatio.

HIOB.

Homo quasi flos egreditur & conteritur.

PERSIVS.

Viue memor lethi: fugit hora.

IVVENALIS.

Mors sola fatetur, quanta hominum sint corpuscula.

VIRGILIVS.

Vbique luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

MVSAEVS.

Mortuus in portu est; at nos iactamur in vndis.

EVRIPIDES.

O quàm miserum est nescire mori!

TRISMEGISTVS.

Boni mortem, vt bonorum omnium maximum, optant.

DAVID.

Quis est homo & non videbit mortem?

PTOLOMAEVS.

Nemo mortem hilaris excipit, nisi qui se ad eam diu composuerit.

ORPHEVS.

Conciliat Diuos Pietas, & tartara vincit.

BOETIVS.

Mors hominum felix.

HOMERVS.

Mors optanda viris: requies ea certa laborum.

PINDARVS.

Quid est vllus? quid nullus? vmbræ somnium homo.

HESIODVS.

Corpus humum, cœlos mens, spiritus appetit auras.

PAVLVS.

Mihi viuere Christus est: & mori lucrum.

IDEM.

Cupio dissolui, & esse cum Christo.

IN OPPIDVLO COLLEVVRE APVD BITVRIGES.

FRIDERICVS RANZOVIVS Holsatus, patre natus

natus nobilissimo & amplissimo viro, HENRICO RANZOVIO, serenissimi Daniæ Regis Consiliario, & in Holsatio Legato, Domino hæreditario in Bredenberg & Drakenburg, &c.
Patris nempè fortissimi genuinâ virtute filius,
Familiæ columen, patriæ lumen,
Equitum sub Comite Basson pierro Magister,
Dum secunda Christianissimo Regi Galliarum stipendia meret, & fugatis hostibus, rariori comitatu, castris longius abscedit,
Naturæ debitum latronum sceleri persoluit,
Et mortalis corporis mortales exuuias cum stola cœlesti commutauit;
Eas per magistratum horum locorum honorificè collectas,
Et postea à nobilissimo viro Andrea Plessio cognato cognitas,
Mœrentes amici huic tumulo mandauêre.

Patriâ procul, patre procul,
Procul sepulchris paternis.
An hoc ille infelicior?
Non est, non est, viator.
Cur?
Fortibus & pijs omne solum,
Vt patria est, ita sepulchrum.
Et hoc si didicisti
Viator; abi.

AVINIONENSIA.

IN PALATIO PAPAE.

CLEMENS V. Pontif. absens electus anno CIↃ.

no CIↃ. CCC. V. Romanam Curiam Lugdunum transtulit.

IN D. FRANCISCI.

D. O. M. & memoriæ æternæ D. LAVRAE cùm pudicitia tum forma fœm. incomparabilis; quæ tamdiu vixit, vt eius memoria nunquam extingui possit: R. R. veterum monumentorum peregrini indagatores, D. Christophorus de Allegre Eques Lusitanus, & D. Antonius di Prat. prætor Parisiensis, & Gabriel Simonius Florentinus μνήμης χάριν, 4. Idus April. 1558.

Sola manet virtus, cætera mortis erunt.

RHEMIS.

IN MONASTERIO S. REMIGII.

Nominē non merito præsul HINCMARVS, *ab antro*
Te lector tituli, quæso memento mei:
Quem grege pastorem proprio Dionysius olim,
Rhemorum populis, vt petiêre, dedit.
Quique humilis magnæ Rhemensis tegmina plebis
Rexi pro modulo: hîc iam modo verme voror.
Ergò animæ requiem nunc, & cum carne resumptā
Gaudia plena mihi hac quoq; posce simul.
Christe tui clemens famuli miserere fidelis:
Sis pia cultori sancta Maria tuo.
Dulcis Remigi sibimet deuotio prosit,

Quā

Qua te dilexit pectore & ore, manu.
Quare hic suppetijt supplex sua membra locari:
Vt bene complacuit denique sic obijt.

Moritur anno Christi DCCC. LXXXII.
Episcopatus XXXVII. & amplius.

S. FVLCONIS ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS.

Hoc tumulo magni FVLCONIS membra teguntur,
Rhemorum sedis Præsulis egregij;
Germine nobilium quem Francia protulit ortum,
Aulaq; de scholis sumpsit & excoluit.
Hunc Deus assumptum statuit virtute probatum,
Ecclesiæ speculum, Pontificemq; pium.
Septenos, denosq; simul cui præfuit annos,
Tres menses, denos insuper atq; dies.
Auxit Episcopium, superaddens plurima rerum,
Vrbis & istius mœnia restituit.
Orbis honor, patriæ tutor, pietatis amator,
Pro studio pacis confoditur iaculis.
Septenum denumq; diem iam mensis agebat
Iunius, & dira morte peremptus obit.
Cui Matris Domini, pariter quoq; præsulis almi
Remigij pietas obtineat requiem. AMEN.

Obijt anno Christianæ salut. D CCCC.

IOVILLAE.

CLAVDIO à LOTHARINGIA, Renati regis Siciliæ filio, Guysæ & Aumaliæ Duci primo, Marchioni Mennæ, Iouillæ Baroni, Campa-

Campaniç Senescalco: & in eo Comitatu primùm, mox in Burgundiæ etiam Ducatu Proregi: magno Franciæ Chambellano: Gallor. Heluetior. ac Germanor. peditum Duci: turmæ centum cataphractor. equitum præfecto: Optimo Principi, patris patriç nomen adepto: parta insigni victoria de hçreticis ad Sauernam Alsatiæ oppidum: & Burgundis ac Belgis ciuibus conseruatis: immatura morte, magno omnium dolore & luctu, exstincto: Antonia vxor Borbonia, marito incomparabili; & vi. filij pari pietate parenti optimè merito mœstissimi P. P. Vixit annos 54. M. 5. D. 26. an. P. Christum natum 1550. prid. Idus April.

INSCRIPTIO ARGIS REGIAE BLESIS.

Hic vbi natus erat dextro LVDOVICVS Olympo,
Sumpsit honorata regia sceptra manu.
Felix quæ tanti fulsit lux nuncia Regis,
Gallia non alio principe digna fuit.
Faustus 1498.

NANCEI IN LOTHARINGIA.

IN D. GEORGII.

CAROLVS hoc busto Burgundæ gloria gentis
Conditur, Europæ qua fuit auiè timor.
GANDA rebellatrix hoc plebs domitore, crematas
Post patriæ leges, perpete pressa iugo est.
Non minùs hunc sensit tellus LEODINA cruentũ,
Cùm ferro & flammis vrbs populata fuit.

Monte

Monte sub Heritio Francas cum rege cohortes,
In pauidam valido truserat ense fugam:
Hostibus expulsis Eduardum in regna locauit
Anglica, primæuo restituens solio.
Bella ducum, regumq; & Cæsaris omnia spernens,
Totus in effuso sanguine latus erat.
Deniq; dum solitis fidit temerarius armis,
Atq; Lotharingo cum Duce bella mouet:
Sanguineam vomuit media inter prælia vitam,
Aureaq; hostili vellera liquit humo.
Ergo triumphator longæua in secla Renatus,
Palmam de tanto Principe victor habet.
O tibi, qui terras quæsisti CAROLE, *cælum*
Det Deus, & spretas antea pacis opes.
Nunc dic Nanceios cernens ex æthere muros,
A clemente ferox hoste recondor ibi.
Discite terrenis quid sit confidere rebus;
Hic totiens victor deniq; victus adest.

ALIVD IBIDEM.

Dux iacet hic CAROLVS, *Belgarum illa ignea virtus,*
Cui Mauors dederat bella gerenda pater:
Quem timuit subitis animosus Gallus in armis,
Cuiq; Alemannorum terga dedêre duces.
Quiq; animum Hesperias bellis agitabat in vrbes,
Sed subitò inuertit sors truculenta viam.
Nam cùm Ranerium bello sibi prouocat hostem,
Occubuit fuso milite stratus humi.
Quæ ne tanta viri laus intestata iaceret:

Hoc victor victi condidit ossa loco.

ECCe Leo CeCIDIt, IaM paX qVaesIta VIgebIt.

Corporis reliquias hinc transferri curauit Maria Caroli V. August. soror an. 1550. & Brugis, Flandrorum sumptuosissimo componi monumento.

POLONICA.

CRACOVIAE.

IN CRACOVIAM IVL. CAES. SCALIGER.

Martia Sarmaticis tētata CROATIA nimbis
Arcigeri pugnax spicula fregit equi.
Hinc belli fortunam armis, finemq; sequuta
Germana Hercinijs expulit arma iugis.
Quaq; patet solis fugiens Lituania campis
Victrici imposuit Martia signa manu.
Moscouijsq; docet, Turcisq; augusta trophaeis,
Vicinis quantum sit bene tuta quies.
Tessera certa manu stat belli, & pacis: vtramuis
Si des, accipiam: vel cape, namq; dabo.

INSCRIPTIONES.

SIG. Augusto, Sig. F. Casim. N. Iagellonio, Poloniarum regi, & magno Lituaniæ ac reliquæ Sarmatiæ Duci ac Domino. qui accisis R. R. vectigalibus recuperandis, & Lituanis ac Prussis ad regni corpus aggregandis, vindex dici meruit legum pub. Regi ipsi, & regum filio, nepoti, pronep. abnep. qui nulla suscepta ex tribus vxoribus sobole, eundem, heu, vitæ suæ, & stirpis ac Imperij Iagello-

gellonidar. qui bis centum prope annos in Polonia, hoc amplius etiam in Lituania, imperitarunt, terminum habuit. Princeps consilio quàm facto promptior: vtroq; etiam supra fortunam mitior: totus industrius, patiens, lentus, benignus. moritur Cnissini Non. Iul. anno orb. red. M. D. LXXII. regni sui XLIII. ætat. suæ LII.

Anna soror infans Poloniar. Frat. & Resp. principi opt. orbæ ac lugentes poss.

IBIDEM.

IOANNI à MIELECZ, Stanislai F. gente Griffo, Palatino Podoliæ, summo regni Poloniæ Marscalko, Samboriensi & Grodecensi Capitaneo, viro clarissimo, qui ab ineunte ætate maximis ijsque continuis bellis, vel hostibus cæsis, vel ipse vulneribus exceptis, & fortissimi militis, & strenui ducis laudē persæpe meruit. Summis demum nō rarò periculis liberatus, digna ob egregiā fidem & præstantem virtutem suam, collatis maximis honoribus, prœmia obtinuit. Postea ad bellum Liuonicū, summo cum imperio, magno omnium cum cōsensu profecturus feliciter, necdum armis expeditis, pacem à Rege Liuonibus petere coactis, incolumem exercitum suis restituit. cuius constans in D. O. M. pietas, in gubernanda R. P. spectata fides, in magistratu sine acerbitate grauitas, erga suos par comitati beneuolentia, in omnes æquitas, chara inprimis Deo, grata hominibus, immortalem nomini ipsius laudem apud omnes pararunt. Mortuus anno 1561. ætatis suæ 60. Anna à Daleiovv, ex vetusta Colorum gente, marito, & Nicolaus filius vnicus patri desideratissimo, ad monumentum eius posuerunt.

ALIVD.

Illustris & magnifici viri, animi celsitate, virtute atque integritate senatoris clarissimi, Martini Zborovvij de Rithvviani, è gente stemmatibusque Gastrembeciorum, patre Andrea Zborovvio, & matre Elisabetha Sfidlouecia progeniti, Castellani Cracouiensis, & præfecti Stobnicensis dignissimi.

Assertor patriæ qui libertatis in omni
Vita, cum magna virtutis & integritatis
Laude fuit, tumulo situs est MARTINVS in isto
Zborovvius. similes natos in honoribus amplis
Postquam vidisset, generis natasq; pudicas
Eximijs de gente sua Lithauaq; locasset
Patritijs; quorum esse aliquos nunc mèbra videmus
Consilij augusti; sic æuo ritè peracto
Mortali, atq; opibus magnis iustè ille paratis,
Extinctus placidè, cæliq; receptus in arce est.
Castellanus erat tum Cracouiensis, & Anna
Sancta thori consors hoc posteritasq; locarunt
Sarcophago corpus, summa quod luce resurget.

ALIVD.

ANNAE illustris & magnifici viri Martini à Zborow Castellani Cracouiensis consorti carissimæ, Stanislao Conario ex Sophia Lanckorunska progenitæ, matronę, quæ per omne mortalis huius æui tempus sanctè & inculpatè viuens, priscis illis Heroidum Christiani nominis matronis æquari poterat, posteaquam octo filijs & totidem fœmellis in lucem editis domum Zborouiam præclara auxit sobole, & septuagesimum sextum ætatis an-

num

num attigit; placidè anno salut. M. D. LXXV. prid. Calend. Decembris extincta, ad cęleste beatorum migrauit consortium. Filij filiæque superstites ad perpetuam posteritatis memoriam hoc monumentum mœrentes posuerunt.

Fœminei exemplar iacet hic prægrande pudoris
ANNA Stanislai filia Conarij.
Quæ genitricem habuit Sophiam virtute nitentem,
Lanckorunsco sanguine progenitam.
Cum teneri tria lustra forent aui illius, vxor
Martino faustè est tradita Zborouio.
Bis quatuor siquidem pueris totidemq; puellis
Hunc fecit fato prosperiore patrem.
Vidit & auctum opibus magnis, & honoribus amplis:
Nam Castellanus Cracouiensis erat.
Vnà vixerunt ita quinquaginta per annos,
Sed rapit è viuis mors priùs atra virum.
Illa quoq; vndecimo pòst letho extinguitur anno,
Andreæ festo sole cadente die.
Mille & quingentis & quinq; vbi iunxeris annis
Septenas decades mortis hic annus erit.
Hæc ità dum vixit, natos in honoribus amplis
Egregios vidit, qualibet arte viros.
Vidit & his similes è prole vtraq; nepotes
Indole. num dici iure beata nequit?

ALIVD.

BERNARDO IOAPOVVSKI I. V. Doctori, Cantori Cracouiensi, cubiculario Apostolico, & Regio Secretario, viro erudito, carmine & prosa excellenti, patruus posuit. Scripsit historiam Polonorum, ex qua quantùm ingenio valuerit poste-

ris iudicandum reliquit. Obijt XXI, Nouemb. anno 1535.

IBIDEM.

STANISLAVS BORANOVVSKI ex maiori Polonia patrijs bonis cōtentus esse nolens, aulam & eius promissa secutus, anno 1565. octaua Iunij Cracouiæ moritur, antequā viuere didicisset; ætatis suæ anno 48.

CALLIMACHI ITALI.

Exuuias præter pellemq́ atque ossa Latini
Nil hic Callimachi terra Polona tegit.
Illa Borysthenides rapuêre, tenentq́ Camœnæ,
Quarum primus amor, gloria prima fuit.
Hoc perfecturus, si copula longa fuisset,
Venissetq́ suo iusta propago thoro.
Sarmatide è nympha: ne barbara terra videri
Posset, Romana vel minùs apta toga.
Sed mors inuidit, quà nil odiosius, atqui
Quæ feritas tacito non caret opprobrio.
Æneus est tumulus, mors ænea, & æneus ille,
Qui legit hæc siccis tristia verba oculis.

IBIDEM.

STEPHANVS Magnus Rex Poloniæ,
Magnusque Dux Lithuaniæ,
Princeps Transyluaniæ,
Victor, triumphator, pater, patriæ,
Stephano Palatino, Catharinaque
Telegdia,

Natus

Natus ann. 1533. V. Calend. Octobris.
Excessit 1586. Idib. Decemb.
Regnauit annos decem, menses VII. dies
XII. iudicia constituit;
Liuoniam, Polotiamque prouincias
recepit:
Fines Lithuaniæ latissimo Velisiensi
agro adiecto, protulit:
Perterritis Mechmete primùm, ac deinde
Aschlan, Chereis,
Tattarorum Chamis.
Podoliam pacatiorem cultioremque reddidit,
Amuratem, Turcarum Imperatorem,
Vt Tattaro pacem legatione
missâ peteret,
Et Benederia à Kosacis deleta, nil
moueret,
Nouaque castella finibus imponi
pateretur,
Opinione virtutis permouit, continuitque:
Stipendium maius, Transyluaniæ Imperium
ineunti Sigismundo, fratris filio,
impuberi:
Imponere molientem deterruit:
Ianiculam, Valachiæ Regulum, ob
iniurias, quas vicinæ nobilitati
Intulerat, deijcere adegit;
Thesaurosque, qui cum ipso Valacho
in potestatem suam venerant,
repetentem spreuit.

Omnium regum, Principum, ac populorum, nationumque cum ora in se conuertisset:
Maiora pro re hac publica & Christiana animo agitans:
Ac in primis Moschouiam Poloniæ Lithuaniæque aggregare studens, sexta die subitò extinctus est,
O mors inuida,
Non extinxisti virtutem Batoream,
Immortalis est,

STEPHANO Poloniæ Regi, Victori, Triumphatori, pio, patri patriæ, &c. Ioannes de Zamoiscio Cancellarius, & summus dux exercituum Regni, &c. Vitâ, quam saluti glorięque eius omnibus bellis periculisque deuouerat, Deo, non se ita volente, superstites, has lachrymas, cum Griselide Bathorea, Vxore sua, regi, patrono, affinique suo fundit:

Viueres, Stephane Maxime, viueres,
Nec Polonia, Vngariaque, ac
Nomen Christianum lugeret.
Nec improbi barbari gauderent.
Sed viuit Deus, haud solido exultabũt gaudio.

IN SACELLO A SIGISMVNDO I. POL. REGE EXSTRVCTO.

Non mirere hospes decus hoc sublime sacelli,
Saxaq; Phidiaco sculpta magisterio.
Hoc statuit Sismundus opus, qui struxit & arcem,
Clarior hic recta sed ratione labor.
Illum ne credas, dum momentanea condit
Atria, perpetuam postposuisse domum.

IN

IN CVRIA POSNANIENSI.

Demosthenes Græcorum disertissimus leges animam ciuitatis esse inquit. Vt enim corpus anima viuit; sic ciuitas legibus conseruatur. Proinde naturæ & sui ipsius obliuiscitur, qui sacratissimas constitutiones, patriasque leges auersatur.

ZAMOSCI.

IOANNES ZAMOSCIVS, quod mortalitatis habuit, hic deposuit.

Obijt III. Iunij, anno M. D. V.

TVMVLVS.

Qua nituit clara fœcunda Polonia gemma,
Nunc Mors in gelido luxuriat tumulo.
Dicamne heroum exemplar, vitaue ZAMOSCVM?
Vix abluit maius Lethica terra decus:
Hic sibi, non Patriæ vixit satis; attamen, eheu!
Quis vetet occiduas non perijsse rosas?
Effundit mœstas natus cum matre querelas:
Iam satis, vt miser is temperet à lacrymis.
Cœlo animam, terræ liquit sua viscera: mirum est
Hunc tumulum tantum condere posse virum.

ADIVNCTVM TESTAMENTI ILL.mi D. D. IOANNIS ZAMOSCII, MAGNI CANCELLARII, & EXERcituum generalis Regni Poloniæ, &c.

Secundùm Deum maximè in terris Sereniss. Re-

ges meos & Remp. non aſſentatorum more, ſed ſincerrimè colui, quibus fidem integrā inuiolatamq; ſeruaui, & eorum dignitatem foris, & libertatem domi clariſſimam ſemper habui. Qua in re, certè nulla ex parte, læſam conſcientiā me habere, ſubiturus Dei iudicium, profiteor. Ciuibus meis quibuſcumque, qui me læſerunt, ignoſco, & ab eiſdem mihi ignoſci expeto. Pietatem erga Patriam, obſeruantiamque erga Regem commendo. Vt luxum & diſcordiam fugiant, quàm maximè fœneratorum auaritiam publico conſenſu coërceant, rogo. Pro me nihil aliud, quàm memoriam qualemcunque meritorum meorū poſtulo. Confido S. R. M. Patriam hanc noſtram, quæ illam excepit, & alijs prætulit, ac ſuorū ſanguine in Regem cōfirmauit, conſtanter redamare: amor tamen meus facit, vt eā vel currentem etiā adhortari debeā. Priuatim verò ab eius Maieſtate regia, animum erga vnicum filium, ac domum meam peto: cuius curæ, benignitati, ac auctoritati præcipuè cōmendo eundem filium meū, & quaſi de manu trado, in ſinumq; eius depono. Te chariſſime fili nō modò hortor, verùm etiam obteſtor; primò quidem, vt Deum, & pietatem ante omnia colas, eamque non modo potiſſimum, ſed ſolum quaſi bonū, aut aliorū quaſi bonorum vnicū fundamentū iudices. Inprimis religionem Catholicam conſtantiſſimè tuearis, hæreſes nouaq; dogmata quæcunq;, quocunq; nomine etiā obtrudantur, fugias. Ac ſi fortè Regni ampliſſimi ciuem te læteris: ijs maioribus, qui meritis ſuis aliquam ſibi nominis famam reliquerit, tanto magis nullo præſtātiore parente Eccleſiam Catholicam lætā tibi ſtatuas: quæ nō modo tot Regum ac Principum, ſed quod longè præclarius eſt omniū Sanctorum

ctorum

ctorum communis Mater, & in cuius gremio felicius mori, quã ab initio nasci, cùm nõ nasci satius sit, quàm in hac non mori. Cura verò, vt efficias, ne vllius criminis tibi conscius sis. Hæc arma, hunc murũ fortissimum in omni discrimine ac periculo expertus sum. In Repub, Sereniss. Regibus tuis, tum ipsi Reip. integrã, inuiolatamq; fidẽ semper præsta, semper nouas res oẽs fuge. Eas autẽ partes semper sequere, quæ præsentem statum saluum volunt: honores nõ tam ambi, quàm vt omni honore dignissimus iudiceris; contende virtute parare ea, quæ præclara ab hominibus iudicantur: Verùm vel ab ipsis parta, vel à parentibus relicta, quibus artibus parta sunt, ijsdem etiã conseruare maximè statuito. Priuatim cùm alias virtutes omnes, tum Iustitiam, maximè temperantiam, & modum fruendi facultatũ, cole: vt tibi semper suppetãt, ad Regi & Reipubl. deseruiendum. Luxum, desidiam, profusionem in voluptates, & inanem fastum quàm longissimè à te segrega. Seniorum, imprimisq; paternorum amicorum, ac familiarium consilio omnibus in rebus vtere, præceptisq; eorum obedi. Iuuenilia, vel corruptorum hominũ, qui adolescentes locupletes assentando captant, consilia & cõsortia fuge: neúe eorũ aut exemplo, aut cohortatione, ad nouas res aliquas, aut profusionem, aliaq; vitia, aut quascunque res, quæ speciem aliquam magis virtutis & gloriæ, quàm solidi quid habeant obrepere patiaris, caue. Vt finem faciam, magis eos, qui virtute & moribus parentes referunt filios, & ab illis, & omnibus charus haberi memento, quam natura.

TYPOGRAPHVS LECTORI S. D.

CVm hucusq; prelo currente peruentum esset, Belgicas, Hispanicas & Romanas aliquot Inscriptiones ab amicis transmissas, & omissas pro appendice, vt adderem petiuit Svveertius. Suo loco ergo non esse positas, beneuole lector ignosce, & æternum VALE.

ROMAE IN ECCLESIA ANglorum S.Trinitatis.

DEO TRINO ET VNI.

GVILIELMO ALANO, Lancastriensi, S.R.E. Presb. Card. Angliæ, qui extorris à patria perfunctus laboribus diuturnis, & Orthodoxa religione tuenda, sudoribus multis in seminarijs ad salutem patriæ instituendis, fouendis, periculis plurimis, ob Ecclesiam Romanam, opera, scriptis omni corporis & animi contentione defensam, hîc in eius gremio, scientiæ, pietatis, modestiæ, integritatis fama & exemplo clarus ac pijs omnibus carus occubuit XVII. Kal. Nouemb. Anno ætat. LXIII. Sal. humanæ M. D. XCIV.

IN S. MARIA MAIORI.

BERNARDINO SANDOVALO Hisp. Toletanæ Ecclesię Scolastico & Canon. Academię eiusdem vrbis à maioribus suis institutæ ornatæque

Can-

Cancellario: generis nobilitate, diuini atque humani iuris singulari peritiâ, quam libris editis scriptisque testatus est, claro: ob eamque doctrinam & singularem vitæ Sanctimoniam, cum summa humanitate morumque suauitate coniunctam, PIO V. Pont. Max. caro, exteris & minus etiam notis amabilis, GEORGIVS FONSECA fratri cariss. præpropera morte rebus humanis exempto, multis cum lacrumis POS. Obijt anno M. D. LXXII. V. Non. Maij.

Facultatibus suis pauperibus dum viueret distributis, partim testamento relictis.

IN S. MARCELLI.

TARQVINO IACOBATIO de FACCESCHIS Romano, perillustri titulis tum militaribus terrâ marique tum ciuilibus, qui incolumis & victor à pugnis memorabilibus, Gallica ad Montem Contourium aduersus hæreticos, nauali ad sinum Corinthiacum contra Turcas, alijsque plurimis; domi suæ dum fenestram aperiendo recedit, delabitur in schalas auersas, & vitam claudit prid. Non. Octob. Anno ætatis L. salut. CIↃ. IↃ. XCVI.

Martius frater mœrens & sibi P.

VALLISOLETI.

D. O. M.

AEternæque memoriæ

PHILIPPI de RODOAN, N. V. Philippi

Toparchæ Berleghemi,

&

MAXAEMILIANAE de BVRGVNDIA Coniugum Fili.

Quem

Quem ingredientem ad Honoris templum
viam rectam
Post obitas celebriores Europæ plagas
In ipso flore iuuenantis æui
Acerba febris falce succisum
Mors veram reduxit in patriam patria procul.
Sors terras lustranti aperuit coelum,
Sic metam adtigit & viæ simul & vitæ?
Haue mi hospes & faue.
Vixit ann. xxx. M. v. D. horas scit nemo,
Nat. Montib. Hannoniæ, Vallisoleti denat.
CIↃ. IↃ CV. M. D.
Illust. & Reuer. CAROLVS PHILIPPVS de
RODOAN Episcopus Brugensis,
Perpetuus Flandriæ Cancellarius,
Patruus.
Ex Voto, M.L.P.C. suis sumptib.
S. T. T. L.

ANTVERPIAE IN D. Mariæ.

D. O. M.
IOANNES LIVINEIVS Gandensis
LIVINI TORRENTI Antuerp. Episcopi
ex sorore N.
Canonicus & Cantor huius Eccles.
qui vt genere & eruditione,
sic & tumulo proximus auunculo
hic quiescit.
A Græcis Patribus illustrandis,
in qua lingua valde excelluit,
è medio cursu abreptus ætat. LII.
Christi A. CIↃ. IↃ. XCIX. Id. Ianu.

ANTE

ANTE D. VRSVLAE SACELLVM.

Vix luminis auras hausit & interijt,
ADRIANVS VAN LYERE.
Pauli Senatoris F. Natus IV. Septemb.
extinctus XXVIII. Decemb.
An. CIↃ IↃ. CV.

IN SACELLO VENER. SACRAMENTI.

D. O. M.

FRANCISCO VAN DEN CRVYCE Franc. F.
eiusq; coniugi IVDOCAE DE MEYERE,
ciuibus Antuerpiensib.
fide, pietate ac religione præstantiss.
liberi chariss. parentib.
cum lacrumis poss.
Vixit ille ann. LXX. Obijt die XXIV. Maij,
An. Domini M. D. LXXXVIII.
Hæc verò ann. LXXV. Obijt die XXIX. Octob.
Anno M. D. XCVII.
Orate pro eis.

DEO O. M. SACR.

SYLVESTRVM PARDO Brugen. H. Mon. tegit,
V. Reuerendum sacris hic honoribus;
Sacerd. Theolog. Canon. librorum Cens. Sigillif.
Et, Sede vacante, Vicar. General.
V. illustrem natalibus; ex vtraque,
Paterna Pardo Hispanica,
Materna Vlamincpoorte Flandrica,
antiquæ nobilitat. Familia.

Domi-

Dominum in Lambres, & Euyn apud Duacen.
V. clarum suis at magis dotibus
doctrinæ, priscæ & virtutis:
Quas famæ, & memoriæ consecrauit,
agendo semper, & merendo bene
Consilio, ope, opera, prout res aut vsus tulit.
Sed & tollerando constanter,
Inprimis exilio Caleti longo pro fidei caussa.
Nunc porrò vt illi bene sit in patria
Tu, bone Lector, votis, qua potes, iuua.
Decessit anno sal. CIↃ. IↃ CV. prid. Non. April.
Annum vitæ agens LXXII.
Relicto sui desiderio, vt ceteris,
Ita cognatis maximo.
Qui hoc gratitud. test. L. M. Q. P. C.

GANDAVI.

Claro ISABELLAM Bettarum sanguine natam
Hîc post fata sitam te docet iste lapis;
Masculei sexus bis senas ordine proles
Quæ peperit casto fœdere iuncta viro,
Cum quibus vt felix cœlesti regnet in arce,
Qui legis hæc, prona mente precare Deum.
AprILIs seXto VIta dIVVLsa CaDVCa,
PaVperIbVs LVCtVs ossaqVe LIqVIt hVMo.

CAROLVS PHILIPPVS de RODOAN
Ecclesiæ Gand. Canon.
Matri
Pietate, Prudentia & Castitate singul.
mærens merenti Pos.

LOVA-

LOVANII IN D. MICHAELIS.

D. S.

PETRO PECKIO Regio in magno Senatu Belg. Consiliario & supp. libell. Mag. Ziriceæ nato, Machliniæ A.D. XVII. Kal. Aug. CIↃ.IↃ. LXXXIX. denato Louanij, vbi multis ann. Ius enarrarat, apud suos deposito, inque hoc inque illo munere publicè benè mer. scriptis claro. Pietatis colentiss. omnibus bonis amico, Cleri studiosiss.

CATHARINA GILLIS Vid. & lib. poss.
Vixit ann. LX. D. I.
Bene quiescat in Christo Iesu.

IN ABBATIA VILLARIENSI.

EPITAPHIVM B. ARNVLPHI CORNIBOVTIJ Bruxellensis, monachi Villariensis, Obijt an. M.CCXXVIII. prid. Kal. Iulij.

Pausat in hac tumba vir simplicitate columba,
Qui leo virtute, iubilis similatur alaudæ,
Qui turtur gemitu, visu simul atque volatu
Par aquilæ, Salamandra nouo qui vixit in igne.
Vis breuius iusti laudes in fine probare?
Nunc canit de la sol, qui quondam fleuit in Are.

CONVIVII PVTEANICI LEX.

QVISQVIS ES, siue Solus, siue cum VMBRA,
Audi, & Obaudi
GENIVS sum loci, & hîc impero.

K. I.

PRANSVRVS ante XI. ne venito.
Post XII. ne maneto:
COENATVRVS, ante VII. ne venito;
Post IIX. ne maneto.

PRANDI heic tempus VNIVS horæ;
Et COENAE, VNIVS.
Si quis præuorterit, SCILICET, mensa vaciua:
Si quis remanserit, ILICET, mensa sublata.

K. II.

FAMILIARIVM tamen si quis adsis etiam alteram horam indulgeo.
Sed SERMONI, non PRANDIO, aut COENAE.
SERMO GENIALIS esto, non tetricus, morosus, aut rixosus.
Cum SALE, IOCO, RISV,
Quos MVSA, & HONESTAS ament.

K. III.

SATVRIO ne accesseris.
ESVRIO ne recesseris.
Mensam SINE ARTE vides; FRVERE;
Sed sine TVBVRCINATIONE.

K. IV.

Et LIBERI leporem vides; POSCE atque FRVERE.
Sed cum cauitione.
TREIS Crateras haurias:
Primam SITIS caussa;
Secundam sis HILARITATIS,
Tertiam sodes VOLVPTATIS.

K. V.

LAETVS esto, SOBRIVS esto,
BONAE MENTIS memor,
ANGERONAE memor.

K. VI.

Si quis dicta & edicta mea spreuerit.
AEGRA MENTE, & VALETVDINE mulctator.

HISPA-

HISPALI.

In D. Iacobi.

DEO VIVENTIVM S.

Benedicti Ariae Montani, Doctoris Theologi, sacrorum librorum ex diuino beneficio Interpretis eximij, & testimonij Iesv Christi Domini nostri annunciatoris seduli; viri incomparabilis, titulis cunctis maioris, monumentis augustioris, ossibus in diem resurrectionis iustorum cum honore asseruatis.

Dominus Alfonsus Fontiberius Prior conuentus S. Iacobi Hispalensis, in Prioris quondam sui opt. meriti memoriam P. C. An. 1605. Obijt anno CIↃ. IↃ. XCVIII. AEtat. LXXI.

BRVXELLIS.

In Eqvili Arhidvcvm Alberti & Isabellæ: Equus, cui nomen Nobilis loquitur.

Siste gradum spectator, ego de nomine dicor
Nobilis; at præsto nobilitate rei.
Archiduci ALBERTO substraui tergora quondam,
Quādo prope OSTENDAM martia Erinnys erat.
Illumque eripui pugnantem hostilibus armis,
Cùm vel ei, mihi vel, mors subeunda fuit.
Me magis ardebat miles, quia virginis instar,
Cernebat niuea crescere fronte iubam,
Hinc vt me raperet, crebrò sua spicula & enses
In caput ignoti, strinxerat Archiducis.
Euasi eduxique virum, meque ipse reduxit
Incolumem, nostra non erat hora necis.

Ast anno vertente die quo euasimus ambo,
NOBILIS interij, Cernite qualis eram.

ANGLICA.

S. EDVARDI.

Guilielmi Hannonis soboles postrema PHILIPPA,
Hic roseo quondam pulcra decore iacet.
Tertius EDVARDVS Rex ista coniuge lætus
Materno suasu nobiliumque fuit:
Frater Ioannes Comes Mauortius heros,
Huic illam voluit consociare viro.
Hæc iunxit Flandros coniunctio sanguinis Anglis:
In Francos venit hinc Gallica dira lues.
Dotibus hæc raris viguit Regina PHILIPPA.
Forma præstanti, Relligione, fide.
Fœcunda nata est proles numerosa parenti,
Insignes peperit, magnanimosque Duces.
Oxonij posuit studiosis optima nutrix
Regineas ædes, Palladiamque scholam.

IN REGIA CAPELLA.

Septimus HENRICVS tumulo requiescit in isto,
Qui Regum splendor, lumen & orbis erat.
Rex vigil & sapiens, comis, virtutis amator,
Egregius forma, strenuus, atque potens.
Qui peperit pacem regno, qui bella peregit
Plurima, qui victor semper ab hoste redit.
Qui natas binis coniunxit Regibus ambas,
Regibus & cunctis fœdere iunctus erat.
Qui sacrum hoc struxit templũ, statuitq; sepulcrum.
Pro se, proque sua coniuge, prole, domo.
Lustra decem atque annos tres plus cõpleuerat: annis
Nam tribus octonis Regia Sceptra tulit.

Quin-

Quindecies Domini centenus fluxerat annus,
Currebat nonus, cum venit atra dies,
Septima ter mensis lux tunc fulgebat Aprilis,
Cum clausit summum tanta corona diem.
Nulla dedere prius tantum tibi secula Regem
Anglia, vix similem posteriora dabunt.

HABES HIC MAGNOR. VIRORVM RELIQVIAS, CHRISTIANI ORBIS DELICIAS, QVIBVS VT ROMA FELIX AVSPICIVM, ITA ROMA ANTIQVITATIS VINDEX, ET CHRISTIANAE RELIGIONIS ASSERTOR IOAN. ZAMOSCIVS NON INAVSPICATO FINEM DEDIT.

CENSVRA.

Selectiores hæ, Christiani Orbis deliciæ, à FRANCISCO SWEERTIO F. Antuerp. summo studio concinnatæ, dignæ sunt, quæ ad multorum delectationem, & Monumentorum nostri Orbis exquisitam indagationem percipiẽdam, in lucem edantur, ac diuulgentur. Datum Antuerp. Cal. April. ∞. IↃ. CVII.

Laurent. Beyerlinck Antuerp. S. Theolog. Licent. Librorumque censor.

FINIS.

INDEX

INDEX VRBIVM ET CIVITATVM IN QVIBVS MONVMENTA hæc reperiuntur.

Gan-

ERRATA SIC CORRIGENDA.

PAg.6.sæuo.p.26.l.9.Capituli:lege Basilicæ.p.69.l.in oculis.p.105.l.12.poni.p.116.l.17.Seuerus.p.131.l.6. Aligerio: p.145.l.10.Vitales.ib.l.vlt.Pannoniæ.p.151.l.9:mersus.p:171.li.1.tenebat.p.180.li.vlt.à.fin.Duc.p.189.li. 3.à fin.VILLORIA.p.190.l.3.à fin. M. D. XXIV. p.374.lj.16.Conciliatus.387.l.13.loquuntur.p.461.l.13.auras.p.463.l.4.à. fin. Tumulus.p.466.l.7.à fin:charo.p.468.l.3.& filijs.ibid.l.2.à fin: prosum.p.481.l.2. Extremum.p. 502.lin.7:scæua.ibid:Aduaticæ.

FINIS.